Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/dejuresignaturae00vita



Grati animi ergo Downman Anglus pin. et Carloni Roman. sculp.

DE
JURE SIGNATURAE JUSTITIAE
IN ORDINEM REDACTO
COMMENTARIUS

ABBATIS FRANCISCI ANTONII VITALE

Patricii Arianensis, Jurisconsulti, et Socii Electoralis Bavarae Academiae Scientiarum.

EDITIO ALTERA

AB EODEM AUCTA, ET RECOGNITA.



ROMAE M.DCC.LXXXIX.

EX OFFICINA LIBRARIA SALOMONIANA

PRAESIDIBUS ANNUENTIBUS.

BX
1800
V51
1789

LIBRARY
SEP 5 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

ANDREAE · IOANNETIO
S · R · E · PRESB · CARDINALI
ARCHIEPISCOPO · BONONIENSI
S · R · I · PRINCIPI

QVOD
CAETERA · AD · EVM · TRANSMISSA
STVDIORVM · SVORVM · SPECIMINA
NON · PROBAVERIT · MODO
SED · GRATISSIMA · ACCEPTISSIMAQ · HABVERIT
OPVS · HOC · NEREO · CORSINIO · CARDINALI
PRIMVM · NVNCVPATVM
NVNC · AMICORVM · INSTANTIA
SECVNDIS · CVRIS · PERPOLITVM
AVCTVMQVE
FRANCISCVS · ANTONIVS · VITALE
PRINCIPI · HVMANISSIMO
DEQVE · SE · OPTIME · MERITO
L · L · D · D
NOMINI · ET · AMPLITVDINI · EIVS
DICATISSIMVS

AUCTOR LECTORI S.

Jamdiu, qui Romanae Curiae operam navant, alteram hujusce Operis editionem exoptabant. Distractis enim, ac divenditis omnibus exemplaribus prioris editionis, quam quidem admodum adolescens, dum ad Jurisprudentiae studia incumberem, pro viribus conscripseram, multi, qui carere eo nollent, aut non poterant, non habebant, unde ejus comparandi sibi copia fieret. Hinc, etsi, tot litterariis laboribus, hactenus editis, atque ineditis, distentus, de altera editione amplius non cogitarem, totusque jam essem in Juris publici, et scientiae Diplomaticae studiis, ut quoddam fere viaticum ad senectutem mihi pararem, in quod ne ipsa quidem Fortuna ullum jus haberet. Verùm enim vero propositi constantiam vicit quotidiana fere Amicorum instantia, et potissimum comitas illa spectatissimi Praesulis Caroli Andreae Pelagallii, Signaturae Auditoris, qua ita me sibi devinxit, ut ejus voluntati obsequi omnino debuerim; eique propterea, quantum ratio meorum stu-

diorum pateretur, pollicitus sum, quamprimum me novae Operis editioni adornandae manum admoturum. Quod opus L. B. nunc tibi sisto, non omnino quale jam ante prodierat, sed multis partibus emendatum, multis refectum, quampluribus praeterea accessionibus locupletatum, maxime quas in Appendicem conjeci, in qua, alia ut omittam, omnem adhibui diligentiam, nihil ut de Pontificiis Constitutionibus, deque Decretis ejusdem Tribunalis, quod Tibi usui futurum sit, desiderare possis. Fruere igitur hoc meo labore, & vale.

Dabam Romae pridie kal. Septemb. MDCCLXXXIX.

OPERIS PARTITIO

CAPUT I.

De Origine Tribunalis Signaturæ Justitiæ, ejusque forma, ac competenti Jurisdictione, necnon de Referendariis, Votantibus, eorumque privilegiis; accedit Praefectorum ejusdem Signaturae Elenchus.

CAPUT II.

De Actis præambulis ad effectum adeundi plenam Signaturam, et de auctoritate Auditoris Signaturæ.

CAPUT III.

De Commissionibus juxta diversam negotiorum naturam proponendis.

CAPUT IV

De Ordine Informationis, et Scripturæ ante propositionem Causæ.

CAPUT V.

De diversis Rescriptis, eorumque vi, et effectu.

APPENDIX.

Pontificiarum Constitutionum, Edictorum, ac Decretorum ad ejusdem Signaturæ Tribunal spectantium, amplissimam collectionem continens.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. P. Mag Sacri Pal. Apostolici.

F. X Passari Archiep. Lariss. ac Vicesg.

Quod *De Jure Signaturæ Justitiæ in ordinem redacto* Auctor clarissimus anno 1756. edidit, opus cunctis in foro versantibus necessarium, et nunc ejus raritate desideratissimum, quum esset iterum edendum, nil sane contingere utilius poterat, atque opportunius, quam quod ejusdem doctissimi Auctoris studio prodiret in lucem, nedum novo digestum ordine, multoque additionum genere cumulatum, sed quotquot hactenus prodiere ad illius Supremi Tribunalis praxim, ac jurisdictionem scitu necessariis auctum, absolutumque. Hinc, quum illud ita comperiissem, obsequens mandato Rm̃i Patris Sacri Palatii Apostolici Magistri, simulque nihil, quod orthodoxæ fidei, moribus, ac legibus adversetur, in eo reperire mihi datum sit, ex animo censeo, non esse amplius expetentium votis fraudandum, ne quam citius fieri possit, publicam adspiciat lucem. Ex meis Aedibus hac die 8. Maii 1789.

Joseph Marsilius Cipriani in Rom. Curia Advocatus.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Mamachius Ord. Præd. Sac. Pal. Ap. Mag.

SIgnaturæ Justitiæ Tribunal quo ordine, quave methodo regatur, vel Tironibus, huic se committentibus negotio, adeo captu difficile redditur, ut veluti illuni nocte per vastissimam Constitutionum, Decretorum, stili, ac consuetudinis silvam ire coacti, fastidientes refugiant; vel ab aliis tantum abest, quod longævo usu pene gustetur, ut eveniat aliquando, quod ea, quæ in aliquibus statuta sunt negotiis, ad dissimiles species, ac quæstiones obvenientes protrahere studeant, medullitus institutionis, ipsiusve stili causas neutiquam animadvertendo; eapropter litibus solent addere, et coacervare lites, itaut negotium ipsum circumveniatur persæpe inutilibus, et supervacaneis contentionibus, et reddantur sæpissime inestricabilia magis præambula ipsa negotii, quam legalis articulus decidendus. Quæ ego ipse cum animadverterem, eousque impulit me voluptas illius praxis addiscendæ, ut, privatæ meæ cognitioni consulendo, plura congesserim, quæ vel ab aliis sparsim dicta excerpsi, vel e summis, ac peritissimis viris, quibus Curia abun-

dat, accepi (1). Et, si ea hodiedum publici juris facio, causam interpono, nè alicui videatur, inter quamplurimos me assurgere, qui nullo pacto sum cum tot cæteroquin doctissimis Curiæ comparandus; nam satis intelligo non tantum mihi esse auctoritatis, et doctrinæ, ut me amplissimorum Virorum diligentiam imitaturum, nedum aliquid rectius, et præstabilius traditurum confidam. Amicorum enim instantia ea et tanta fuit, ut voluntati eorum refragari ulla excusatione nequivi; inter cæteras namque causas, quas, ut me diu reluctantem suaderent, proposuere, ea potissimum fuit, non inutile esse, si aliquando res sæpius dictæ, et repetitæ nova selectiori methodo in ordinem redigantur; methodus enim, et selectio non immerito cunctorum voluptati satisfaciunt, ut pro novis vetera habeantur; hinc apud doctos viros ea invaluit opinio undique plausibilis, libellis, nempe, ob solam novitatem, raritatemque materiæ pretium haud esse statuendum. Et reverà non ingratum Lectoribus fore eo certiore augurio præsentire mihi videor, quo magis non omnino actum agere subvereor; nam etsi nonnulli de Signatura Iustitiæ sparsim quamplurima scripta reliquerunt, tamen è tot Scriptorum fragmentis, tanquam è dispersis Hippolyti membris, justum sibi ejusdem Signaturæ praxis corpus, et sistema haud facile quisque exstruat. Hæc denique fuit hujusce operis exigua origo, hæc demum causa, ut in vulgus prodiret. Ad rem igitur deveniendo, primum de hujusce Tribunalis origine studuimus inquirere; hac enim præhabita cognitione ad plenissimam intelligentiam Jurisdictionis eidem competentis facillimè devenitur. Eapropter sermo ante omnia erit de origine, forma, ac jurisdictione Tribunalis Signaturæ. Quæ quidem res in unum complexæ sequenti capite brevitate, qua magnopere delectari fatemur, absolventur.

CA-

---

(1) *Non alio sanè modo Curiæ praxis in Foro versantibus innotescit*; *et proinde Salgadus*, *de eadem Signatura disserens in supplicatione ad Sanctissimum 2. part. cap. 30. n. 1. ait*: Praxim Curialem non absque parvo labore a nobis tum ex longo, consuetoque cursu, atque varia Rotæ Decis., et Doctorum lectione, tum etiam ex continua potissimorum Curialium communicatione, fidentissimaque relatione adquisitam,

De origine Tribunalis Signaturæ Justitiæ, ejusque forma, ac competenti Jurisdictione, necnon de Referendariis, Votantibus, eorumque privilegiis; accedit Præfectorum ejusdem Signaturæ Elenchus.

Ut antiquissimam fateatur quisque institutionem hujusce Tribunalis; id potissimum animadvertendum est, non innotuisse usque adhuc, quonam tempore ortum habuerit. Obscuritas enim ipsa, in qua versamur, solemne est apud nos testimonium illius antiquitatis; hinc apud Geographos sanæ mentis firma sententia est, illustriores, et fundatione antiquissimas Civitates illas habendas, quarum origo inter antiquitatis latebras involuta sit. Adeo enim obscura est origo Tribunalis Signaturæ, ut omnes Romanæ Curiæ praxim, vel historiam pertractantes, cæterorum Tribunalium originem nobis dederunt, ac præcipuum institutionis tempus denotarunt, de Signatura vero, ne obiter quidem mentionem fecerunt; hac in re idcirco eorumdem Geographorum exemplum sequi decrevimus; hi enim, mappas delineando, id omne, quod in Orbe incognitum est, parvis interjectis lineis, sub ea expressione non adhuc cognitæ telluris, ut a fabulis se abstinerent, explicare consueverunt. Nos igitur tractationem istam a divisione Signaturæ in illam Gratiæ, et alteram Justitiæ, de qua infra latius disserere proposuimus, incipiendam esse arbitramur.

Et quamvis de erectione, ut diximus, hujusce Tribunalis certa adhuc cognitio non sit, attamen nonnulli affirmant, Signaturam absolutè consideratam Principatui penè coævam fuisse, ex eo quod, si de nomenclatura Signaturæ inquiramus, facile intelligemus eam fuisse Principis audientiam, sive Consistorium, ideo Signaturæ nomine appellatum, quia in eo subsignabantur, hoc est subscribebantur rescripta petitionibus, quæ ea in audientia deferebantur; signare idem esse, ac subscribere, veteres etiam promiscue hisce verbis usos fuisse, et in libris Romani juris exemplum haberi in *leg. Si non subscripsisti* 15. *Codicis de Administratione Tutorum*, et *in leg. Subsigna-*

gnatum Digest. de Verborum significatione ; ut præ cæteris testatur *Gonzalez*. (1)

Accedit huic sententiæ *Fattinellus*, (2) et Romanæ Curiæ Signaturam talem esse ostendit non alio sane argumento, quam è maximo Prælatorum, eam repræsentantium officio, porrectas nempe Principi preces, ac supplicationes referendi, eisque responsum reddendi; at perperam, nam officium, sive Judicis potestas summa, supremum, vel præstantissimum Tribunal reddit, antiquum vero secus; antiquitas enim metienda est ab institutionis tempore non vero a Jusdicentium auctoritate; cum pleraque sint Tribunalia recentioris instituti, quæ præstantissima etiam reputantur ob amplam, vel peculiarem Jurisdictionem. Et eo magis incongrua videtur altera ejusdem *Fattinelli* ratiocinatio, qua ad comprobandam Signaturæ Pontificiæ antiquitatem conatur ulterius ostendere, Prælatorum munus, è quibus Signatura efformatur, antiquissimum ex eo esse, quod usus libellorum Principi offerendorum apud omnes Nationes semper fuit; a natura enim ipsa didicimus Principi libellos exhibere, quum vel in inferiorem desit facultas decernendi, vel justitia denegetur, at quid inde? usum etiam citandi apud Romanos fuisse in comperto satis est, ergo dicemus Cursores nostros præstantissimos præ cæteris esse, et Cursorum Collegium antiquissimum? ex his igitur facilè quisque percipiet, num rectè a superius laudato *Fattinello* Signaturæ Pontificiæ antiquitas comprobata sit.

Indubium tamen est, antiquitus negotia, quæ ad S. Sedem deferebantur, Summos Pontifices consuevisse per seipsos expedire, donec multitudo expediendarum rerum adeò excrevit, ut difficultas, qua angebantur sequentes Pontifices in rescribendo tot, tantisque negotiis, quæ a toto terrarum Orbe ad eorumdem Audientiam in dies deferebantur, occasionem præstitit Auditorium erigendi, constitutum quibusdam prudentissimis, æque ac doctissimis Viris, qui supplicantium petitionibus præstò essent, de facti veritate plenius se informarent, et Summo Pontifici referrent.

Sunt enim qui affirmant, illos primum appellatos fuisse Consilia-

(1) *Super Reg. S. Cancellariæ Gloss.* 60. *n.* 53.

(2) *De Referendariorum Votantium Signaturæ Justitiæ Collegio Capit.* 1.

siliarios; et præsertim *Gambarus* (1), et *Altovitus* (2) id ostendere conantur argumento *Canonis convenientibus* §. *item Petrus* 1. *q.* 7., *et Can. Ecclesiasticis q.*1. *Can. in Parochia* 16. *q.*1.; at Auctor tractatus *de Tribunali S. Rotæ*, Consiliarios illos Rotæ Auditores fuisse contendit (3); et revera Consiliarios quid diversum a Referendariis fuisse demonstrat eorum munus, doctissimè relatum per *Thomassinum de veteri Ecclesiæ disciplina*. Ante annum verò 1243., pro certo habetur, appellatos fuisse Referendarios, nam *Innocentius IV. in Cap. ex litteris n.* 3. *de Restitutione in integrum* de Referendariis mentionem fecit, eorumque munus expressit; floruisse namque laudatum Pontificem anno jam dicto habetur e Commentariis, quos ipsemet scripsit super Decretalibus.

Quod Referendariorum institutum non omninò novum in Romana Curia fuit; cuiquam enim innotescit, Romanæ Reipublicæ tempore Referendarios extitisse, prout apertissimè eruitur, præsertim ex *Authentica de Referendariis S. Palatii*, *et ex Novell.* 10. 113. 124; Imperator enim *Justinianus* eorum numerum ad octonarium redegit; itaut meritò *Gomesius* de errore arguitur, ex eo quod Referendarios a *Justiniano* eàdem recensita Authentica primum institutos fuisse contendit. Et penitus improbandum non est, Referendariorum institutum descendisse a Romano Jure: quemadmodum enim, rerum vicissitudine ita exigente, a Romanorum florescente Republica plura ad nos pervenere, quæ illius ævi stilum redolent, vel speciem aliquam præseferunt, ita, in Causis agendis, ac ordine judiciario potissimum, plura a majoribus traxit posteritas; hinc non mirum, si apud nos Referendariorum institutionem descendere dicamus a Romano jure, et rectè *Gambarus* (4) a *Fattinello* de errore convincitur, ex eo quod adfirmat, Referendariorum nomen Sanctam Sedem invenisse.

Et revera Sancta Sedes a Romano jure nomen illud mutuata est, quum si eorum munus conferamus, idem prorsus fuit, ac no-

---

(1) *De auctoritate Legatorum in quæst. qualiter Legatus n.* 34.

(2) *In discursu de Referendariorum præcedentia* § *Aut vero*.

(3) *Pag.* 4.

(4) *Loc. cit. n.* 35.

nostrorum Referendariorum; supplicationes enim, et libellos recipiebant illi, et causas coram Principe proponebant, prout *Cujacius* (1) hisce verbis testatur: *hi sunt, qui recitant Principi supplicum desideria, et mandata Principis judicibus insinuant*, *Procopium* (2), *et Ammonium* sequutus (3); et ex eorum numero fuisse, affirmat, qui Referendarii dicuntur majoris Ecclesiæ in *Novell.* 6., qui peculiariter, nempe, erant destinati ad majoris Ecclesiæ negotia Principi referenda; et *Cassiodorus* (4) non malè ex eorum formula demonstrat, eos causarum ordines Principi exposuisse, interpellantium vota cognovisse, et illis responsum reddidisse. Hæc namque provincia demandata primitus fuit Referendariis S. Sedis, itaut operam omnem adhibebant legendis, ac examinandis supplicationibus, num, nempe, quæ in illis continebantur, a Summo Pontifice concedi possent absque alicujus injuria, in quorum fidem visas supplicationes subscriptione proprii nominis quisque manu sua signaret, quod hodiedum Referendariare, ut suo loco dicemus, in Curia appellatur.

Habuit etiam Constantinopolitana Ecclesia suos Referendarios, longe antequam Romana eos instituisset, et illi Episcoporum negotia, ut celeriùs expeditionem sortirent, apud Cæsarem proponebant, prout liquet ex *Authentica*, *Quomodo oporteat Episcop. cap.* 12. in fine, et ex *Meurs.* (5), *et Du Fresne* (6), quibus accedit *Gretlserus ad Codin. de Offic. Curiæ, et Ecclesiæ Constantinopolitanæ* (7).

Gallia etsi, ut supra diximus, etiam Referendarios agnoverit, et sub prima Regum Francorum dynastìa Referendarii appellitarentur, attamen deinde Cancellarii nomen sortiti fuere; *Gregorium Turonensem* (8), *et Concilium secundum Valentinum* de iis mentionem fecisse, et præsertim de Asclepiadoro Referendario Guntranni Regis, refert doctissimus *Thomassinus de veteri*, *et novæ Ecclesiæ disciplina* (9), et *Hadrianus Valesius*, loquens de Seminario Regum Francorum ad annum DLXXXXI.

Lau-

(1) *Ad Novell. X.*
(2) *De Bello Persico.*
(3) *cap.* 41.
(4) *Lib. Variarum* 6.
(5) *In Glossar. Græcobarbaro pag.* 590.
(6) *In Glossario mediæ, et infimæ latinitatis tom.* 3. *colum.* 549.
(7) *Lib.* 1. *cap.* 17. *pag.* 125. *et* 134.
(8) *Lib.* 10. *cap.* 31.
(9) *Part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 25. *num.* 1.

Laudatissimus *Mabillonius* de Referendariis disertè scripsit, in Imperio Orienrali eos etiam extitisse, qui preces supplicum Principi referebant ex auctoritate *Procopii in Anecdotis*, et Commentatoris Notitiæ Imperii *cap.* 97., qui ita testatur, *qui Scrinium dispositionum tractabant, Referendarii vocabantur*; et ad eorum formam Stirpis Francicæ Reges Referendarium instituisse, penes quem anuli, sive sigilli Regii custodia erat, ac unum fuisse Sigonem, qui anulum Regis Sigeberti tenuit auctore *Gregorio Turonensi lib.* 5. *cap.* 2.. In Archivo *Jacobi Wencheri* habetur, Principes Beneventanos seculo VIII. Referendarium habuisse, qui scribenda diplomata Notario dictabat, et ex *Ughellio* (1), ab ipsismet Referendariis diplomata subscripta fuisse, constat.

Eamdem Referendarii dignitatem obtinuisse, à *Du Fresne* in Lexico èdocemur, apud Reges Anglo-Saxones, chartamque refert anni 605., apud *Spelmann*; et apud *Guibertum* (2) etiam ita legitur: *Gualdricus Episcopus Lugdunensis Referendarius Regis Angliæ*. In Ditione Veneta, et præsertim Patavii, D. Franciscus junior de Carrara, octavus Patavii Dominus, Referendarios novem pro qualibet regione Civitatis deputavit ad recipiendas supplicationes, et querelas porrigendas ipsi Domino, eosque nullam habuisse Jurisdictionem, sed negotium simplicis receptionis Supplicationum, asserit *Angelus in Consiliis* (3), et refert *Cardinalis Tuschus* (4), dum de Referendariis Sanctæ Sedis, eorumque Jurisdictione etiam sermonem instituit. Et in Regno demum Neapolitano, dum publicis rebus consuluit Clementissimus Rex, novum Tribunal, Commercii appellatum, erigendo, Præfectum, sive Præsidentem designavit, qui tanquam omnium Caput dirigeret, et ordinaret, quæ ad rem melius facere viderentur, ac Referendarium addidit, quo nomine ait eruditissimus *Rapolla* (5) intelligitur is, qui referre, ac proponere in Tribunali debet omnia, quæ fortassis universali Commercio existimantur profutura.

Nostrorum verò Referendariorum duo deindè ceperunt esse genera, è duobus, nempè, negotiorum qualitatibus, Gratiæ, et Justitiæ; et proindè Signatura etiam divisa fuit in Signaturam gra-

(1) *Italiæ Sacræ tom.* 8. *col.* 589. 608.
(2) *Lib.* 3. *cap.* 4. *de vita sua*.
(3) *Consil.* 327.
(4) *Conclus.* 79. *litt. R. verbo Referend.*
(5) *Juris Regni Neapolitani par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 10.

Gratiæ, quæ Sanctissimi alias dicitur, et Justitiæ, de qua nos agere proposuimus. Et successivis temporibus antedicti Referendarii utriusque Signaturæ appellari ceperunt ex eo, quia à Summis Pontificibus indulta fuit eisdem utriusque Signaturæ prærogativa; divisio namque Signaturæ in illam Gratiæ, et Justitiæ tribuitur Alexandro VI. Pontifici, teste *Gomesio* (1), quem sequitur *Marchesanus*, dum ait, quod prius, usque ad Pontificatum Sixti IV. diversimodè procedebatur.

Ex hactenus dictis evidentissimè patet, antiquos Referendarios eo tantum in munere versatos fuisse, referendi, nempe, Supplicationes; responsum verò à Summis Pontificibus recipiebant, quod probatur etiam ab expositione *Innocentii IV.* in *Cap. ex literis de in integrum Restitutione*, §. *Item*, hisce potissimum verbis: *et quidem libellus Supplicationem continens porrigitur Referendariis, et Causam introducentibus, aut deferendariis, solus autem Princeps, vel Præfectus cognoscit de Supplicatione*. Procedente verò tempore nova huic Tribunali forma data fuit, nam Pontifex continua, ac varia præpeditus multitudine negotiorum, quæ ad Romanam Curiam, utpote communem omnium Patriam, ex omnibus Mundi partibus confluere ceperunt pro justitiæ complemento, in causis potissimum ad forum Ecclesiasticum pertinentibus (2), non valens cunctas examinare supplicationes, per Referendarios relatas, eisque omnibus responsum reddere, é Referendariorum classe quosdam selegit, quorum munus esset, antedictis supplicationibus nomine ipsius Pontificis responsum dare; ideoque Votantes ad differentiam simplicium Referendariorum appellari ceperunt.

Hinc ea invaluit praxis, quod Rescripta Signaturæ Justitiæ, tanquam ab ipsomet Pontifice exarata censerentur; et Rota pluries in suis Decisionibus testatur, Signaturam Justitiæ Papam repræsentare, et ejus nomine rescribere (3); et Paulus III. teste *Vestrio* (4) statuit, Rescripta Signaturæ ejusdem virtutis, et auctoritatis esse, ac si forent manu Papæ signata. Eapropter Commissionem, sive Rescriptum Signaturæ omnes Judices observare, ac exequi debent, itaut si rescripti formam non servent, acta erunt

(1) *In proœmio Tractatus Signaturæ*.

(2) *Innocent. VIII. in Constitutione Officii nostri, anno* 1491.

(3) *Decis.* 101. *num.* 7., *et Decis.* 289. *n.* 16. *p.* 6. *recent.*

(4) *In praxi lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 2.

erunt nulla una cum Sententia, prout innuunt verba *Cap. Cum dilecta de Rescriptis*, *et Cap. Venerabili de Officio Delegati*. Quod adeò verum est, ut, directa Rotæ Commissione causæ *Bononiensis Fideicommissi de Benatiis*, cum clausula: *Constito, quod sit locus Ægidianæ*, et Rota absque dictæ Constitutionis *Ægidianæ* cognitione processisset, Signaturæ Tribunal sub die 22. augusti 1680. rescripsit: *Circumscriptis omnibus gestis post Rescriptum Signaturæ, Rota procedat ad formam Commissionis*, prout è Regesto Signaturæ *Fattinellus refert*. (1)

Qui quidem laudatus *Fattinellus* testatur de summa Rotæ observantia quoad Signaturæ Rescripta, dum in medium profert *Decisionem* 857. *n.* 12. *Seraphini, et Durani decis.* 132. *n.* 8. *et* 9. quampluresque alias; et idcircò Rotam, comprobat ille, Signaturæ Rescripta non declarare, sed ad eamdem Signaturam recursum haberi pro declaratione, prout dictum fuisse, refert, in *Eldesimen Exequutionis coram Lancellotto apud Marchesanum*. (2)

Ex eo tamen, quod Signaturæ Tribunal, ut jam diximus, Pontificem repræsentat, ac vice, et nomine ipsius rescribit, non idcircò effrenata est illius facultas in rescribendo, ut ultra Juris regulas progredi possit; nam ea est differentia inter Signaturam Gratiæ, et Justitiæ, ut illa latissimas habeat facultates, atque legum vincula egredi possit, ejusque rescripta magis afficiant, latèque intelligenda sint; altera verò Iustitiæ Signatura restrictum arbitrium habet intra præfatos juris limites; et proindè receptum est, quod ejus Rescripta intelligenda veniunt, prout de Jure, ex illa differentiæ ratione, quod in Signatura Gratiæ resolutiones non emanant ab assensu, ac judicio Prælatorum Votantium, quorum votum in ea est consultivum tantum, sed ab ipso Pontifice ibi præsente, et rescribente; in Signatura verò Justitiæ resolutiones fiunt, ut inferius exponemus, à Præfecto, et Prælatis habentibus Votum decisivum ex quadam Papæ delegatione, restricta ad ea, quæ concernunt Justitiam, à Juris dispositione regulandam. Eapropter erroneum prorsus est præsuppositum, quod hoc Tribunal respondeat vice, ac nomine Principis, ideoque

(1) *Cap.* 8. *de Collegio Votantium Signaturæ, et in Appendice pag.* 40. *ad* 42.

(2) *De Utraque Signatura in fol. pagin.* 587. *par.* 2.

ipsius more judicare possit; nam indubium est Principem repræsentare, non autem verum est, illam, uti Principem ipsum se gerere posse, quum habeat facultatem præscriptam, ut supra, neque gerat partes judicis decidentis causarum merita, sed rescribentis dumtaxat Judicibus, quomodo se gerere debeant in ordinatoriis potius, quam in decisoriis circa effectus Appellationis, et alia ejusmodi, prout advertit *De Luca*. (1)

Hinc ipsemet laudatus Auctor (2) recenset sua ætate inolevisse, quod Signaturæ Tribunal cum præsupposito, quod Principem repræsentaret, ejusque vice, ac nomine rescriberet, fimbrias nimium dilatare ceperit more Principis judicando; et eapropter, quum munus ille Auditoris Pontificii exerceret, ejusdem muneris præcipuam esse partem agnovit, id curare, ne in rescribendo Tribunal hoc ultra limites progrederetur; atque sibi aliquo ex hisce casibus delato, opportunas testatur dedisse provisiones, et præsertim in casu, de quo agitur sub titulo *de Beneficiis in dicto disc.* 144., et in plerisque aliis similibus; ipse enim satis intelligebat, quod ad Summum Pontificem pertineat omnem adhibere curam, ut Judices optime *suum expleant munus, quia vero hic ob Dignitatis majestatem, aliasque magnas occupationes rebus hujusmodi vacare non potest, idcirco esse debere onus ejus Auditoris; qui id negligendo male se gerere dicitur, atque invigilando, indebite Judices, et Magistratus conquererentur*.

Redeundo nunc ad novam Signaturæ formam, quam posteriori ætate accepit; juxta notata *per Marchesanum* (3) pro certo habetur, Alexandrum VII. peculiari Constitutione (4) Signaturæ reformationem indixisse, dum non modo qualitates assumendorum ad Referendariatum, ultra eas a Sixto V. decretas, præscripsit, verum erexit, ac instituit Collegium eorumdem Referendariorum, quod repræsentari voluit ex duodecim Votantibus Signaturæ Justitiæ, de corpore, ac numero ipsorum Referendariorum electis, ac in posterum eligendis; et quod antiquior eorum in officio Decanus appellaretur; cui quidem Decano tributa etiam facultas fuit interpretandi, quando occasio exigat, ac declarandi una

(1) *Disc.* 144. *de Beneficiis n.* 51.
(2) *Annot. ad disc.* 31. *n.* 5. *p.* 2.
(3) *Part.* 1. *cap.* 1. *num.* 11.
(4) *In Append. pag.* 24. *ad* 26.

una cum Auditore Pontificis, et altero Decano Signaturæ Gratiæ litteras Reformationis Tribunalium, a Paulo V., et Innocentio XII. editas; prout patet è Constitutione Clementis XII. 4. *aprilis* 1731. Electio vero Votantium antiquitus ita sequebatur, ut seniores in officio ex universo Referendariorum cœtu jure suo, absque electione in ordine Votantium cooptarentur.

Innocentius verò XII. anno Pontificatus sui quinto, Constitutione, quæ incipit: *Inter gravissimas, sub datum Romæ tertiodecimo Kalendas Augusti anno* 1695. (1) aliter sancivit, ut Signaturæ nempe Votantes ad suam, et pro tempore existentium Romanorum Pontificum electionem, ac providam deliberationem, habito respectu ad virtutis prærogativam, et meritorum excellentiam, crearentur; probè enim novit sapientissimus Pontifex, virtutis præstantiam non in sola muneris prioritate, seu antiquitate consistere, nam aliquando, ut ipsemet ait, posteriores in officio prioribus doctiores, et aptiores existere, compertum est.

Quibus quidem Referendariis non modo Votantibus, verum, et simplicibus Caput sive moderatorem, Præfecti nomine appellatum, Pontifices constituerunt, illumque Cardinalitia dignitate fulgentem; quod neque a Romano jure omnino discrepat, nam Referendariorum Præfectus Comes appellabatur, prout testatur *Mabillonius* (2); qui profecto ostendit, unum præ cæteris Referendariis Regum Francorum Primicerium, seu primum appellatum fuisse. Et recte id constitutum esse apparet; ex eo quia non possunt utique ordine suo res procedere, nec recte ad exitum pervenire ubi, qui in uno, eodemque Collegio ad judicandum proponuntur, pari inter se auctoritate existant, atque gradu, nec eorum quisquam cæteris præponatur, ait *Franciscus Rapolla*. (3)

Hæc namque Signaturæ Justitiæ Præfectura in maxima semper existimatione habita est; itaut, *Paulo V.* sedente, Cardinalis *Maphaeus Barberinus*, postea Pontifex assumptus sub nomine *Urbani VIII.* posthabita collatione cujusdam Abbatiæ duorum millium scutorum, ac recusatis annuis aliis reditibus mille, et quincentum eidem oblatis, ut Signaturæ Justitiæ Præfecturam dimitte-

(1) *In append. pag.* 29. *ad* 32.
(2) *De Re diplomatica cap.* XI. *n.* 2.
(3) *In Comment. Juris Regni tom.* 1. *pag.* 290.

teret, post obitum Cardinalis *S. Georgii* sibi debitam, ex eo quod morbo hic impeditus, in ejus locum substitutus erat, nullo unquam pacto eam dimittere voluit, et contentus extitit se potius carere reditibus illis, quam Præfectura, quia honor ei magis cordi erat, ut legitur in *Historia electionis Urbani VIII. a Francisco Henrico Witzendorffio* latine reddita, et ab *Hermanno Conringio* prælo commissa. Nec Præfectura hujusce Tribunalis honore tantummodo gaudet, verùm, et lucro, quum Præfecto hujus Signaturæ, non autem illi Gratiæ, ex antiquo stilo Camera Apostolica suo sumptu præstat stipendium menstruorum centum auri, eodem modo, quo præstat aliquibus Congregationum Præfectis, ait *de Luca in Relatione Romanæ Curiæ* (1).

Elenchum Præfectorum ejusdem Signaturæ, mutilum sane, nec absolutum, et a tempore *Leonis* X. inchoatum, ediderunt *Fattinellus* (2), *et Cohellius* (3). Quapropter illum hic instaurandum esse duximus, exordientes à tempore *Alexandri VI.* De eo namque laudatus *Cohellius* (4) ita loquitur: *Retroactis temporibus nulla fuit agnita differentia inter Signaturam gratiæ, et justitiæ. Alexander VI. hanc distinctionem decrevit, teste Gomesio, et Marchesano*. Et judicia eorum, qui delicatissimi fastidii sunt, quique quum unum, vel alium sibi fortasse notum, in qualibet serie non descriptum intueantur, eam statim aspernari solent, nihil omnino moramur. Nam in hac præsertim materia pro vero habetur, quod *non omnia possumus omnes, et facile sit inventis addere*.

Primo igitur loco collocandum arbitramur *Joannem Arcimboldum* Archiepiscopum *Mediolanensem*, a Sixto IV. Cardinalem creatum. De eo mentio est apud *Fattinellum* (5), et *Ciacconium*, qui verba *Majoragii*, illum laudantis in *Panigyri Joannis Angeli Arcimboldi* alterius Mediolanensis Archiepiscopi, noviter electi, refert, nempe: *Justitiæ signum, quo nullum in tota Romana Curia majus neque honorificentius officium est, usque ad obitus sui diem semper obtinuit*.

Sequitur deinde *Cardinalis Alexandrinus*; de quo in *Præfatione* Mi-

(1) *Disc.* 31. *num.* 18.
(2) *De Referendar.*
(3) *Notit. Cardinalat. cap.*57.*p.*310.
(4) *Loc. cit.*
(5) *In Append. de Referend.*

Michaelis Tramezini ad Formularium variarum Commissionum etc. editum Venetiis anno 1552. legitur, eumdem *Tramezinum* addidisse præterea praxim Signaturæ, *quæ colligi potest ex* 350. *formis rescriptorum olim D. Card. Alexandrini, ejus Signaturæ quasi Architecti.* Et deinde *in pag.* 21. ejusdem operis denuo laudatur prædictus *Card. Alexandrinus*, uti Signaturæ Justitiæ Præfectus; quem quidem fuisse *Joan: Antonium de S. Georgio* testatur *Ciacconius* (1), et ideo *Cardinalem Alexandrinum* appellatum, quia *Episcopus Alexandrinus* primum fuerat; idque patet etiam e sepulchrali inscriptione, Romæ existenti in *Ecclesia S. Celsi*, ab eodem relata; in qua legitur, ibidem sepultum esse *Corpus R. Domini D. Joannis Antonii de S. Georgio Mediolanen. Episcopi Sabinen. S. R. E. Cardinalis Alexandrini nuncupati.*

Successorem, conjicere licet, fuisse *Cardinalem Laurentium Campegium*, qui *Bononiæ* natus, pluribus Legationibus clarus præsertim ad *Conventum Nurimbergensem*, ut sententia Pontificis *Leonis X.* ad decretum *Cæsareum*, *Wormatiæ* promulgatum, exequutioni demandarentur, obiit anno 1539. (2). De eo mentio est in tractatu *Gambari de Legatis* (3); nam tunc temporis hic admissus fuit, eodem *Campegio* Præfecturam exercente, inter Referendarios (4).

Subrogatus legitur *Bartholomæus Guidiccionus Lucensis*, qui primum fuit Episcopus Aprutinus, *Pauli III.* Datarius, et anno 1539. creatus Cardinalis Presbyter titularis Sancti Cæsarii, deinde Pontificis Vicarius, Signaturæ Gratiæ, et Justitiæ Præfectus, Major Pœnitentiarius, et Episcopus *Lucensis*. Decessit anno 1549. (5). Vir fuit summæ integritatis, et doctrinæ. Eapropter, *Ciacconius* ait, *nonnullas Curiæ Romanæ consuetudines, præsertim in munere Datariatus scripto improbaverat, nulla vi, aut gratia permotus ad Jus violandum adduci se passus est.* Et *Vestrius* in Praxi Romanæ Curiæ testatur, præter opuscula innumera, illum exarasse viginti et amplius in utroque jure volumina magnæ molis, quæ in Bibliotheca Vaticana asservantur.

Suc-

(1) *Vitæ Pontif. et Card. to.* 3. *col.* 168.
(2) *Ciaccon. Loc. cit. col.* 384.
(3) *Lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 38.
(4) *Cobellius notit. Cardinal. cap.* 57. *pag.* 310.
(5) *Ciaccon. loc. cit. col.* 670. *ad* 671.

Successit *Joannes Angelus Medices Mediolanensis*, Cardinalis creatus tituli S. Pudentianæ anno 1549. a *Julio III.*, Episcopus *Cassanus in Calabria*, et Præfectus Signaturæ Gratiæ, et Justitiæ, qui dende post obitum *Pauli IV.* Cathedram pontificiam ascendit sub nomine *Pii IV.* At quia idem *Julius III.* illum Romandiolæ, et Ecclesiasticarum Copiarum Legatum deputaverat (1), in ejus locum Præfecturam obtinuit *Hieronymus Verallus Romanus*, inter Cardinales adscriptus 1549., et ad cælertem patriam evocatus anno 1556. (2).

Fabius Mignanellus Senensis ab eodem *Julio III.* anno 1551. Cardinalis creatus; præficitur deinde Signaturæ Justitiæ, et anno 1557. ex hac vita migravit. (3)

Eodem anno 1557. die 6. novembris eligitur dictæ Signaturæ Præfectus *Antonius Trivultius Mediolanensis*, ut patet è pontificio Brevi, quod asservari in Archivio Vaticano nos edocuit *Cl. Cajetanus Marinius*, ejusdem Archivii Præfectus. Qui quidem Cardinalis *Trivultius* in *Galliam* Legatus missus ad pacem conciliandam inter *Henricum III.* cum *Philippo II. Hispaniarum Rege* obiit in *Oppido S. Maturini* anno 1559 (4)

Ludovicus Simonetta Mediolanensis sub *Pio IV.* Datarius, et Cardinalis creatus anno 1561., et sub die 28. junii 1563. Præfectus fuit electus ad vitam, prout legitur in pontificio electionis Breve, in prædicto Archivio existenti. Obiit anno 1568. (5)

Joannes Paulus ab Ecclesia, *Terdonensis*, *a S. Pio V.* Cardinalis S. Pancratii creatus anno 1568., ab eodem Præfectus eligitur; et e vita decessit anno 1575. (6)

Alexander Cardinalis Sfortia, *Comitis S. Floræ* filius, et nepos *Pauli III.*, a *Gregorio XIII.* Archipresbyter Basilicæ S. Mariæ Majoris, et Præfectus Signaturæ Justitiæ; ut patet è sepulcrali inscriptione, existenti in eadem Basilica, et relata a *Ciacconio* (7), qui annum ejus emortualem fuisse ait 1581.

Alexander Riarius Bononiensis Cardinalis creatus anno 1578. sub

(1) *Ciacconius loc. cit. col.* 735.
(2) *Idem loc. cit.*
(3) *Idem col.* 777.
(4) *Idem col.* 855.
(5) *Idem loc. cit. col.* 925.
(6) *Idem loc cit.*
(7) *Idem loc. cit. col.* 961.

sub eodem Pontifice fuit Præfectus; obiit anno 1585. (1). Et in ejus funebri elogio, quod extat ante Altare majus Ecclesiæ SS. XII. Apostolorum, fit mentio dictæ Præfecturæ.

Joannes Baptista Castruccius Lucensis, Canonicus primùm *Basilicæ Vaticanæ*, Archiepiscopus *Theatinus*, Cardinalis creatus anno 1585., post obitum *Cardinalis Riarii* eidem in Præfectura suffectus (2); obiit *Lucæ* anno 1595.

Sub *Clemente VIII. Cynthius Passer*, filius *Aurelii Passeri Senogalliensis*, et *Juliæ Aldobrandinæ*, et proindè ab eodem Pontifice in *Aldobrandina* familia cooptatus, inter Cardinales adscriptus anno 1593., absens deinde a Curia, Romam revocatus Præfecturam, et Avenionensem Legationem assequutus fuit. Die prima Ianuarii anni 1610. è vita discessit. (3)

Maphæus Cardinalis Barberinus eamdem Præfecturam obtinuit, atque exercuit usquequo ad Pontificatum assumptus fuit sub nomine *Urbani VIII.* die 28. augusti anni 1623.; qui deinde in ejus locum interim subrogavit pro Vicepræfecto *Berlingerum Gipsium Bononiensem*, *Arimini Episcopum* (4).

Franciscus Barberinus Cardinalis S. Agathæ ab eodem Pontifice, ejus patruo, Præfectus eligitur; successit postea *Antonius Cardinalis Barberinus*, alter nepos Pontificis, ob cessionem, ut ait *Cohellius*(5), dictæ Præfecturæ eidem factam a prædicto Cardinale *Francisco* ejus fratre. At anno 1625. discedente ab Urbe prædicto *Cardinali Antonio* fuit *Vicepræfectus Ludovicus Sarego Veronensis*, *Adriæ Episcopus*, qui diù apud *Helvetios* fuerat *Pontificius Nuncius*, et obiit die 5. augusti ejusdem anni, ut patet ex inscriptione funebri, quæ extat in *Basilica Liberiana* prope Capituli Chorum. Et deinde alter Pro-Præfectus electus fuit sub die 20. ejusdem mensis, et anni *Lucas Antonius Virilis*, qui hujusmodi munus exercuit usque ad diem 18. decembris prædicti anni, in quo è *Gallia* rediit *Cardinalis Antonius Præfectus*. Et quum hic idem die 12. novembris 1629. declaratus fuisset *Legatus a Latere ad quoscumque divertisset*, subrogatus fuit in Vice-Præfectum supradictus *Berlingerius Gipsius*, jam Cardinalis creatus (6).

Fuit

(1) *Ciaccon. loc. cit. to.4. col.54.*
(2) *Idem Loc. cit. to 4. col.153.*
(3) *Idem loc. cit. col. 285.*
(4) *Regest. Signaturæ.*
(5) *Notit. Cardinalatus pag.310.*
(6) *Regest. Signat.*

Fuit deinde ejus successor *Julius Sacchettus Florentinus*, Cardinalis, Episcopus *Gravinensis*, et *Tusculanus*; de eo ait *Ciacconius* (1): *Signaturæ Justitiæ Præfecturam obtinuit, summoque omnium præcipue Curialium plausu laudabiliter substinuit tres supra viginti annos integros, donec anno* 1663., *ut Alexandro summo Pontifici morem gereret, libere in ejus manibus dimisit non sine gravi Tribunalium, et Litigantium quærimonia*.

Postmodum idem *Alexander VII.* præfecit *Flavium Cardinalem Chisium Senensem*, suum ex germano fratre nepotem (2).

Eo defuncto anno 1694. Pro-Præfectus fuit Cardinalis *Fabritius Spada*, *Romanus* (3).

Et anno 1696. Præfecturam obtinuit *Joannes Jacobus Cavallerinus Romanus*, creatus Cardinalis 18. decembris 1695. Obiit 18. februarii 1699. (4)

Post illius obitum Præfecturam exercuit laudatus Cardinalis *Spada*, qui ut supra diximus, fuerat paulò ante Propræfectus; obiit anno 1717.

Successit Cardinalis *Bernardinus Scottus Mediolanensis*, qui decessit an. 1726.

In ejusdem locum subrogatus fuit *Laurentius* Cardinalis *Corsinus Florentinus*; cui primum a cognitionibus, Auditorem vocant, fuerat *Joannes Xaverius de Leone*, meus Civis, eoque ad Episcopatum *Æserniensem* promoto, fuit *Marcellus Passer*, æque meus civis, et propinquitate conjunctus, deinde Cardinalis Pro-Auditor; qui non parva beneficia, dum Conclavista erat dicti Cardinalis *Laurentii*, contulit ejusdem electioni in summum Pontificem sub nomine *Clementis XII.* (5).

Et is post suam ad Pontificatum assumptionem designavit Præfectum *Alamannum* Cardinalem *Salviati Florentinum*; qui obiit an. 1733.

Successor deinde fuit *Nereus* Cardinalis *Corsinus* ejusdem Pontificis nepos; quo absente, die 3. augusti 1747. interfuit in plena Signatura Cardinalis *Guadagni*, et Præfecti vices gessit. Demum idem Cardinalis *Nereus Corsini* senio confectus,

(1) *Loc. cit. to.* 4. *col.* 551.

(2) *Fattinell. de Referend. pag.* 79.

(3) *Idem loc. cit. pag.* 80.

(4) *Guarnacc. Vit. Pontif. et Card. to.* 1. *pag.* 418.

(5) *Idem in Vita Cardinalis Passari.*

ctus, utendo facultate sibi concessa a Pontifice in Brevi sub datum 6. junii anni 1769. praevia apocha resignationis per instrumentum publicum sub die 9. dicti mensis in actis Cataldi Notarii Curiae Capitolinae resignavit Praefecturam Eminentissimo Domino Cardinali *Andreae Corsino* ejus nepoti, meritissime eam in praesens exercenti.

Occasione gravium, ac assiduorum laborum, quos tam Votantes, quam simplices Referendarii sustinent, quamplurimis a variis Pontificibus condecorati sunt privilegiis, quorum equidem seriem hic summatim referre non inutile esse existimamus. Et primum Paulus III. inhaerendo vestigiis Leonis X., et Clementis VII. motu proprio (1) eos Familiares, ac continuos commensales Pontificios appellavit, et in Sanctae Sedis Notarios gratiosè recepit, eos veró qui Praesules existebant, in Sacri Palatii, et Aulae Lateranensis Comites adscivit, qui vero Nobiles non essent, Nobiles fecit, ac constituit, tanquam ex magno Baronum, et Nobilium genere procreatos, et ex Nobilium genere ex utroque parente; et in signum honoris, ac Nobilitatis hujusmodi eis, et eorum cuilibet pro insigniis, et stemmatibus, quibus ipsi utuntur, partem insignium suipsius assignavit, etiamsi sine propriis stemmatibus illis uti voluissent; facultatem etiam elargitus fuit eligendi, quos idoneos repererint, ad officium Tabellionatus ubique locorum etiam extra muros Urbis, necnon legitimandi, ac habilitandi ad haereditates, et bona, et ad officia secularia publica, ac privata quoscumque spurios, naturales, bastardos, manseres, nothos, incestuosos copulativè, ac disjunctivè ex quocumque illicito, sacrilego, ac damnato coitu, viventibus, seu mortuis eorum parentibus, ad instar Collegii Archivii Romanae Curiae, juxta facultates ei concessas a Julio Papa II.

Eisdem insuper indulsit facultatem, quoscumque idoneos, adjunctis sibi assistentibus duobus, aut tribus Magistris, seu Doctoribus, aut Licentiatis in facultate, in qua promovendi erunt, quos ad hoc duxerint eligendos, eorum Votis juratis, in utroque jure, et Theologia, ac Artibus, ad Baccalaureatus, et Licentiaturae, ac Doctoratus, et Magisterii gradus ubique locorum

(1) *Constitut.* 24. *Bull. nov. tom.* 1. *et in appendice pag.* 1. *ad* 14.

rum promovendi, cum eisdem prærogativis, quibus alii in Bononiensi, Parisiensi, Lovaniensi, Tholosana, ac cæteris Universitatibus promoti, etiam in assequutione Beneficiorum Ecclesiasticorum, utuntur.

Commendata Monasteria, quorum Abbates Mitra, ac cæteris Pontificalibus usi sunt, si dicti Referendarii obtinuissent, eisdem concessit in ipsis Monasteriis, perindè ac si Abbates ipsi præessent, Mitra, Anulo, et Baculo Pastorali, et aliis Pontificalibus uti, ac solemnem Benedictionem post Missarum, ac divinorum Officiorum solemnia impartiri, dummodò vel aliquis Antistes, Legatusve S. Sedis inibi non intersit, eoque interessente de illius assensu.

Decrevit ulterius, ut singuli Referendarii habeant duos familiares in rotulo familiæ Pontificiæ descriptos, et ipsi Referendarii expeditionem quarumcumque litterarum Apostolicarum, tam gratiam, quam justitiam concernentium, necnon Instrumentorum, et aliarum quarumcumque rerum ubique in omnibus Officiis tam Cancellariæ, quam Sollicitatorum literarum Apostolicarum, Cameræ Apostolicæ, et in Auditorio Rotæ, et in quibusvis aliis Ordinariorum, et extraordinariorum Judicum Tribunalibus gratis habeant, prout alii familiares, ac continui commensales in rotulo descripti, et Causarum Palatii Apostolici Auditores.

Concessit etiam, ut eorum singuli quotannis pro peculiari usu ex *Ripa*, et *Ripetta* Urbis extrahere possint sex vegetes vini communis gratis, ad instar Clericorum Cameræ. Exemptos deinde eos declaravit ab omni Jurisdictione Ordinarii, itaut omnia, et singula Beneficia, sive officia Ecclesiastica ab eisdem obtenta, ac in futurum obtinenda, et in illis pro tempore deservientes Capellani, Familiares, et Servitores sui, et propria, ac illorum bona, quoad vixerint immunia forent ab omni Jurisdictione, correctione, visitatione, dominio, ac potestate Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum, et Ordinariorum locorum quorumcumque, Officialium, & Judicum, etiam à S. Sede delegatorum; eosque in rebus, et bonis propriis dumtaxat, et cum eis contrahentes, a solutione, et exactione quarumcumque gabellarum, bollectarum, decimarum, et cujusvis alterius oneris tam ordinarii, quam extraordinarii, ubicumque loco-

locorum, et ex quacumque causa etiam per Synodales Constitutiones impositi, vel imponendi, exemit, et liberavit; sub protectione Beati Petri, et S. Sedis suscepit, sibique immediatè, ac S. Sedi subjectos declaravit.

In gratiis expectativarum absque aliqua Signatura obtinenda iussit eos præferri, et quod ipsi ad satisfaciendum Constitutioni *de publicandis* acceptationibus, et provisionibus, ac illis intimandis possessoribus minimè teneantur, tantummodò novam provisionem habere debeant a die vacationis Beneficiorum, in quibus si Ordo sacer ex statuto, fundatione, consuetudine, vel privilegio requiratur, indulsit etiam, ne per septennium à fine anni, à Jure statuti, decurrendum, se promoveri facere teneantur.

Naturales item eos declaravit omnium Regnorum, Dominiorum, et Provinciarum, itaut ipsi, vel eorum Procuratores in Regnis, et Provinciis hujusmodi quæcumque Beneficia Ecclesiastica cum cura, et sine cura obtinere valeant, ac si oriundi, et nati in illis essent. Et, si contigerit eos absentes esse Pontificis jussu, vel studii occasione, quod in absentia Beneficiorum fructus percipere possint, concessit.

Confessarii electionem indulsit, qui in casibus S. Sedi reservatis, aliquibus exceptis, ac etiam in omnibus Votis, præter Visitationis liminis Apostolorum, ultramarinum S. Jacobi in Compostella, Castitatis, ac Religionis, absolvere, et commutare possint. Facultatem insuper eisdem dedit habendi Altare portatile, et celebrandi in locis, Interdicto Ecclesiastico suppositis, Indulgentias Stationum Urbis, visitando Altaria per semetiptos eligenda; carnibus, ut vesci possint diebus vetitis; et Canonicas horas postpositis horis recitare; testarique etiam de bonis adquisitis ex reditibus Beneficiorum, prout Auditores Rotæ; eademque Beneficia resignandi, ac permutandi. Jussit demum laudatus Pontifex, quod Referendariatus officium duret quoad vixerint, et primò admissi cæteris præferantur.

At inter recensita privilegia nonnulla retractata deprehenduntur, prout sunt præsertim dispensatio defectus natalium, retentio beneficiorum incompatibilium, Notariorum creatio, ac dispositio suorum Beneficiorum, quod è *Regula XIV. Cancellariæ* satis perspicuè innotescit. Et quamvis ante Pontificatum Bene-

dicti *X*III. non adeo clara res esset, num dicta *Regula* X*IV*. comprehenderet etiam Referendarios, itaut omninò vi ejusdem Regulæ, quæ tantummodo de Patriarchis et aliis Personis, ac Prælatis loquebatur, derogatum esset hujusmodi privilegio disponendi de suis Beneficiis per viam Resignationis, vel permutationis coram Ordinario, vel aliis in dignitate costitutis; attamen quædam resolutio emanata fuit contra Referendarios, qui nunquam hoc usi fuerunt privilegio; et in Congregatione, habita pro conficiendis Cancellariæ regulis, opportunum visum fuit *Regulæ* addere, *ac etiam utriusque Signaturæ Referendariis*, ad effectum tollendi in posterum quamcumque dubitandi rationem super dicti privilegii revocatione; ideoque è *Riganti* (1) habemus, verba illa, quæ hodie in dicta *Regula* leguntur, fuisse addita a Benedicto XIII. in assumptione ad summi Apostolatus apicem.

De Exemptione verò a Jurisdictione Ordinarii, quae Referendariis indulta fuit, *Fagnanus* disputat (2), an nempe sublata fuerit aliquo Tridentini Concilii decreto, et hinc inde adductis variis dubitandi rationibus concludit, eam non fuisse retractatam, quum Referendarii non reperiantur expressi in Decreto Concilii, contento *in Cap.* 3. *et* 4. *Sess.* 14., vel *in Capite* 11. *sess.* 24.; neque per illam clausulam, quæ ibi legitur, *et aliis hujusmodi*, adfirmat ille, comprehensos fuisse Referendarios; ea enim comprehendit tantum habentes officia expressis similia, et Referendarii juxta doctrinam *Sarnensis* (3) majores cæteris Officialibus, in dicto Capite expressis, reputantur, ex eo præsertim, quod in regulis expectativarum, et prærogativarum, omnium primi Referendarii describantur, deindè Protonotarii participantes, et alii Romanæ Curiæ Officiales. *Zerola* vero auctor *Praxis Episcoporum* (4) ostendere conatur, illos tantum exemptos esse, qui sunt de numero, alios verò non, quia hodie sunt innumerabiles. Et *Staphilæus* (5) ait, eos neque excommunicari, neque interdici posse ab Episcopo, quum sint Officiales Papæ, attamen intelligi debere de illis principalibus Referendariis Justitiæ, et Gratiæ, quos sua ætate undecim fuisse asserit. *Aloysius* Ric-

(1) *Comment. ad regulas Cancellariæ tom.* 2. *pag.* 182. *n.* 9.

(2) *De Privilegiis Cap. ex parte* 18.

(3) *In Compendio V. S. n.* 32.

(4) *Part.* 1. *verbo Referendarii*.

(5) *Prærog. Expectativ. n.*15. *fol.*118.

Riccius (1), eos subesse locorum Ordinariis ratione Beneficiorum, quæ habent in partibus, demonstrat. Attamen *Barbosa* (2) luculentèr firmat, Doctores istos tenorem Constitutionis Sixti V. *in* §. 8. aut non vidisse, aut minime percepisse; ibi enim Pontifex ille eos exemit ab omni Jurisdictione Ordinariorum; et Constitutio Sixtina clausulis amplissimis, ac derogatoriis præcedentibus Constitutionibus munita, posterior est Synodo Tridentina; idcircò privilegium Exemptionis ab Ordinarii Jurisdictione, etiam delegata, vi dictæ Sixtinæ Constitutionis, de qua inferius verba faciemus, quatenus ademptum fuisset a dicta Synodo, omninò reviviscit. Quoad familiares verò, cæterosque Referendariorum servitio addictos, docet idem *Fagnanus*, exemptionis prærogativa, à Paulo III. indulta, non gaudere, ex eo potissimum, quod in Sixtina Constitutione nulla eorumdem mentio fit.

Censent aliqui, quos inter est *Calcagninus* (3), exemptionem Referendariorum potentiorem esse privilegio legis *unic. Cod. Quando Imperator inter Pupillum, et Viduam*; itaut si quæstio emergat de avocatione alicujus causæ, et concurrat in ea aliqua persona, cui privilegium dictæ legis competat, non vigeat illa vulgaris propositio, inter duos æque privilegiatos privilegia quiescere, et reduci ad limites juris. Nullus enim Referendariorum Judex est, nisi Summus Pontifex, ejusve Auditor, qui privative quoad omnes exemptorum Causas, et negotia definire solet, juxta suas facultates, quas, ut legitur apud eumdem *Calcagninum* recenset *Ridolphinus in praxi* (4). Hinc laudatus *Calcagninus* adnotare prosequitur, privilegium dictæ *Leg. unicæ* attendendum non esse in *Causis Referendariorum, quæ debent recognosci a Papa, vel ab Auditore Cameræ, privativè quoad omnes Judices*.

Hujusmodi privilegium Referendariis concessum prodest etiam, si extra Romanam Curiam iidem moram traxerint, quia si prodesset dumtaxat illis, qui in Curia morantur, dicta Exemptionis prærogativa inutilis profecto esset; nam si ipsorum aliquis conveniatur, dum Curiam sequitur, satis profecto eidem esset allegare privilegium *Eugenianæ*, qua cavetur, omnes, Romanam Cu-

(1) *Praxis Aurea Resol.* 30.

(2) *Lib.* I. *Juris Ecclesiastici cap.* 22. *n.* 15.

(3) *Part.* I. *Obser.* 3. *n.* 63. 64., *et* 65. *de Avocatione Causarum*.

(4) *Part.* I. *Cap.* I. *n.* 33. *cum seqq.*

Curiam sequentes, non posse alibi conveniri, quam in ipsa Curia; et ita fuit resolutum à Signatura Pontificis de anno 1614., et Resolutionis verba recensentur a *Marchesano* prout sequitur, (1) *Quod solum existentes Referendarii in Romana Curia privilegio potiantur, Dominis visum non fuit relevans, quia in ea præsentes jam Eugenianæ favore gaudent, meritò extra Curiam, ubi sunt Ordinarii, venit intelligendum, ut illis nón subsint, alias frustratorium redderetur, quod esse non debet, præcipuè quia motu proprio concessum reiteratè*. Et quamvis extra dubium sit, illos eadem exemptione gaudere, quando absint de licentia Pontificis, ex eo quia tunc haberi debent tanquam præsentes, tamen id etiam adnotare *Calcagninus* post *Cherubinum* (2) non prætermisit.

Quæ quidem omnia intelligenda esse tradit ipsemet *Calcagninus*, quando Referendarii essent Rei conventi, non vero Actores; tunc enim illis obstare regulam obtinentem inter privilegiatos, actorem nempe debere sequi forum rei; itaut, etiamsi in prosequutione Judicii Referendarii assumerent figuram rei, nihilominus obtinere non possent adversus privilegium dictæ *Legis Unicæ*; prout edocemur è Resolutione, capta à Signatura Justitiæ sub die 22. *augusti* 1709. in una *Ravennaten. pro Domina Gentile Paradisia contra R. P. D. Raynaldum de Albitiis proponente R. P. D. Gentili*.

Hactenus de Privilegiis, in Constitutione *Pauli III.* contentis, videndum modo est, quidnam præstiterit *Sixtus V.* (3). At priusquam recenseamus omne id quod in ejus Constitutione statutum legitur, praemittendum duximus, antiquitus Referendariorum numerum indefinitum fuisse, ut patet è *Codice Cæremoniali Vaticano* (4), tempore *Alexandri V.* confecto, anno nempe 1409., cujus verba eò magis hic transcribimus, quia ex eisdem apparet quanam circumspectione electio Referendariorum fieri solebat, et quibus virtutibus eos ornatos esse oportebat. Verba igitur praedicti Codicis sunt haec; quae sequuntur: *item solent Summi Pontifices in numero, de quo eis placet, Referendarios sibi eligere Prælatos, seu alios eminentis scientiæ, probitatis, et experientiæ in factis Curiæ Romanæ, quorum unus dumtaxat communi-*

(1) *De Commiss. p. 2. fol. 614.*
(2) *In Compendio Bullæ Sixti V. Bul. nov. t. 2. p. 543. et in Append. p. 17. ad 21. 41. Schol. 1.*
(3) *Quæ incipit*: Quemadmodum *Bull. 41.*
(4) *Gattico Acta Cærem. S.R.E. t. 1. p. 265.*

muniter solet Cameram in Palatio Apostolico habere. Si autem sit Prælatus, vel alius pinguior beneficiatus non consuevit de Palatio provisionem habere. Ad horum autem officium quid pertinet non exprimitur, quia satis notorium est.

Procedente tempore adeo excrevit Referendariorum numerus, ut laudatus Pontifex *Sixtus V.* sua Constitutione anni 1586. (1) summa instituta querimonia de nimia indulgentia in Referendariorum creatione, et de pristinae dignitatis diminutione ob eorumdem multitudinem, certum, et determinatum numerum, nempe centenum praescripsit; atque expresse inhibuit, ne ullo unquam tempore praedictus numerus augeretur. Eademque constitutione deinde illos in suos, et pro tempore existentis Romani Pontificis familiares, et continuos commensales gratiose recepit, et ab omni etiam Jurisdictione Ordinariorum exemptos declaravit, et Apostolicæ Sedi immediate subjecit, nobilitatis titulo decoravit, et veræ nobilitatis insignia gentilitia una cum suis stemmatibus gestare indulsit; cætera vero, quæ sequuntur privilegia, penè coincidunt cum illis superius expressis præter illud extensionis Bullæ *Bonifacii VIII.*, (quæ incipit *Statutum*) ad eosdem Referendarios, itaut ipsi omnes sint, et esse censeantur in dignitate Ecclesiastica constituti, et juxta dispositionem ejusdem Constitutionis qualificati, etiam ad hoc ut in eorum manibus pensiones ab iis, qui sufficienti ad hoc facultate suffulti fuerint, transferri valeant; et hujusmodi translationes Pensionum, coram ipsis factæ, validæ, et efficaces existant, suosque effectus sortiri debeant.

Occasione relatæ Sixtinæ Constitutionis animadvertendum duximus, nullius penè momenti esse quæstionem illam a *Moneta* promotam, et a *Barbosa* denuò excitatam, num nempe Referendarii in Conservatores eligi possint, ex ea ratione, quod quamvis dicantur habere Dignitatem simul cum officio, juxta sententiam *Vestrii in praxi lib. 1. cap. 3. Gravat.* (2), *Cassanei* (3), *Gomesii* (4), et *Cardinalis Jacobat.* (5); attamen illi, quum dignitatem verè non dicantur habere in aliqua Ecclesia Cathedrali, vel

(1) *In Append. pag.* 17. *ad* 21.
(2) *Num.* 10.
(3) *In Catalogo gloriæ Mundi pagin.* 7. *Consid.* 11.
(4) *In Compendio V. S.*
(5) *De Conciliis lib.* 1. *art.* 5. *n.* 5.

vel Collegiata, deputari non possunt Conservatores. E' verbis enim Sixtinæ Sanctionis apertissime patet, Referendarios Dignitatem habere parem, et coæqualem Dignitati, quæ a constitutione *Bonifacii VIII.*, innovata a *Clemente VIII.* anno 1592.; et a *Gregorio XV.* anno 1621. (1), requiritur in Judicibus delegatis; et dispositio ejusdem sequens est: *sancimus igitur, ut nullis, nisi Dignitate præditis, aut personatum obtinentibus seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis Causæ etc. de cætero committantur*; recteque sacra Congregatio Concilii de *anno* 1650. quum quæstio esset an Protonotarii, ex eo quia Dignitatem non habent in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata deputari possint Conservatores, censuit posse, ex eo quod Dignitatem habent in Ecclesia Romana, quæ omnium aliarum mater est, et magistra. (2)

Diù Sixtina inhibitio quoad Referendariorum numerum non stetit, immò eam planè exolevisse certum est, quum passim deinceps crearentur Referendarii ultra dictum praefixum numerum. Hinc *Christophorus Robusterius* Hispanus Romanae Rotae Auditor, et postea, dimissa Episcopali Cathedra Oriolensi, unus ex XII. Votantibus, requisitus a tunc temporis Signaturae Praefecto, de illorum multitudine resecanda, discursum edidit, integrè transcriptum a *Marchesano* (3); qui deinde variis rationum praesidiis accuratissimè expendit, ac demonstrandum sumit, Referendariorum multitudinem Causarum expeditioni plurimum juvare, Romanaeque Curiae decus augere, et nobilibus Juvenibus incitamento esse, ut alacrius studiis incumbant, iisque absolutis eam dignitatem adipiscantur.

Referendarii, qui Votantes sunt Signaturæ Justitiæ, sicut muneris dignitate cæteris simplicibus Referendariis antecellunt, ita, et peculiari honoris prærogativa decorati fuerunt: Paulus enim V. violaceas illis vestes indulsit, prout testantur *Lunadorus* (4), et *Cohellius* (5); quam postea prærogativam *Alexander VII.* etiam Auditoribus Rotæ communicavit (6); qui quidem mox recensi-

---

(1) *Contenta in Cap. Statutum de rescriptis in 6.*

(2) *Cap. 2. de Summa Trinit. cap. antiqua de privilegiis.*

(3) *De Commis. §. 1. cap. 1. n. 82.*

(4) *In suo Opere*: Relazione della Corte di Roma.

(5) *Notit. Cardinalat. cap. 57. Reg. 308.*

(6) *26. Octobris 1655. in litteris in forma brevis.*

situs Alexander dum suppressit, ut ex suo Brevi apparet (1), Officia Subdiaconorum, et Acolythorum, et Rotæ Auditoribus Subdiaconatus Apostolici munus injunxit, Acolythos creavit Referendarios Votantes Signaturæ, cum eodem omninò honore assistendi, et inserviendi Romano Pontifici pro tempore existenti, tam in Capella Apostolici Palatii, quam in aliis, in quibus Romano Pontifice præsente divina celebrantur Officia.

Clemens deinde IX. summa, et laudabilia eorum merita animadvertens, spirituali eorumdemque consolationi benignè consulendo, Motu proprio (2) facultatem impartitus fuit erigendi in domo cujuslibet habitationis, etiam in hac alma Urbe, Oratorium privatum, et in eo unam Missam pro unaquaque die celebrandi perseipsos, si Sacerdotes fuerint, vel per quemcumque Sacerdotem approbatum; ita tamen, ut familiares eorum servitiis non necessarii, ibidem Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam diebus festis de præcepto immunes minime censeantur.

Præterea Innocentius XII., eorumdem Votantium Collegio prædicta Constitutione, ut diximus, in meliorem ordinem redacto, ut alacrius fidem, operam, industriam, et sedulitatem in tanti muneris exercitio adhibere studeant, alia majori honorificentia decorare Votantes voluit, et eapropter eis concessit, ut in omnibus, et quibuscumque Congregationibus, sessionibus, processionibus, functionibus, cæterisque actibus publicis, et privatis etiam coram Summo Pontifice, *Rocchettum* palam deferre, et gestare, illoque induti publicè incedere possint, necnon *Cappas magnas*, quibus iidem Votantes in Capella Pontificia utuntur, etiam in Signaturae Justitiae congressu, dùm collegialiter assistunt pro Causarum Commissionibus (3). Exemptos insuper eos declaravit sub *anno* 1692. peculiari Chirographo ab omni solutione publicorum onerum, et aequavit Gubernatori Urbis, Auditoribus Rotæ, ac Apostolicæ Cameræ Clericis; qua de causa jussit etiam, ut tam dicto Urbis Gubernatori, Rotæ Auditoribus etc.; quam dictis Votantibus pro immunitate eis concessa Doanæ, et datiorum Urbis solverentur a R. C. Apostolica annua scuta quin-

D qua-

(1) *In Append. pag.* 21. *ad* 24.
(2) *In Append. pag.* 27. *ad* 28.
(3) *In Append. pag.* 29. *ad* 32.

quaginta pro quolibet, et res omnes, tam eorum, quam Familiæ usibus destinatæ, prædictis oneribus deinde subjiciantur.

Et quia absque ullo stipendio DD. Votantes labores penè incredibiles subire cogebantur, dignum, quin potiùs debitum reputavit laudatus Pontifex *Innocentius XII. anno* 1693. prævia abolitione Præfecturæ Congregationis confinium, eidem Collegio assignare scuta mille, et biscentum quotannis, menstruatim inter ipsos æque dividenda, prout liquet è mandato Pontificio exhibito in plena Camera per acta *Antamori* a Secretis ejusdem Cameræ (1). Non minori deinde liberalitate eosdem DD. Votantes prosequutus fuit *Benedictus XIII.*, qui prævio Apostolico mandato Eminentissimo Domino Cardinali S. *Clementis* nuncupato, S.R.E. Camerario *sub die* 24. *septembris* 1725. directo, animadvertens summoperè assiduos, gravesque labores ejusdem Collegii in æstivis præsertim Congregationibus, honorarium prædictum adauxit ad scuta annua tria millia, et octicenta, ut alacriter, et ex animo operam, ac sedulitatem omnem in eorum munere adhibere non sinerent; quæ quidem scuta bismille, et sexcenta adjecta scutis mille, et biscentis ab *Innocentio XII.* assignatis, è reditibus, ac proventibus Dohanarum Urbis iisdem solvenda esse statuit, ea tamen adjecta lege, ut annua scuta quincenta Decano ipsius Collegii, et annua tercenta cuilibet cæterorum Votantium, prævio ordine ipsiusmet Decani, initio cujuslibet mensis debeantur; et si vacationis casus acciderit, jure accrescendi pro rata fieret locus, derogando omnibus Constitutionibus adversantibus, et præsertim *Pii IV. de registrandis*. Quod quidem Benedicti XIII. Chirographum manu propria subscriptum peculiari Constitutione, quæ incipit, *Singularis dilectorum filiorum Collegii*, confirmavit *Clemens XII.*, ut patet è codice suarum Constitutitionum. (2)

Eorumdem Votantium fidem, industriam prudentiam, ac dexteritatem multis rerum experimentis spectatam habens laudatus Pontifex *Benedictus XIII.*, ut eo alacrius majora Apostolicæ Sedi obsequa præstarent, et in munerum sibi demandatorum exequutione summo studio perseverarent, Constitutione inter

---

(1) *In Append. pag.* 33. (2) *Tom.* 1. *pag.* 333.

suas nonagesima prima *sub datum Romæ apud S. Petrum die xij. Iulii MDCCXXVII.* munificentissimè illis tam præsentibus, quam futuris indulsit, ut omnes, et singuli Galeri redimiculum, *Cordone* vulgò nuncupatum, coloris violacei in quibusvis functionibus, atque actibus publicis, et privatis ubique deferre, et licitè, ac liberè gestare possint, sublata cuicumque aliter judicandi, sive interpretandi facultate, et non obstantibus Constitutionibus Apostolicis forsan contrariis. (1)

In præmium etiam laborum suorum, ea quæ Prædecessores prudenti liberalitate elargiti fuerunt DD. Votantibus, pari immò uberiori benignitate ampliavit Clemens XII. Constitutione, quæ incipit, *Creditæ nobis divinitus*, *sub die* 25. *Ianuarii* 1731., qua iisdem, ac successoribus concessit usum Mantelli magni *Mantellone* vulgò appellati, ac Pilei Pontificalis, eorumdemque ornamentorum, quibus Capellani, et Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Clerici Cameræ Præsidentes in solemnibus Equitationibus utuntur, ac demum pro firmiori validitate dictæ concessionis clausulis consuetis Constitutionem ipsam munivit. (2)

Clementem etiam XI. eximia Votantium Signaturæ merita moverunt, ut Constitutione, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, sanciverit, eos nempe posse transferre pensiones annuas Apostolica auctoritate sibi reservatas super quibusvis fructibus Ecclesiasticis usque ad summam scutorum centum monetae, etiam in articulo mortis coram Notario, et Testibus, et cum alicujus Praelati, seu personae in dignitate Ecclesiastica constitutae interventu, servata forma Constitutionis *Innoc.* XI. super translatione pensionum editae. Et ne ulla difficultas in posterum oriretur, an eodem Indulto Votantes gauderent post dimissum officium, alia Constitutione, quae etiam incipit, *Creditæ nobis* (3), jussit, ut ipsi, dimissis etiam Votantium hujusmodi officiis, facultatem transferendi pensiones annuas usque ad summam scutorum centum monetae, ut supra, haberent.

Et quamvis laudatus Pontifex Clemens XI. Indultum Votantibus concessum transferendi pensiones, ut superius recensuimus, ampliaverit; attamen anno 1740., quum *Sardinius*, unus ex

 Si-

(1) *In Append. p.* 49. (2) *In Append. p.* 71. (3) *In Append. p.* 45. *ad* 46.

Signaturae Votantibus Clerico *Iacobo Mariotto* resignavisset pensionem annuam scutorum 60., quam exigebat ab R. P. D. *Amato* titulari, et translatarius terminos decursos expostulasset, et ille solvere renuisset sub praetextu defectus facultatis transferendi, instructum fuit Judicium coram Praefecto Sacri Palatii Apostolici, qui favore Translatarii pronunciavit, ac mandata pro decursis terminis relaxavit; a quo judicato reclamante dicto R. P.D. *Amato*, ac Rotae appellatione commissa, dubium concordatum fuit, *an dicta mandata essent exequenda*; eoque discusso, affirmativè resolutum fuit. Excipiebatur enim de defectu facultatis transferendi in persona *Sardinii*, ex eo quia per sententiam A. C. in Criminalibus ad decennium fuerat relegatus in arce Castri S. Angeli Urbis, ac insuper vivae vocis oraculo Clementis XII. demandatum, ne in posterum *Sardinii* nomen in Albo Praelatorum describeretur; ideoque quemadmodum per haec remansit ille spoliatus Praelatitia dignitate, ita per consequens frui amplius non poterat hoc transferendi privilegio, Votantibus concesso, cujus vigore pensionem transtulerat; nam intuitu certae, ac determinatae qualitatis, seu dignitatis elargita privilegia extingui prorsùs, contendebat titularis, statim ac dignitas illa cessat, et eò vel magis, quia dictus *Sardinius* ob ejus crimina, tanquam patrata in ipsum Principem, et contra fidelitatis Juramentum, in decennalem relegationem damnatus fuerat, atque privatus officiis Advocati Consistorialis, et Clericatus Camerae, et propterea infamiam Juris contraxerat, nec gaudere poterat offensi Principis beneficiis, quorum se indignum effecerat.

At quia è dicta Sententia condemnatoria non liquebat, illum spoliatum fuisse Praelatitia dignitate, sed tantum Officio Advocati Consistorialis, et Clericatus Camerae, et in pœnalibus non est facienda extensio, nec multiplicandae sunt pœnæ, ultra eas, quas imperat Princeps, immo nec Praelaturae privationem deducere poterat Titularis ex illo vivae vocis oraculo, quo demandatum fuit, *ut in futurum illius nomen non adnotetur in albo Prælatorum*, quum non aliud demonstrare valeret, quam temporalem Praelaturae suspensionem, et temporaneam interim prohibitionem descriptionis, praecisam verò privationem inducere nequiret. Hanc enim Summi Pontificis intentionem suspicatur *Rota* ex eo potissimum, quia durante relegatione, et vix expleto trien-

triennio idem Summus Pontifex permisit, ut ad Civitatem Albani se transferret, ubi palam a summis, ac praecipuis ejusdem Summi Pontificis Ministris Praelati honore, ac titulo decoratus fuit; et Benedictus XIV. in quodam motu proprio pluries uti Praelatum denominavit, eidemque Praelatitios titulos donavit.

Et quatenus dicta Praelatura omninò spoliatum fuisse pro certo haberetur, jure tamen transferendi pensiones privatum non remansisse censuit *Rota*; nam Clemens XI. Indultum illud concessit non ratione Praelaturae, ac officii Votantis, sed quidem intuitu personarum in remunerationem laborum, quos Votantes sustinent in Causis decidendis, ut è verbis indulti apparet; qua de re illam regulam vigere certum est, quod Privilegia, intuitu personae elargita, nunquam extinguuntur, donec extat persona illa, cujus contemplatione fuerunt a Principe concessa, per textum in *Cap. Quoniam*. Et èo magis, quia Jus transferendi Pensiones, Votantibus Signaturae Justitiae ex causa onerosa non uti singulis, sed omnibus in modum Collegii impartitum fuit, adeoque literaliter, ac peculiariter eodem jure *Sardinius* privandus erat, juxta censuram textus *in leg. Attilius Dig. de Donationibus*, *Surd. cons.* 419. *num.* 51., *Rota coram Ansaldo* 387. *n.* 14., et ita ratiocinatur Decisio 268 in dicta Causa *Romana Pensionis* 7. *Junii* 1743. *coram Tanara*,

E' tot privilegiis, jam supra recensitis, quibus Referendarii condecorati fuere, nemo non intelligit, eorum dignitatis praestantiam; et proindè non immeritò praecedentiam inter plures alios Curiae Praelatos vindicant; et eò magis Referendarii Votantes, quum eorum potestas in Romana Curia magna sit, eamdem praecedentiae praerogativam tuentur. Hinc promulgata Constitutione Innocentii XII., qua Rocchetti, et Cappae Magnae usus eisdem indulgebatur, reliquos omnes, eumdem usum non habentes, praecedere ceperunt; et quamvis tunc temporis Sacrarum Congregationum Secretarii dictam praecedentiam illis contendere quodamodo demonstrassent, res tamen illicò composita fuit praevio Pontificis Oraculo, commisso Eminentissimo Domino Cardinali *Spada* Signaturae Justitiae Propraefecto, quo declaravit Referendariis Votantibus praecedentiam competere vi laudatae Constitutionis etiam supra Congregationum Secretarios: et *Fattinel-*

tinellus (1) rationem affert, cur de eo Congregationum Secretarii conquerl non debeant; nam, ait ille, ipsos ut Secretarios non esse Praelatos, nec ecclesiasticam habere dignitatem, et Sixtum V. in declaratione suae Constitutionis, super institutione Congregationum non exigere, ut Secretarii praedicti sint Praelati; immo facto comprobat, non semper fuisse Praelatos, prout testatur de Secretario Congregationis Episcoporum, et Regularium *Marchesanus*. (2)

Revocatam in dubium, refert etiam (3) *Fattinellus*, Votantium Signaturae praecedentiam supra *Sacripantes* tunc Subdatarium, postea S. R. E. Cardinalem, ac patruum alterius Cardinalis *Sacripantes*, et *Ansaldum* Pontificis Auditorem, dum in aedibus Cardinalis *Panciatici* Prodatarii haberetur Congregatio, ab eodem Pontifice deputata in Causa *Romana Canonicatus S. Mariæ Transtyberim*; et quamvis ad sedandas controversias praemissa tunc fuit ab Eminentissimo Prodatario protestatio, quod pro illa vice ex ordine sedendi, et votandi nulli-jus quaesitum, praejudiciumque irrogatum censeretur; attamen re postea delata ad Summum Pontificem, ab eo resolutio prodiit favorabilis Votantibus, itaut ipsi in altera Congregatione, pro eadem Causa habita, absque ulla controversia praecesserunt dictos Auditorem, et Subdatarium; prout etiam in alia Congregatione in Causa *Corduben. Jurispatronatus* idem *Fattinellus* testatur, se praecesisse Camerae Commissarium, et A. C. Locumtenentem.

Altera verò de praecedentia controversia exarsit anno 1671. inter Referendarios, et Generales Religionum, qui in processione Sanctissimi *Corporis Christi*, et in aliis actibus eos praecedere absque ullo Juris fundamento instabant, et *Antonius Altovitus* utriusque Signaturae Referendarius doctissime ea de re scripsit, fretus primum possessione, in qua erant Referendarii; quam quidem possessionem comprobavit quamplurimis testimoniis Praelatorum fide dignorum; deinde vero in medium tulit communicationem privilegiorum Protonotariatus, eisdem tributam a Summis Pontificibus, ac dispositionem Caeremonialis Romani, in

---

(1) *Cap. 6. n. 4. cit. Operis.*
(2) *Part. 1. cap. 2. n. 102.*
(3) *Cap, 6. n. 10. cit. oper.*

in ordinem redacti anno 1516. regnante Leone X., ubi cautum reperitur (1), digniorem locum Referendariis deberi, Generalibus vero inferiorem; nam post assignatum locum procedendi ante Pontificem in processione Clericis Camerae, Auditoribus Rotae, Episcopis, caeterisque Praelatis paratis, assignat ordinem procedendi post ipsum per haec verba: *Papa sub baldachino etc., Secretarius Papæ si non est Prælatus, cum Medico Papæ, Protonotarii, Prælati, si qui non sunt parati, Generales Ordinum*. Quam quidem veritatem agnoscentes Generales Monachorum, qui in omnibus actibus praeferuntur Generalibus Mendicantium, et Abbates, qui eosdem Mendicantium Generales praecedunt, semper Referendariis praecedentiam cesserunt; variis demum rationum momentis excussit objectiones omnes, ac caetera argumenta, quae a Generalibus proponebantur, ut videre est in eodem discursu *Altoviti*, impresso post tractatum saepius laudati *Fartinelli*. (2)

Quoad alias vero Ecclesiasticas dignitates inferiores, nulli dubium est; Referendariis praecedentiam competere, itaut non solum Canonicis, sed etiam Dignitatibus extra Ecclesiam praecedere debent ex declaratione S. Rituum Congregationis in *Veronensi* his verbis, teste *Barbosa* (3): *Conquestus est R. P. D. Veritas Veronensis Utriusque Signaturæ Referendarius de quodam Canonico dictæ Civitatis denegante sibi præcedentiam, supplicans responderi quid servandum? et S. Rituum Congregatio sub die 6. Junii 1626. respondit, Prælatum extra Ecclesiam præcedere debere Canonicis*; et 4. iulii ejusdem anni, *etiam quoad Archipresbyterum*.

De praecedentiae ordine servando inter Votantes Signaturae Justitiae, et illos Signaturae Gratiae, si quacunque ex causa contigerit eos insimul convenire, extra rem quippe non erit hic animadvertere, quum sapientissimus Pontifex Benedictus XIV., ad dirimendas potissimum controversias divinitus militanti Ecclesiae praepositus, ea de re peculiarem edidit sanctionem sub *die septima Junii* 1746. (4), qua juremerito decrevit, convenientibus, nempe, uno,

(1) *Cap.* 15. *de Festo Corporis Christi.*
(2) *Pag.* 174.
(3) *Lib.* 1. *Juris Ecclesiast. c.* 22. *n.* 16.
(4) *In Append. pag.* 113. *ad* 115.

uno, vel pluribus ex utroque Signaturae Justitiae, et Gratiae Tribunali Votantibus, quacumque ex causa, sive Praelatitio, sive quocumque alio habitu indutis, quomodolibet, et ubicumque insimul existentibus, eam esse inter ipsos servandam præcedentiae regulam, ut Votans ille, qui in suo Tribunali antiquior, et prior constitutus reperiatur, praecedat alteri in suo Tribunali non priori, neque antiquiori; et proinde Votans Signaturae Justitiae prius admissus praecedat Votantem Signaturae Gratiae in hoc suo Tribunali posteriori tempore admissum; ita è contra Votantem Signaturae Justitiae praecedat Votans Signaturae Gratiae, qui in suo Tribunali admissus reperitur priusquam Votans Signaturae Justitiae in suo receptus fuerit.

Quando verò casus ille advenerit, Signaturae Justitiae Votantem addictum nempe suo Tribunali fuisse eadem die, qua Votans Gratiae suo constitutus fuerit, Summus Pontifex statuit, praecedentiam illi dandam, qui in Praelatura quacumque antiquior, et prior reperitur; at, existente alio praecedentiae titulo penes aliquem ex dictis Votantibus, a praescripta praecedentiae regula omnino esse recedendum, ut nempe si Votans cujuscumque Signaturae, Episcopali insignitus, sive Apostolici Protonotarii dignitate ornatus, et quolibet alio ejusdem Romanae Curiae munere, aut officio decoratus existat, id servandum omnino sit, quod respectu Episcopalis characteris, sive dignitatis praedictae, aut alterius muneris, praecedentiam requirentis, competit.

Ad contingentem denique casum respiciens, quando, nempe, quivis Votans in utroque Signaturae Justitiae, et Gratiae Tribunali adscriptus fuerit, idem Pontifex decrevit, praecedentiae regulam metiendam, ac definiendam esse a primaeva ipsius Votantis in altero utriusque Signaturae Tribunali receptione, et admissione; itaut Votans ille utrius Signaturae, qui primo in Signaturae Tribunali receptus fuerit, praecedentiam obtineat supra alium Votantem utrius Signaturae, posteriori tempore admissum. Quoad congressus vero illos, qui ab iisdem Votantibus fieri debent pro suis respectu proprii Tribunalis seorsim obeundis, adimplendisque muneribus nihil novi decernendum esse censuit, et eumdem praecedentiae ordinem tam in sedendo, quam in suffragiis ferendis habendum, qui usque adhuc retinetur, atque servatur. Extra enim hos recensitos casus, quum numquam Vo-

Votantes Gratiae in corporis, vel Tribunalis speciem insimul conveniunt, nullam idcirco in ea parte necessariam sanctionem esse decrevit.

Ne autem quidquam praetermittamus, hic referre proprium est, *Fattinellum* in laudato opere, de Referendariorum privilegiis disserendo, satis abundè demonstrasse, illa ejusdem esse naturae, ac privilegia Auditorum Rotae, quia nempe utrisque dantur ratione laborum; et eapropter, quando Commissiones Causarum diriguntur, tam dictis Referendariis, quam Auditoribus Rotae, nomine *Magistri* decorantur; quod namque testimonium honoris est, *ex Clementina 2. glos. verbo honorem de Magistris, et ex Cohellio* (1). *Magistri legum* reverà in procemio Pandectarum appellantur, quos hodie Doctores vocamus, ut advertit *Brechaeus in leg. Cui præcipua Dig. de verborum, et rerum significatione*; hinc credendum, ait *Calvinus in Lexico*, fluxisse, ut Romanae Rotae Auditores *Magistri* appellarentur, quasi ad eam legum peritiam deducti, ut Magisterio fungi possint, seu magis, quia Doctoratus insignia assequuti sint; Galli etiam, ex sententia ejusdem *Calvini*, plerosque Doctores Magistros appellant; at appellationem hanc Curia servavit, postquam è Gallia Romam rediit, ut ajt *Aldobrandinus* in *proœmio Institutionum* verb. *Magistros*.

Et, ut Sacrae Rotae Collegium Paulus III. magis decoraret, eidem communicavit praerogativas omnes, sive gratias, Referendariorum Collegio indultas, ac in posterum indulgendas, prout ad rem observat *Jacobus Giandemaria* (2). Paulus verò V. praerogativa (3) Referendariatus decoravit Abbreviatores de Parco majori; hinc jure meritò *Cohellius* (4) ex hac communicatione Referendariatus, quam Auditoribus Rotae, aliisque summis Praelatis Pontifices elargiti fuerunt, eorumdem Referendariorum præstantiam comprobare studuit, dum ita scriptum reliquit. *Et colligi etiam potest ex lectura privilegiorum, Protonotariis, Auditoribus Rotæ, Abbreviatoribus, aliisque Apostolicae Sedis Praelatis concessorum, praeter caeteras praerogativas, Referendariatus dignitas assignatur; Quod si haec minor esset, inanis etiam esset illius specificatio; im-*

E mò

(1) *in notitia Cardinalatus cap. 57.*
(2) *Osservazioni sopra la Bolla d'Alessandro VII.*
(3) *Constitut. 2. Bull. nov. t. 3.*
(4) *Loc. cit.*

mò diminutio, et ad inferiorem dignitatem descensus dici posset.

Quum solemnes fiunt Equitationes, et fit intimatio per Cursores domi dimissa copia omnibus, qui interesse debent, instructio, quae efformatur ab Apostolicarum Caeremoniarum Magistro, continet etiam intimationem, hisce potissimum verbis directam Votantibus, et Referendariis Signaturae: *aderunt quoque Auditor generalis R. C. A. etc. Votantes Signaturae etc. ideo intimentur Decani omnes praedictorum Collegiorum, qui Collegas suos admoneant, ut induti Rocchettis, et Mantellectis cum Pileis Semipontificalibus, super mulas stragulis nigris ornatas equitaturi intersint.*

Item Decanus Votantium Referendarios admoneat, ut induti proprio habitu quotidiano mulas, ut supra ornatas, equitent.

Pro hujusmodi igitur Equitatione intimentur omnes, et singuli Eñi, et Rñi Dñi Cardinales, ac supradicti Praelati, qui deindè publico Consistorio (Referendariis exceptis) Cappas induti intererunt.

Ita namque nobis legendum occurrit in quadam Intimatione facta *feria* 3. *die* 10. *junii* 1721, occasione traditionis Galeri Rubri quibusdam novis Cardinalibus, nempe de Rohan, Cunha, aliisque Romam advenientibus.

Postremò animadvertendum est, *Ursajam in Institutionibus Criminalibus* (1) adnotasse, Utriusque Signaturae Referendarios in Civitatibus illis, in quibus Gubernatores à S. Sede delegantur, Missam consuevisse celebrare more, et ritū Episcoporum, et praesertim Gubernatorem Caesenae, proindèque adversus ipsum S. Rituum Congregationem *sub die* 9. *februarii* 1675. resolutionem evulgasse, qua declaravit: *non licere Illñis DD. Referendariis SSñi D. N. Papae, ac Protonotariis Apostolicis honorariis, Missam celebrantibus in Civitatibus, quarum regimini praeficiuntur, uti ritibus, qui proprii Eñorum Cardinalium, et Episcoporum videntur; sed iidem rem sacram facere teneantur more caeterorum Sacerdotum, prout in privatis Missis praescriptum fuit Abbatibus in decreto circa usum Pontificalium, Praelatis Episcopo inferioribus concessorum, emanato ab eadem S. Congregatione, habita coram fel. mem.*

(1) *Lib.* 1. *Tit.* 10. *de Criminibus mere Ecclesiasticis Innominatis n.* 142.

mem. Alexandro VII. die 27. septembris 1659. et ita servari mandavit ab Illmo Gubernatore Civitatis Caesenae.

Abundè dictum censemus de Votantium, ac Referendariorum Signaturae praestantia, ac privilegiis; et eapropter operae pretium nunc esse duximus de eorum admissione, sive creatione aliqua disserere, quum nonnulla hac de re in Pontificiis Constitutionibus sancita reperiantur. Et primum antiquitus sola Pontificis jussione creabantur Referendarii; Sixtus V. quamplura circa admissionem decrevit; Alexander vero VII. laudata Constitutione, quae incipit *Inter caeteras*, pro majori personarum delectu, ac rerum ordine, statuit, ut inquisitio, ac processus formaretur super qualitatibus eorum, qui ad praefatum munus, ac dignitatem admittendi essent; quae provincia ab Emo Praefecto demandanda est speciali rescripto alicui ex Votantibus, relata prius ab eodem Praefecto Summo Pontifici instantia admittendorum, ejusdemque assensu, ac beneplacito obtento. Quid enim inquirendum sit, quaeve qualitates justificandae, in dicta Constitutione recensentur, ut nempe ex vero, et legitimo sint matrimonio, ac bonis, et honestis parentibus procreati, bonae indolis, vitae, ac famae prorsus inculpatae, in vigesimo quinto aetatis anno constituti, et cæteræ inferius describendæ.

De Referendariorum ætate quæstionem instituit *Didacus de Narbona* (1), qui affirmat neminem illam assignare, nec etiam *Gomesium* ipsum, qui inter Cancellariae regulas, et in *utriusque Signaturæ Compendio* exactam Referendariorum tractationem compilavit; Ille tamen censet septem, et viginti saltem annorum esse debere, vel sex supra viginti, quorum ita finis lapsus sit, ut sequentis anni exordium meritò dici queat; hanc enim suam opinionem, ut tueatur, argumentum à simili ducit Renunciatorum, sive Relatorum cujuscumque Tribunalis, et Referendarios, sive Pontificis, sive alterius Principis, Relatores propriè fuisse affirmat, ex eo quod supplices libellos, vulgò petitiones dictas legebant, ac referebant, ex doctrina *Joannis Matienz* (2); et ibidem recenset verba *Placidi de Sandoval* (3): *y de la Confession resultò, que man-*

 dò

(1) *Quæst.74. de ætate, anno 25.*
(2) *In Dialog.Relat. 2. p.2. c.1. n.7.*
(3) *In historia Caroli V. lib. 1. anno 1516. §. 58.*

dò llamar al Licenziado Zapata, y al Doctor Carvajal sus Relatores, y Referendarios, y de su Consejo y Camera; eodemque tempore reprehendit *Garziam Toletanum* (1), qui Referendariorum munus, et officium idem fuisse testatur; quod apud suos *Escrivano, e Recetor del Consejo* appellatur. Demum post scripta fatetur laudatus *Narbonensis* perlegisse librum primum Juris Ecclesiastici *Barbosae* (2), et ita didicisse, ætatem esse 25. annorum ex Constitutione 41. Sixti V., et gratulatur idcircò parum ab ea differre illam, quam ab initio sola ratione duce eidem muneri præscripserat.

Ad semitam redeundo, oportet etiam, ut promovendi ad Referendariatum in aliqua publica Universitate studiis Legalibus saltem per quinquennium operam dederint, in eademque utriusque Juris lauream sint adepti; annuos insuper reditus, ut habeant mille, et quincentum scutorum monetæ, pacificè possessos, vel à parentibus, aut propinquis validè assignatos; in hac demum Romana Curia per biennium saltem versati fuerint, et studio praxis penes aliquem ex Auditoribus Rotæ, vel alios Prælatos, Officiales, seu Advocatos ejusdem Curiæ sedulò incubuerint.

Absoluta postea inquisitione antedicta, et diligentèr processu à Ponente, sive Delegato instructo, relationem fieri, jussit laudatus Pontifex, in Collegio; cui si videantur probata, quæ superius præmissa sunt, tunc oratorem admitti ad examen, assignatis illis, ut moris est, duabus supplicationibus, seu Commissionibus coram ipso Collegio proponendis; et subinde peracto examine, si ejusdem Præfecti, atque Collegii, quorum conscientiam oneravit, fuerit concordi judicio approbatus, vel saltem per duas ex tribus partibus votorum, quae secreto per fabas albas, et nigras proferri voluit, tunc Praefectus Summo Pontifici omnia referens, illum Referendarium esse declarabit, ac in aliorum numero adscribi mandabit, praestito tamen prius in ejus manibus solito Juramento.

Hinc hodie, qui Referendariatus dignitatem assequi desiderat, preces primum Pontifici porrigit, qui rescribit: *Il Signor Car-*

(1) *In Lucerna rubricarum trium posteriorum librorum Codicis Tit. de excusat. munerum n. 6.*

(2) *Cap. 22. n. 4.*

Cardinale NN. Prefetto ordini il solito processo, e ne parli; et Emus Praefectus, cui exhibetur supplex libellus cum rescripto, facto jam verbo cum Pontifice easdem preces remittit Domino Votantium Signaturae Decano, his verbis in calce earumdem adjectis: *avendo N. S. fatta la grazia all' Oratore, potrà Monsignor Decano commettere, che si faccia il processo ad formam Bullae. N. Cardinalis Corsini*. Qua deinde facultate exhibita Dño Decano, deputat ille unum ex DD. Votantibus per turnum hac formula: *R. P. D. Negroni, servata in omnibus forma Constitutionis san. mem. Alexandri Papae VII., quae incipit Inter caeteras, Processum conficiat, et referat: Datum hac die ... NN. Decanus*: et coram Votante sic deputato efformatur per acta proprii Collegii Signaturae Notarii processus; quo compilato fit per eumdem Votantem relatio in plena Signatura, et per secreta suffragia probatur, vel reprobatur illius validitas; in alio postea sequenti Signaturae congressu admittitur promovendus ad examen, ut supra diximus, et fiunt omnia ea, quae jam recensuimus.

Quoad *Advocatos Consistoriales*, processus pro eorumdem admissione inter Referendarios confici tantum solet super probatione assignamenti Praelatitii ad formam dictae *Constitutionis Alexandrinae*; et pro caeteris requisitis, in eadem Constitutione praescriptis, sufficit Attestatio *Collegii DD. Advocatorum Consistorialium*, ex eo quia, pro admissione in dicto Collegio, hujusmodi requisita probata iam fuerunt. Et ita Pontifex *Benedictus XIV.* servari mandavit pro Processu *D. Guidi Calcagnini Ferrariensis*, modò meritissimi Cardinalis, et Episcopi *Auximani*, *et D. Philippi Mariae Pirellii*, mei civis, qui ad Cardinalatus apicem etiam evectus, annis retro elapsis diem obiit supremum.

Ne autem in posterum haesitari contingeret quo quisque tempore in Signatura fuerit admissus, Sixtus V. recensita Constitutione 41. statuit, ut Referendarii in futurum admittendi litteras Apostolicas sub plumbo super concessione sui officii Referendariatus hujusmodi expediri teneantur, quae, pro tempore existentis Romani Pontificis Datarii manu subscriptae, eamdem firmitatem, ac robur haberent, ac si juxta stilum Cancellariae Apostolicae, seu Camerae, ab omnibus, et singulis Officialibus, et aliis, ad quos litterarum Apostolicarum expeditio pertineat, ritè, ac legitimè forent expeditae.

Ani-

Animadvertendum tamen hic est, quod dupliciter personæ, quæ Curiam Romanam sequuntur, assequi solent hanc Prælaturam, quæ hodiedum quædam species est gradus, sine quo ad cætera suprema munia provehi non potest, sive janua aliarum dignitatum, rectiusve medium quo ad cæteras in Romana Curia existentes Jurisdictionales Dignitates pervenitur. Alii enim creantur, ut superius enarravimus; alii vero emunt illa Officia quibus ista Prælatura utrius Signaturæ annexa est, ut erant prius Auditoratus Cameræ, Thesaurariatus, Clericatus Cameræ, nunc vero tantum Protonotariatus, Abbreviatores de Parco majori, Auditor Confidentiarum, et Contradictarum, et alia ejusmodi Officia, quæ venalia hodie supersunt ratione emolumentorum. Qua de causa orta olim fuit dubitatio, an ementes dicta officia, quibus Prælatura Referendariatus annexa sit, pro cooptatione in Referendariorum Collegio, examen, et superius laudatam Alexandrinam inquisitionem subire teneantur; et de hac quidem quæstione agit Card. *De Luca* in tractatu de *Officiis Venalibus Vacabilibus Romanæ Curiæ* (1), qui etiam asserit, attenta quadam observantia de facto, nemine ad id reflectente, illi Officiales prætendebant se exemptos ex eo fundamento quod Protonotarii Apostolici per Constitutionem Sixti V. creantur Prælati Domestici, et utriusque Signaturae Referendarii, Abbreviatores autem de Parco majori, fortèque alii Officiales Cancellariae per Constitutionem Pauli V. pariter creantur Referendarii.

Et inter alios abusus, quos pro sui muneris debito abolere curavit idem *De Luca*, iste praesertim talis sibi videbatur, et quod nullatenus permittenda propterea esset haec Apostolicarum Constitutionum publica contraventio in adeò magno Tribunali, et in conspectu Curiae; nec sufficit, quod Officiales, prosequitur ille, unius Collegii, ad quod fuerunt admissi, per Papam creati sint etiam Referendarii, quoniam id aliud non operatur nisi concessionem generalem illius Praelaturae, pro qua in aliis, non obtinentibus haec officia, necessaria est concessio, vel gratia specialis, quae tamen non sufficit pro cooptatione in Collegium, nisi praevia justificatione requisitorum sequatur admissio. Et

(1) *Cap.* 2. *n.* 14. *usque ad* 24.

Et eò, vel magis id profecto observandum est in Referendariatu, quia ista Praelatura annexam habet administrationem Justitiae, et exercitium Jurisdictionis; et eapropter improprium est, ut ex officio Protonotarii, vel Abbreviatoris, quod satis modicam exigit administrationem pro aliquibus actibus axtrajudicialibus, potius honorificis, obtineri debeat cooptatio in Collegio Referendariorum, absque eo quod constet de idoneitate, aliisque requisitis necessariis pro hoc majori munere exercendo; et evenire etiam potest, quod immaturae aetatis, malèque morigeratus adolescens, nullam juris, et fori peritiam habens, ita efficeretur Judex, atque Justitiam administrare deberet, et in Signatura adesset, ignotus Collegio, et Tribunali; concludit idcircò laudatus *De Luca*, quod dictum Privilegium concessum hujusmodi Officiis continet quamdam concessionem generalem, ut praebeat quidem titulum ad illam Praelaturam assequendam, constito tamen de idoneitate, et aliis requisitis, ad instar Beneficiorum, quae expediuntur *in forma dignum*; et Sixto V., et Alexandro VII. si innotuissent dicta officia, hanc Praelaturae praerogativam habentia, verosimiliter illa excepissent, et non statuissent regulam generalem pro omnibus in Collegio cooptandis.

Quod etiam *Rigante* in tractatu de Protonotariis (1) observavit ex Constitutione Sixtina, qua demandatum fuit, ut, qui ex septem Protonotariis U. J. Doctores fuerint, adscribantur quoque numero Referendariorum utrius Signaturae. Non habet igitur, ait ille, Protonotariatus annexum Referendariatum utriusque Signaturae, ut alias in quadam facti contingentia nonnulli Datariae Officiales autumabant, et asserere videtur *Sacchettus* in Opusculo de *Privilegiis Protonotariorum*; sed Protonotarii ipsi participantes non prius efficiuntur Referendarii, quàm ostendant se fuisse doctorali laurea insignitos, servatisque servandis adscribantur numero Referendariorum; saepè enim vidimus, ille testatur, plures Protonotarios nonnisi multos post annos fuisse Signaturae Referendarios.

Attamen omnem disputationem substulit resolutio illa, capta in plena Signatura Justitiae sub *die* 26. *aprilis* 1676., quam ex ejus-

(1) *Dissert.* 10. *n.* 225.

ejusdem Regesto deprompsit *Fatinellus* (1); in ea namque, suffragantibus Eminentissimo *Flavio Chisio* Praefecto, *Bussio*, *Muto de Papazzurris*, *Bentivolo*, *Telonio*, *Ginetto*, *Bernino*, *et Filicaja* ejusdem Signaturae Referendariis Votantibus, decretum fuit, quod in posterum non admittantur amplius Praelati in Signatura, tam illi, qui emunt Officia, quam alii, qui quoquomodo obtinent Praelaturam, nisi prius in eadem Signatura admissi fuerint ad examen, proponendo juxta morem duas Commissiones in forma ipsis assignandas, et fuerint successivè Votantium suffragio approbati, ac praestiterint deinde solitum juramentum; quae quidem resolutio confirmata fuit in Signaturae congressu, habito sub *die* 23 *aprilis* ejusdem anni praevio maturiori examine, ac suffragantibus etiam *Crescentio* Decano, et *Ursino* ejusdem Signaturae Votantibus.

Juramenti vero formula a *Fattinello* refertur, at eam nos habuimus è quodam Codice membranaceo MS.; qui extabat in Bibliotheca Praesulis Joannis Francisci de Abbatibus Oliveriis, a Secretis Congregationis Fabricae S. Petri, eamque hic transcribere duximus.

Formula Juramenti, quod praestatur a Referendario D. N. Papae.

Ego N. Domini Papae Referendarius ab hac hora in antea fidelis ero B. Petro, Sanctaeque R. E., et Domino meo Domino Papae, *ejusque successoribus canonicè intrantibus, non ero in facto, consilio, vel consensu, quod vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium, quod per se, vel Nuncium suum, seu litteras mihi credituri sunt, signo, verbo, vel nutu me sciente ad eorum damnum, seu praejudicium nulli pandam. Si damnum eorum tractari scivero, pro posse meo impediam ne fiat: quod si per me impedire non possem, per nuntium, aut litteras eis significare, vel illi, per quem citius ad notitiam deducatur.* Papa*tum Romanum, et Regalia B. Petri, et omnia Jura Romanae Ecclesiae, quae habet ubique manutenebo totis viribus, et defendam. Officium Referendariatus, mihi a* Domino PP. *commissum, bene, et fideliter geram. A donis, muneribus, et xeniis abstinebo, et meos fami-*

(1) *Pag.* 203. *de Votantium Signat. Collegio.*

familiares abstinere omni diligentia, qua potero, procurabo; exculentis, et poculentis, non fraudolentis, dumtaxat exceptis: ita quod per me, vel per alium in quocumque casu nihil recipiam, nec a meis familiaribus recipi permittam sine Domini Papae, vel ejus Camerarii licentia speciali, super dicta omnia etc.

Ex hactenus dictis patet, quod hujusmodi Praelati, nisi inter Signaturae Referendarios sint adscripti, nequeunt esse judices Commissarii, Causarum nempe, quas Signatura Referendariis, ut alibi dicendum erit, definiendas committit. Eapropter *Philippus Maria Pirellius*, de quo paulò ante verba fecimus, quum esset Auditor Auditoris Camerae, vulgò *A. C. met*, et tantum ab honore Secreti cubiculi Pontificis, et Advocatus Consistorialis, ad hoc ut judex Commissarius esse possit, donec inter Referendarios adscriberetur, quemadmodum postea anno 1751. adscriptus fuit, obtinere curavit Pontificium indultum; prout legitur in Regesto ejusdem Tribunalis Signaturae hisce verbis: *in Signatura iustitiae die* 4. *decembris* 1749. *de mandato Eminentissimi Domini Cardinalis Praefecti fuit ab Administratore Officii Archivii Romanae Curiae publice lecta copia Chirographi a Sanctissimo Domino nostro Benedicto XIV. feliciter regnante signati usque et sub die 28 novembris proxime praeteriti super abilitatione Illm̃i, et Rm̃i Dñi Philippi Mariae Pirelli Advocati Concistorialis, ejusdem Sanctissimi a secreto cubiculo, et Illm̃i ACmet in civilibus Auditoris, ad judicandum in omnibus, et singulis causis commissariis etiam Congregationum deputandarum, ac si esset Referendarius, et indistincte ab omnibus Referendariis Romanae Curiae, et cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis, juxta formam et seriem, et tenorem ejusdem Chirographi per antea jam exhibiti, et registrati in libris praefati Officii dictae Romanae Curiae sub die prima currentis, ad quod etc. necnon rogitus publicationis hujusmodi per eadem acta factus sub dicta die* 4. *currentis mensis, et anni* (1).

Reliquum est, ne quidquam desit plenissimae cognitioni hujusce Tribunalis, ut disseramus de modo, forma, ac tempore congressus ejusdem; et primùm habetur Signaturae Justitiae con-

 gres-

(1) *Inter notanda Signaturae.*

greſsus, qui vulgò plena Signatura dicitur, qualibet die Jovis de mane cujuslibet hebdomadae non impedita, hoc est, dummodo feria aliqua stata, et solemnis, vel repentina, quae nempe pro re nata Curiae indicitur, in dicta die non coincidat. Quae quidem congregandi ratio antiquitus servabatur interdum usque ad medietatem mensis Julii, ut patet è Tribunalium Indice *Francisci Gherii*, nunc vero usque ad mensem Junii, nam a mense Julii usque ad exitum Septembris singulis tantum quindecim diebus habetur ob aestivos calores (1); in mense vero Octobris occasione feriarum autumnalium penitus vacat; qua de re, ut omnibus innotesceret quaenam dies vacationis esset, antiquitus in Banco Cursorum in acie Campi Florae tabella collocabatur per nonnullos dies ante, qua designabatur Signaturae Congressus; et ratio, cur ibi notula praedicta collocabatur, ea est, quia Magister Turnarius Cursorum ea ætate residebat in illorum Banco, existente in acie Campi Florae, *ubi recipit*, ait *Gherius*, *et ponit in capsulis Commissiones, et apponit notulam utriusque Signaturae, et Consistorii*. Nunc vero Litigantium, et Curialium commoditati consulitur editione Kalendarii Curiae, quo non modo dies Curiales Tribunalis A. C. et Camerae, verum et dies Jovis, in quibus Signatura plena non habetur, designantur. Congressus vero habebatur prius in aedibus Eminentissimi Praefecti, teste *Marchesano* (2); Innocentius tamen XII., Romanæ Curiae reformationi consulens, inter alia pro majori tanti Tribunalis decore statuit, ut Signaturae convocatio haberetur in Pontificio Palatio, prout S. Rotae Auditores, et Camerae Clerici jam conveniebant.

Priusquam ulterius progrediamur animadvertendum est, quod si aliquando ultra quadraginta causas propositas, ac definitas in dicta Congregatione, quae a Signatura habetur tempore aestivo, aliarum causarum numerus supersit, earumque commissiones atque libelli distributi jam fuerint, et proximae sint Feriae autumnales, solet Eminentissimus Praefectus monere ejusdem Signaturae Decanum per medium Auditoris dictae Signaturae, ut pro bono

(1) *Et tunc congressus illi appellantur Congregationes, prout etiam fit si S. Rota habeatur pro aliqua Causa dictarum feriarum tempore.*

(2) *De Commis. p. 1. num. 107.*

no publico, et collitigantium utilitate, auditis etiam Votantibus, designet, et indicàt alteram Congregationem extra ordinem habendam proxima die jovis pro dictis Causis, in illa Congregatione non propositis. Et ita servatum fuit in mense septembris 1753. prout legitur in Regesto actorum dicti Tribunalis.

Coacto Signaturae Congressu, Referendarius ille, qui primum Causam relaturus est, stantibus omnibus, Orationem a B. Isidoro, ut dicitur, compositam, intelligibiliter, et devote legit; quem enim actum, auspicandi nempe Causarum decisiones a Religione, etiam antiquitus in usu fuisse, testantur *Gomesius* (3), *Marchesanus* (4), et post eos *Fattinellus* (5); qui id magnopere exoptandum suadet, ut ad majus pietatis augumentum, ac securam Divinae opis implorationem è publico eis detur Sacerdos, qui Sacrosanctum Missae Sacrificium ante initium Signaturae celebraret, ut in Rotae, et Camerae Tribunalibus observatur.

Oratio, quae, ut superius diximus, recitatur a Referendario, haec est: *Adsumus Domine Sancte Spiritus, adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo congregati, veni ad nos, et esto nobiscum, et dignare illabi cordibus nostris, doce nos quid agamus, quo gradiamur, et ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante tibi in omnibus placere valeamus: Esto solus suggestor, et effector judiciorum nostrorum; qui solus cum Deo Patre, et ejus Filio nomen possides gloriosum, non patiaris perturbatores esse Justitiae, qui summam diligis aequitatem, non in sinistrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptatio muneris, vel personae corrumpat, sed junge nos efficaciter tibi solius gratiae dono, ut simus in te unum, et in nullo deviemus a vero, ut sicuti in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut et hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro benè gestis consequamur praemia sempiterna*: respondent omnes *Amen*. Haec namque Oratio recitatur etiam in Rota singulis diebus Audientiae, et originem habuit a Conciliis generalibus, quorum initio haec Oratio dicenda erat; ut docent

(1) *In Compendio utriusque Signaturæ*.

(2) *Part.* 1. *cap.* 1. *pag.* 37.

(3) *Cap.* 8. *num.* 5.

Speculator in tractatu *de modo generalis Concilii celebrandi* (1) et *Petrus de Monte* Episcopus *Brixianen* in sua *Monarchia* (2).

Sedent deinde omnes hoc ordine, Eminentissimus, et Reverendissimus Dominus Cardinalis Præfectus in capite magnæ, mensæ oloserico stratæ, medius inter Votantium Decanum, et Subdecanum, ille in sede oloserica purpurei coloris, hi, sicut cæteri Votantes ab utroque latere juxta eorum in officio prioritatem; In hac tamen Signatura non intersunt, prout in altera gratiæ Datarius, Thesaurarius generalis, Auditor Cameræ, Vicesgerens, unus ex Prothonotariis, Decanus Rotæ, unus ex Abbreviatoribus, Auditor Pontificis, et Auditor Camerarii etc., sed tantum Rotæ Decanus, vel Prodecanus, duo Locumtenentes in Civilibus Auditoris Cameræ, et Locumtenens Civilis Cardinalis Vicarii, qui nec sedent, nec suffragii ferendi jus habent, sed in Causis suorum Tribunalium interrogati, respondent; et ut ait *De Luca* majorem hi laborem, majusque fastidium subire coguntur, dum, interveniendo in plena Signatura Justitiæ, rationem reddunt de eorum decretis, et provisionibus, a quibus succumbentes appellant, vel recurrunt, ita patiendo quemdam continuum syndicatum (3). Intervenit etiam Regens Cancellariæ pariter sine voto, et sede, tanquam substitutus Cardinalis Vicecancellarii ad congruam distributionem Causarum, Prælatis, vel Rotæ, juxta earum naturam, et Signaturæ rescripta, faciendam, de qua suo loco dicemus.

Adest quoque dicto congressui Auditor ejusdem Signaturae, et in eo tamquam Secretarium se gerere Causidici asserunt ex eo potissimum, quod suffragia DD. Votantium adnotat; et quum illorum cognitio a litigantibus exoptetur, ea penes eumdem Auditorem reperiuntur; a quo, sequuta in plena Signatura Causarum resolutione, ut Commissiones signentur juxta ejusdem Signaturae Rescripta, fit fides Rescripti, quae expostulatur ab eo, cujus interest Commissionem signari. Quid autem servatum sit Auditore praedicto aegrotante, apparet è Regesto Signaturae, in quo legitur de *Pirellio*, tunc Auditore. *In Signatura diei Iovis* 21. *apri-*

(1) *In* 1. *par. rubr.* 11.
(2) *Quæst.* 4.
(3) *In Relat. Curiae disc.* 34. *n.* 33.

aprilis 1763. *Auditor gutturis accensione domi detentus, ne deesset, qui Tribunalis Rescripta notaret, nuntio simul, et epistolio infirmitatem suam notam fecit D. Giovardi Prodecano, illius prudentiae, et arbitrio relinquens, ut eum servaret modum, quem sciret servatum praeteritis temporibus, cum nihil de eo referrent Regesta Tribunalis. Mos tamen is fuit (quantum fert per manus traditio), ut qui antiquior esset ex Referendariis interessentibus, is locum subiret Auditoris, et pro ipso vota reciperet, notaretque. Hac tamen vice pro sua humanitate R. P. D. Prodecanus onus sumpsit, remisso per famulum Auditoris ipsius Scripturarum fasciculo, ut Causidici ex illo exscriberent Tribunalis Rescripta.*

Tenetur quoque adesse idem Auditor, etiam ex eo, quod pro relatione processus, et admissione ad Referendariatum Signaturae eorum, qui emunt officia Praelatitia, vel aliquam aliam obtineant Praelaturam, curare debet, ut prompta, et parata sit urna una cum calculis ad suffragia ferenda. Qua de re candidandi adire debent ipsum Auditorem officii causa, eique verbum facere de sui processus relatione facienda in proxima plena Signatura.

Facta jam a Referendario relatione causæ, (qui sedet in postremo loco mensæ è conspectu Cardinalis Præfecti), et enarrato breviter facto, annuente eodem Præfecto suum profert votum, quod vulgo in Curia proclamatur debere esse favorabile, et consonum Commissioni; et qua de causa propositio ista, quæ in axioma versa est, invaluerit, penè nescimus, quum si rem, ut par est, accuratè, ac ingenuè exploremus, Referendarii munus est, Causae factum, et Litigantium jura summatim referre, quidque ipse juris censeat, requisitus, palam facere. Erroneam hanc propositionem in foro irrepsisse, credimus libenter, a sententia Glosatoris in *Authentica de Referendariis Sacri Palatii*, ubi sub verbo *Referendarii* legitur: *sunt autem Referendarii, qui sunt Advocati in Curia Principis, dicti ex eo quia referunt vices hominum coram Principe, ut §. quomodo oportet Episcop. §. non aliter in fine*, et etiam in *authentica quomodo oporteat Episcopos §. Si quis. Referendarii, qui stant in Curia, ut praestent advocationem venientibus, ut dicta eorum referant.* Nostrarum forensium rerum periti existimarunt, in Commissionibus, quae a Referendariis proponuntur, idem ferè esse ipsorum munus, ac Advocatorum;

atta-

attamen si rectè ponamus calculum, omnino diversum profectò dici debet, quum Referendarii Romanæ Sedis suffragium ferunt jussu Eminentissimi Præfecti in Causis, quas ipsi in plena Signatura referunt; et in suffragiis ferendis veritatem, et justitiam prae oculis omni adhibito studio habendam esse pro jure certo habetur; et eapropter nihil ab eis pronunciandum est, nisi quod, instituta Causae, hoc est facti cum legibus comparatione, jure statuendum, pronunciandumque videatur. Hinc *Franciscus Gherius de Sotiis in Indice Tribunalium Urbis*, dum de Signatura Justitiæ loquitur, animadvertit, quod contra Commissiones idem Referendarius proponat, nec aliquo modo possit, uti suspectus recusari, sicut nec in proponendis aliis Commissionibus, nisi ex causa expressa, et approbata ab Eminentissimo Praefecto.

Proposita Causâ per Referendarium, Votantes suffragia ferunt, eo ordine, ut senior, primò nempe receptus, incipiat, et caeteri juxta temporis prioritatem prosequantur, prout legitur apud *Marchesanum* (1); et quamvis *Cardinalis De Luca* (2) juniorem in votando incipere debere demonstret, credendum tamen est *Fattinello* (3), qui tamquam oculatus testis, ut Votans tunc temporis ejusdem Signaturae, ita observari testatur. Oportet nunc dicere, quomodo illorum suffragia enumerentur, ut ea resolutio renuncietur, in quam plurima suffragia convenerint, vel ea reticeatur, quae paribus esset distracta suffragiis. Et ante omnia exponendum est, quod etiamsi omnes Referendarii Votantes non convenirent, itaut aliqui, vel plures ex iis legitimo essent impedimento detenti, illi qui intersunt causas definiunt, et committunt; quorum major pars, si concors fuerit, juxta votorum pluralitatem fit resolutio, et illa dicitur capta in plena Signatura, licet multi Votantes non fuerint praesentes; et ideo eadem resolutio semper habetur, ac si emanata fuisset a plena Signatura, quoties major pars Praelatorum praesentium in illa, addito voto Praelati Referendarii in Causis, quae ab ipso, tamquam Ponente, proponuntur, in unum conveniat; prout adnotant laudatus *De Luca* (4), et *Vestrius* in praxi (5).

Ani-

(1) *De Commis. cap.* 1. *part.* 1.
(2) *Relat. Curiæ disc.* 1. *num.* 14.
(3) *Cap.* 8. *num.* 12.
(4) *Relat. Curiæ disc.* 31.
(5) *Lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 3. *in fin.*

Animadvertere hic non inutile est, quod aliquando vota scinduntur, alii nempe ex Votantibus, puta quinque ex duodecim rescribunt *Sine praejudicio*; tres *Si quid exequendum*, quatuor *de Appellatione*; tunc solet procedi cum rescripto *Si quid exequendum* suspensivo exequutionis judicati, quum re vera septem dederint vota pro commissione Causae appellationis, licet alii simpliciter, et alii cum clausula suspensiva, *Si quid exequendum*, nam absque dubio illi quatuor, qui votum dederunt pro appellatione simpliciter multo magis inclinarunt pro simplici suspensione judicati cum dicta clausula, *Si quid exequendum*, quae certe multo minus praejudicat, quam alia, *Alteri de Appellatione*, ut dicemus in capit. de diversis Signaturae rescriptis, et adnotat etiam *Constantinus* (1).

Cardinalis verò Praefectus, qui Signaturae praesidet, potest suum ferre suffragium in causarum resolutione, et eo magis si vota sint paria, ad hoc ut oriatur causae resolutio cum sui voti praeponderantia; at id raro facere solet, immò potius in suffragiorum paritate resolutio defertur ad aliam Signaturam, ut novo examine causae instituto, res maturius examinari, et dijudicari valeat. Cardinalis *De Luca* causam etiam reddit, quare Praefectus a suffragio ferendo se abstinere solet, ex eo potissimum, quod ille omnino sequi deberet votum Praelatorum Votantium, quum non sit consultivum, ut in Signatura Gratiae, sed arctativum; itaut, quum resolutio jam pro majori parte conclusa sit, nihil refert, an ipse diversum habeat sensum, quem proinde prudenter explicare non solet. Auctoritas tamen Praefecti proculdubio summa est, quum nempe praecipiti, ac temerario judicio latam esse sententiam agnoscat, et demandare solet resolutionis dilationem ad alterum Signaturae congressum pro maturiori examine, prout etiam apud Romanos in usu fuit, quando plena Causae cognitio deerat, et ea servabatur formula: *Nondum liquet*, de qua *Asconius* (2), *Gellius* (3), *Seneca* (4), et *Cicero in Cluentio* testantur.

De forma subscribendi rescripta, sive commissiones, in eodem Tribunali expeditas, operae pretium est, ut aliqua hic adno-

(1) *Ad Statut. Urbis Annot.* 52. *art.* 1. *sect.* 1. *num.* 7. 8.

(2) *De Divin.*

(3) *Lib.* 14. *cap.* 2.

(4) *Epist.* 66.

notemus; et primum ipsamet subscriptio Signatura etiam appellatur, ita et in minuta litterarum Apostolicarum subscriptio Pontificis, Signatura Sanctissimi denominatur, prout advertunt prae caeteris *Van-Espen* (1), et *Salgado* (2); Quae namque subscriptio, Signatura appellata, dupliciter fit in hoc Tribunali, itaut in commissionibus Causarum, quae in Urbe delegantur, subscriptio haec est: *Placet Sanctissimo D. N. PP. . . . N. Cardinalis Corsini*; in iis verò, quae extra Urbem mittuntur, his verbis se subscribit: *Concessum in praesentia D. N. PP. N. Cardinalis Corsini*. E' qua differentia subscriptionis non leve jurgium in Hispania exortum fuit, de quo *Salgadus* (3); in supremo enim Regio Hispaniae Consilio, ubi vigilantissimè custoditur S. Concilium Tridentinum, nullatenus, ille testatur, admitti subscriptiones *per concessum*, ex eo quia licet Praefectus, vel Praelatus a Pontifice deputatus, dicat in subscriptione, *Concessum, ut petitur in praesentia D. N. Papae*, non tamen sequitur, quod in Pontificis praesentia id fiat, quia revera in domo sua, vel in Palatio extra praesentiam Papae semper subscribit, ut advertit *Parisius de Resignatione* (4); et è contra quod forma Tridentini Concilii (5) *personalissima sit, requirendo subscriptionem propriae manus Sanctissimi, itaut non modo excludit omnem fictionem, sed etiam omnem veritatem repraesentativam*; Quapropter firmum in Consilio Hispanico est, non sufficere in commissionibus Avocatoriis Causarum in prima instantia ab Ordinario Signaturas illas per concessum; et sanè, quando casus evenit, hujusmodi commissiones expediuntur per Datariam, et manu Pontificis signantur.

Ut autem liberum sit Causarum examen, et suffragia absque ulla haesitatione ferant Votantes, ab iisdem secretum servandum esse Pontifices constituerunt, itaut nec propria, nec aliorum suffragia alicui pandant; et primum teste *Gomesio* (6) Alexander VI. eos perjurii poena, ac suspensionis ab officio per mensem coercendos esse statuit; e *Marchesano* (7) verò habemus, Gregorium

(1) *Juris Ecclesiastici p.* 2.

(2) *De supplic. et reten. p.* 2. *c.* 30. §. 5.

(3) *Loco cit.* §. 36. 37. *et* 39.

(4) *Tom.* 2. *lib.* 8. *q.* 7. *n.* 80. *et* 81.

(5) *In Cap. Causæ omnes de Ref. ses* 24

(6) *In d. Compend. ver. Rursus ne secreta.*

(7) *Cap.* 1. *num.* 38.

rium XIII. excommunicationem latae sententiae, aliasque arbitrio suae Sanctitatis poenas, hujusmodi revelantibus indixisse; Clementem VIII. deinde poenas jam dictas non modo ad suffragiorum evulgationem, verum et ad caetera alia, quae causarum occasione in Signatura loqui contingat, innovasse, ac ampliasse; Alexander VII. in superius laudata Constitutione decrevit, omnibus, et singulis tam Votantibus, quam caeteris aliis, in Signatura plena intervenientibus, ac eorum Auditoribus, et studiorum Coadjutoribus haud licere vota ipsa cuipiam referre, aut palam facere oretenus, vel in scriptis per seipsos, vel per alios sub poena indignationis suae; ita enim sapientissime consultum est, ne, timor ille scientiae votorum, sententias dicendi libertati officiat. (1)

Ne demum Decreta, Jura, caeterique actus ejusdem Collegii, prout facilius est, in pessum irent, et temporis diuturnitate oblivioni traderentur, ac memoria exciderent, statim ac in Collegium Tribunal hoc redactum fuit, Signaturae Votantes de mandato Eminentissimi Praefecti congressu indicto deputarunt Secretarium ejusdem Collegii unum ex iisdem Votantibus, cujus praecipuum munus esset, codicem quemdam conficere, in quo decreta, omnesque actus ejusdem Collegii describerentur, et deinde sub die 15. julii 1659. (2) ab eisdem deputatus fuit in Notarium dicti Collegii Notarius Archivii pro tempore, et in Bidellum unus ex ejus Substitutis, cui incumberet onus certiores faciendi DD. Votantes quotiescumque habendum erit dictum Collegium, eodemque convocato assistendi ab extra pro indigentiis obvenientibus. Notario autem munus illud demandatum fuit Archivium construendi peculiare, in quo habeantur Processus omnes admissorum ad Referendariatum, omnesque scripturae, tangentes interesse dicti Collegii; et dicto Archivio binas claves apponi sancitum fuit, quarum una retinenda esset a Secretario pro tempore Collegii, altera ab eodem Notario Archivii.

Quum verò prædictus Notarius in omnibus actis se subscribere soleat: *Pro inclito Collegio DD. Scriptorum Archivii Romanae Curiae N. N. Administrator*, hic recensere duximus tum causam

 qua-

(1) *In Append. pag.26.* (2) *Ex Regesto Signat. et in Append. p.37.*

quare ita se inscribat, tum caetera quae deinceps de illo statuta fuerunt. Et primum scire oportet, Collegium, quod *Scriptorum Archivii* nuncupatur, a Julio II. anno 1507. institutum, et a nonnullis aliis Pontificibus confirmatum, obtinuisse usque a tempore erectionis Collegii XII. Votantium Signaturae, facultatem privativam acta conficiendi in ejusdem Signaturae Tribunali, prout iam probavimus in priore hujusce nostri operis editione, laudati in Pontificio Chirographo, exarato pro eodem Collegio anno 1789. (1). Quam quidem facultatem Collegium praedictum exercendam tradidit cuidam ex Notariis Romanae Curiae praevia locatione emolumentorum, percipiendorum pro decretorum expeditionibus, aliisque actis conficiendis. At anno 1743. mutato consilio, censuit, Archivii Officii emolumenta rationibus suis inferre, et proinde ei praeposuit Notarium aliquem uti Administrum. Ex tunc idem Collegium excogitavit illam formulam subscribendi, et utendam tradidit dicto Administro.

His praemissis reliquum est, ut videamus quidnam de caetero quoad dictum Collegium, ejusque Officii Archivii Notarium Administratorem, atque hujus Adjutores sive Substitutos psaescriptum sit. Eodem enim Chirographo non modo confirmatum fuit Collegium in Notarium privativum tam Tribunalis Signaturae, quam judicum Commissariorum, sed etiam Administratori, ejusque Substitutis, aliisque inservientibus, ne ob indigentiam negligenter, vel inhoneste proprium munus exercere cogerentur, adaucta fuerunt stipendia; prout patet e taxa inserta in praedicto Chirographo.

Adversus hujusmodi privativam facultatem insurrexerunt retroactis temporibus nonnullae disputationes, excitatae potissimum a Notariis A. C., qui contendebant habere cumulativam facultatem conficiendi acta in Causis Commissariis. Attamen instante eodem Collegio Scriptorum, eorumque juribus a Tribunali Sacrae Rotae ad examen revocatis, duae prodierunt eidem Collegio favorabiles decisiones *coram Cerro* sub titulo *Romana Juris scribendi* 14. *januarij* 1725. et eadem die sub titulo *Romana juris scribendi super restitutione emolumentorum*.

Nec

(1) *Append. pag.* 173.

Nec dissimilis, immo acrior fuit controversia, promota a Notariis sive Secretariis Camerae Pontificiae. Hi enim in Causis, quae aliquando examinandae proponuntur in peculiaribus Cardinalium, sive Praelatorum Congregationibus, jus sibi tribuebant acta conficiendi, quum nempe Causae praedictae respexissent interesse ejusdem Camerae. Lite ad idem Rotae Tribunal deducta, hoc suffragantibus omnibus rescripsit contra dictos Secretarios, sive Notarios, prout videre est in decis. *Romana Juris scribendi* 13. *januarii* 1766. *coram Olivatio*, et 23. *Julii* ejusdem anni in *Romana super restitutione emolumentorum*. Et demum in alia 20. *martii* 1767. vi quarum huic aliae controversiae finis impositus fuit;

Et quia lucra hujusce Collegii maxima ex parte obvenire solent ab expeditione decretorum, quibus Causae alteri Judici in secunda instantia a Tribunali Signaturae committuntur; et Scriptores, qui eorum officia vacabilia oneroso titulo obtinent, animadvertissent in nonnullis Civitatibus Ditionis pontificiae Judices secundae instantiae, nullo peculiari privilegio suffulti, admittere, et rejicere appellationes sine Commissione Signaturae, atque inhibitiones concedere; è quo abusu fructus dictorum Officiorum non modicum detrimentum, et diminutionem patiebantur; pluriès confugientes ad Signaturae Auditorem, ab eo obtinuerunt circumscriptionem sententiarum, quas judices secundae instantiae tulerunt absque Signaturae Commissione. Nec ideo hujusmodi abusus finem habuit. Hinc Collegium Scriptorum curavit, jus suum persequi praesertim adversus *Civitatem Camerini* in Signatura Gratiae, coram Pontifice habita anno 1783. quàe rescripsit: *Judicem Camerini, de quo agitur cognoscere non posse in secunda instantia causas civiles definitas in Curia Laicali Camerini absque Commissione Signaturae Justitiae, salvis juribus appellantis, et appellati*.

Haec quidem definitio nonnihil contulit ad compescendos hujusmodi abusus, irreptos in aliquibus aliis Civitatibus, et Locis praedictae Pontificiae Ditionis, de quibus alibi etiam dicendum erit; atque normam praestitit Auditori Signaturae in casu occurrenti judicandi; itaut, quum post emanatam dictam definitionem Judex *Roncilionis* in secunda instantia inhibitionem concessisset adversus Judicatum Judicis ordinarii Oppidi *Fabricae* absque debita Commissione appellationis a Signatura Justitiae

 obti-

obtinenda, re proposita coram Pontificis Auditore, is sub die 5. *julii* 1785. per acta *Vagnolini Notarii* decrevit, ut sequitur. *Ex tunc Illmus D. remisit instantiam ad R. P. D. Auditorem Signaturae justitiae, qui procedat in hac et aliis similibus Causis ad formam Rescripti editi in Causa Camerinen. et amplius.*

Quoad taxas emolumentorum pro expeditionibus actorum judicialium, quemadmodum caeteri Notarii Tribunalium Romanae Curiae tenentur Taxas, *non consuetudinarias*, *et sine approbatione introductas*, sed illas a Paulo V. statutas, servare, atque caetera omnia, quae quoad Instrumenta Decretorum, Regesta, Extracta, copias, aliosque judiciales actus, praescripta fuerunt in ejusdem Pauli V., et Benedicti XIII. constitutionibus. Ita etiam Notarius, sive Administrator Collegii Scriptorum Archivii iisdem legibus obnoxius est. Et is, si quoad taxas in expeditionibus, regestis, ex caeteris actis abusum aliquem admittat, et gravamen Litigantibus inferat, Procuratores, et ipsaemet Partes reclamare debent ad Cardinalem Praefectum Signaturae justitiae (1).

Praeterea adnotandum est, quod in eventum obitus vel dimissionis praedicti Notarii Substituti, qui tribunali Signaturae deservit, tenetur Scriptorum Collegium, seligere aliquem ex inservientibus ejusdem Archivii Officio, idoneum, et acceptum Cardinali Praefecto; ita ut si huic non arrideat, alium ex eisdem pariter inservientibus exhibere debeat.

Sed jam demum ad alteram hujusce capitis partem, ad jurisdictionem nempe provehimur; et indubium est eam amplissimam esse; itaut *Staphilaeus* (4) facultates, et stilum ejusdem Signaturae mare magnum, et campum latissimum appellare non dubitaverit. Proprium, et peculiare illius est, ut ait *De Luca*, jus dicere in omnibus utriusque Pontificii, et Temporalis Principatus, ac etiam particularis Episcopatus Urbis causis, et negotiis tam spiritualibus, quam temporalibus, pro quibus supremam Principis majestatem adire oporteat, ad effectum committendi causas appellationis, vel restitutionis in integrum, et quorumcumque gravaminum, sive decidendi controversias super pertinentia, sive competentia fori; quam quidem jurisdictionem exercere comprobat *Fat-*

---

(1) *In appendice pag. 64.* (2) *De litteris gratiae, et justitiae.*

Fattinellus (1) etiam inter extremos Indos ex declaratione Alexandri VII. in ejus litteris, impressis in opusculo *Joannis de Maria* (2); et sua aetate eam exercuisse docet,in Causa *Limana praetensi Cambii* inter Capitulum Ecclesiae Metropolitanae Civitatis *Limae*, et Equitem Franciscum *Nicolaum de Sylva*, proponente *R. P. D. Masserio* 29. aprilis 1694.

Et quia Signaturae justitiae jurisdictio, ut diximus, versatur potissimum in appellationibus quae proponuntur, ut Causarum cognitio coram judice secundae instantiae instauretur, animadvertendum idcirco duximus, quod non omnes judices, qui in universa Pontificia Ditione potiuntur praerogativa cognoscendi Causas in secunda instantia habent facultatem admittendi appellationes interpositas ad Summum Pontificem, atque inhibitiones concedendi. Ordinariorum enim Judicum secundae instantiae tres sunt classes. Ad primam pertinet *Tribunal Sacrae Rotae*, quod etsi ordinaria polleat jurisdictione, hanc tamen ad actum sive exercitium deducere nequit nisi in unaquaque causa, ad ipsum in secunda instantia deferenda, praecesserit Summi Pontificis ejusque Signaturae Justitiae specialis commissio (3). Altera sub Classe veniunt ii Ordinarii judices secundae instantiae, qui *Signaturam*, ut forenses loquuntur, habent *in ventre*, prout sunt *Tribunal S. Officii*, *Fabricae*, *Camerae*, et alia si quae sunt in Urbe, quae quidem Tribunalia, quum a prioris judicis sententia appellatio proponatur, et causa ad unum ex iis deferatur, Tribunal ipsum in ea non procedit, sed assumpta prius *figura Signaturae* cognoscit an, et quae appellatio admittenda sit; et hac cognitione praemissa signat commissionem, eam dirigendo alicui ex Praelatis ejusdemet Tribunalis, qui tunc assumendo suam Ordinariam jurisdictionem de Causa cognoscit. Et haec est praxis praesertim *Tribunalis Camerae*, in quo priusquam Causae cognitio instituatur coram aliquo e Clericis Camerae in secunda instantia, a Decano dicti Tribunalis fieri debet *Propositio*, cui subscribunt caeteri Clerici, et ejus vigore Causa committitur uni ex eisdem Clericis (4). Ad tertiam classem pertinent ii

(1) *Cap.* 7. *num.* 15.
(2) *Pag.* 82., *et* 85.
(3) *Tuschus conclus.* 554.
(4) *De Luca in Relat. Ro. Curiae disc.* 33. *n.* 14.

Judices secundae instantiae, qui licet non habeant *Signaturam in ventre*, aliquibus specialibus facultatibus ita praediti sunt, ut videantur unum cum Signaturae justitiae Tribunal constituere; prout sunt *Rota Maceratensis*, de qua alibi dicendum erit, *Curia Gubernii*, et *Vicarii* Urbis, atque Tribunal *A. C.* Nam his omnibus ex peculiaribus privilegiis, a summis Pontificibus concessis, competit facultas admittendi appellationes in secunda instantia absque Signaturae justitiae Commissione; itaut videntur promiscuam cum dicta Signatura jurisdictionem exercere. At nihilominus si collitigans sese gravatum sentiat super admissione, vel denegatione appellationis, permittitur deinde ulterior recursus ad Signaturam, justitiae (1).

In *Curia Capitolina Capitaneus* qui dicitur *Appellationum* aequivalet Auditori Signaturae, cognoscit de admissione appellationis, et ab illius decretis reclamatur ad Senatorem, ab hoc ad Assettamentum (2); quod constituitur quadam Congregatione, Senatoris nempe, duorum Collateralium, et dicti Capitanei, et eodem modo ac Signatura justitiae judicat super pertinentia Causarum et appellatione.

Removet etiam Signatura justiae Judices omnes, aliqua suspicione laborantes, et alios in illorum locum subrogat tam Romae, quam extra; animadvertendum tamen est quoad Vicarium, Gubernatorem, ac etiam A. C., ipsosmet, tanquam capita suorum respective Tribunalium, cognoscere de Causis suspicionum eorum Judicum, et Locumtenentium, et alium deputare in locum illius judicis suspecti allegati, ut est notoria praxis, et observat *Passerinus* (3); et, si partes non acquiescant judicio, et declarationi super hoc factae ab ipsis Vicario, Gubernatore, A. C., tunc recursus habetur ad Signaturae Justitiae Praefectum, vel ad ipsam plenam Signaturam pro habenda moderatione declarationum, factarum a dictis Superioribus Tribunalium; itaut si cognoscat Signatura, quod recusatio jure non fuerit admissa, rescribit *Nihil*, remittendo causam ad Judicem recusatum; si verò alia re-

(1) *Marches. de Commis. super Attent. par. 2. decis. 7. num. 8. Ridolphin. in praxi par. 3. cap. 5. num. 233.*

(2) *Constant. ad stat. Urbis an. 52. ses. 1.*

(3) *In cap. Si contra unum num. 4. de officio, et potestate Jud. Delegati in p. 1. lib. 6. Decretal.*

recusatio admittenda non sit, *nihil de deputatione alterius*; si denique locus sit recusationi, solet rescribere: *Ad A. C.*, *Vicarium* etc. *Pro deputatione alterius*. In foro tamen Capitolino recursus hic non procedit, quum Signatura in dicto foro non se ingerat, sed ex Statuto Urbis, et Reformatione Innocentiana fuit provisum, ut procedat Senator, vel Capitaneus modo, quo supra, et si partes non acquiescant, recursus fit ad *Assettamentum*, quod vices gerit Signaturae; quoad Tribunalia verò Rotae, et Camerae fuit provisum per Constitutiones (1) Pii IV. et Pauli V.

Sententias nullas quorumcumque Judicum ex defectu Jurisdictionis, vel citationis circumscribit, et alteri Judici causas delegat; inhibitiones, a Judicibus perperam concessas, moderatur, vel jubet illis, ut eas moderentur, et è contra si judices eas male moderati sint, mandat eisdem, ut eas reintegrent; et ita, *Fattinellus* (2) testatur, servatum fuisse in Causa *Romana* inter *Garrinos* et *Pintos* ad relationem *D. De Augustinis* 4. augusti 1695.; quum enim *D. Emerix* Rotae Decanus suam moderatus fuisset inhibitionem ob praetensam non integram Actorum transportationem, et subinde capta fuisset possessio, Signatura rescripsit: *Rota inhibitionem reintegret circumscripta possessione*.

Declarat ulterius praeventionum Causas, et ad Judices competentes remittit; circumscribit, et irritat possessionem in Causa appellabili intra decendium captam; et quaecumque attentata in spretum suae inhibitionis facta revocat; mandat Judicibus, ut articulos ad probandum, minùs justè rejectos, admittant; et ita servatum scribit *Fattinellus* (3) in Causa *Romana prælationis Castri Porciliani* 27. *iunii* 1686. proponente *R. P.* D. *Pallavicino*, et in *Romana pecuniaria inter Marchionem Azzolinum*, *et Comitem de Ulfed* proponente *R. P. D. Falconerio*, in qua Signatura rescripsit *Rotæ pro articulorum admissione*; iisdem Judicibus mandat, si Causam nimis properè, et absque maturiori examine expediverint, ut *iterum audiant*.

Subdito litiganti cum Episcopo concedit exemptionem durante lite, ad evitandas saevitias, ut docet *Mandosius* (4), qui adver-

(1) 44., *et* 87. *n.* 71.
(2) *Dict. cap.* 7. *num.* 19.
(3) *Dict. cap. num.* 24.
(4) *De Signatura Gratiae Tit. Exemptiones ab Episcopis vers. aliquando*.

vertit etiam, quod Signatura Gratiae hanc exemptionem concedit simpliciter, et per viam gratiae durante lite. Signatura verò Justitiae non concedit, sed committit Judici cum clausula, *Constito de sævitia*, juxta sententiam *Cassiodori* (1); et licet concedere non possit licentiam alienandi bona Ecclesiae, subrogare tamen ex causa potest Judicem Judici dato in brevi Apostolico super evidenti concessionis utilitate; prout sentit Rota apud *Seraphinum* (2).

Cognoscit ulterius, an alteri litiganti debeantur alimenta, et sumptus litis; et rescribit, ut suo loco adnotabimus, vel absolutè cum clausula, *subministratis alimentis, et sumptibus litis*, vel *cum facultate subministrandi*, juxta opportunitatem, et exigentiam causarum. (3)

Relaxationes juramenti, quod apponi in contractibus solet, si ad effectum agendi, vel contractum redarguendi de laesione petantur, de stilo Curiae proponuntur in altera Signatura Gratiae; aliquando tamen, et perrarò, ait *Marchesanus* (4), conceduntur per Signaturam Justitiae, et apponitur semper clausula, *prout de jure*. Indubium tamen est, hujusmodi relaxationes in Curia passim fieri a Locumtenente Eminentissimi Vicarii Urbis, ac etiam a RR. PP. DD. Auditoribus Rotae in Causis illis, quae coram ipsis pendentes sunt, prout docemur è superius laudato *Marchesano*. In Causis verò, in quibus agitur de Camerali obligatione in Curia ex stilo ejusdem Signaturae non relaxatur juramentum juxta ea, quae tradit *Staphilæus de Litteris Justitiæ* (5), ea potissimum de causa, quod contractus, quibus Cameralis obligatio accesserit, ex ejusdem Cameralis obligationis privilegio sustinentur, non autem a juramento robur suum accipiunt; et proinde quum ex seipsa irrevocabilis sit, etiamsi relaxatio juramenti concederetur, adhuc tamen contractus in suo robore permanerent.

Avocationes causarum, quae litium, coram uno Judice pendentium, ad Principem, vel Superiorem, vel competentem aliquem judicem factae translationes appellantur, ad Principem ipsum, vel alium Superiorem, qui judicem dare possit, pertinere as-

(1) *Decis. 6. n. 3. et 6. de Rescriptis.*
(2) *Decis. 307. num. 8.*
(3) *Decis. 404. num. 6. p. 18. rec.*
(4) *De commiss. relaxat. Jurament. c. IV.*
(5) *Pag. 134. vers. Stilus.*

asserit *Covarruvias* (1); eapropter, Principis personam Signaturæ Justitiae, ut alibi diximus, repraesentante, jureméritò eidem tributa facultas est, illas vel concedendi, vel denegandi; et pro certo habemus, id omnino Signaturae arbitrio conlatum esse, ut causarum qualitatibus plenè rimatis, aliisque circumstantiis, personarum, nempe, atque locorum, quid, quomodo, et quo in loco rescribendum sit, potissimum, ut assolet, animadvertat. Diximus, enim, Causarum qualitates a Signatura Justitiae in Avocationibus esse inspiciendas ex eo praesertim, quod non in omnibus Causis Signaturae Tribunal rescribere solet, ut superius demonstravimus, nec omnium Causarum quilibet judex competens est. Locorum verò qualitates, quamvis *Marchesanus* asserat, esse a Signatura inspiciendas, quae tutum accessum Collitigantium respiciunt; attamen eas prae oculis ab eodem Tribunali habendas Locorum qualitates in Avocationibus concedendis arbitramur, quae in privilegiis, vel peculiaribus praerogativis cujuslibet Civitatis, et loci consistunt.

A denegata justitia, quando nempe aliquis Judex expeditionem Causae differat, recursus habetur ad eamdem Signaturam, quae, constito prius de judicis mora in expediendo, solet Causam committere alteri, ut in statu, et terminis, in quibus reperitur, eam definiat; hoc enim remedio si destituti essent litigantes quum praesertim in aliqua Causa exadverso scribat Procuraror aliquis, sive Advocatus, Judici, vel Praelato amicus, et bonum jus non foveat, nunquam sententia in lucem prodiret; prout evenit nobis in quadam Causa *Neapolitana*, sive *Alexanen. Honorarii*, in qua à biennio, et ultra fuit habitus terminus pro servato, absque ulla informatione, et Causae expeditione, et quum inquireremus, an ullum remedium in praxi existeret ad obviandum hujusmodi dilationi, ex eo quia Judex expedire Causam nolebat, ut fieri assolet, in contumaciam, et Procurator, cui defensionem commisimus, nihil profectò fieri posse ajebat; tunc a quodam peritissimo Juvene a studiis *D. Renatii*, Causarum Patroni magni nominis, accepimus, ad Signaturam Justitiae recurrendum, et de denegata justitia querelam exponendam esse.

(3) *Practic. qn. cap. 9. num. 2.*

In Edicto declarationis, et extensionis decreti super abolitione Tribunalium particularium, alia huic Tribunali tributa facultas est, *ut nempe habentes facultatem eligendi in partibus judicem secundarum instantiarum teneantur illum ibidem per unicam, et universalem deputationem ad omnes Causas deputare; et si controversia emergat super recusatione, vel super modo procedendi coram dicto judice deputato, recurratur ad Signaturam Justitiæ, quemadmodum in cæteris aliis Causis, et negotiis fieri assolet.*

Quum aliquis defectus appareat ex actis Causae, in Tribunali Auditoris Camerae definitae, Signatura idcircò rescribit. *A. C. iterum audiat ex integro*. Et tunc, etsi nonnulli contendissent non esse locum allegationi in suspectum judicem, qui prius judicaverit; attamen eadem Signatura aliter censuit in *Romana* 7. septembris 1758. etiamsi, tam A. C. Locumtenens, quàm A. C. met in dicta Causa judicaverint.

Aliquando Tribunal hoc Signaturam Gratiae repraesentat, quum nempe in aliqua Causa fit recursus, ut ea proponatur in Signatura Gratiae, et ex eo quia dicta Signatura non ita facile habetur, sed perrarò, itaut saepissimè duo, tres, vel quatuor anni excurrant, quum pendeat a voluntate Pontificis, qui, gravioribus detentus negotiis, Principatus curam respicientibus, tam facilè auditum praebere nequit Litigantibus, Auditor Pontificis ad obviandum dilationibus, similes Causas remittit ad Signaturam Justitiae loco Gratiae; tunc enim Justitiae Signatura diversimodè procedit, et in judicando potest, ut ait Cardinalis *De Luca*, laxare habenas, quum illius jurisdictio intra juris limites non sit restricta. Causae enim, quae proponuntur in Signatura Gratiae sunt eæ praesertim, quae iam definitae fuere per rem judicatam, itaut nullum suppetat succumbenti remedium ordinarium pro instauranda nova ejusdem Causae cognitione, et ex indulgentia, sive gratia petitur, ut denuò revideatur; indubium tamen est, magni momenti eas esse debere, ut supremam Principis mentem occupent; illae etiam Causae, quibus obstant *Motus proprii* Summi Pontificis, vel clausulae, alicui Brevi, easdem Causas tangenti, adjectae, irritantes dictae, dignae reputantur judicio Signaturae Gratiae.

In Causis criminalibus hic etiam opus est, ut videamus an se ingerat Tribunal hoc Signaturae Justitiae; quum enim gravamen

men in hisce causis, aeque ac in civilibus inferri possit a Judicibus; et Signatura, ut superius diximus, judex sit omnium, et quorumcumque gravaminum, non immerito hic sermonem habere decrevimus de illius auctoritate in hujusmodi Causis. Et primum quando illa quaestio emergit, an Causa, de qua agitur Civilis, vel Criminalis sit, Signaturae Justitiae proprium, et peculiare est id declarare, juxta notata per *Cavalerium* (1), *Farinacium* (2), et *Scacciam de Judiciis* (3); itaut, si ab ea pro Criminali habita sit, talis ab omnibus habenda est, ait *Rota* (4). Animadvertit tamen *Fattinellus* (5), innixus auctoritati Cardinalis *De Luca*, sub Pontificatu Innocentii X. invaluisse, ut hujusmodi cognitio ad solum Eminentissimum Praefectum pertineret; hinc hodiedum, disputatione intercedente, an Causa Criminalis sit, vel Civilis, citatio fit coram Auditore Signaturae *ad videndum praevia avocatione Causae a Judice Criminali remitti Causam ad Judicem Civilem*; aliquando tamen, ait laudatus *Fattinellus*, vel a Pontifice, vel ab ipso Eminentissimo Praefecto remittitur ad plenam Signaturam ejusmodi declaratio. *De Luca* vero fusius hac de re ratiocinatur, et quum rationi congruum esse existimamus, omne id, quod ostendere conatur, non erit inutile hic illius sensum referre: *Opinio viget*, ait ille, *in Curia apud superficiales, quod plena Signatura Justitiae non potest se ingerere in hujusmodi Causis Criminalibus, neque in eis habet jurisdictionem, quae sola est Praefecti, vel ejus Auditoris*; *verum quando coram me de hoc disputare contingit, advertere consuevi, quod istud est aequivocum, consuetum pabulum superficialium, qui tanquam simplices testes ab auditu nihil sciunt per rationes, vel per principia*; *improprium enim est, quod majorem jurisdictionem, et praerogativam habeat solus Praefectus, vel ejus Auditor, quam habeat totum plenum Tribunal constitutum ex eodem Praefecto, et tresdecim Praelatis, et quod dici potest ipsius Praefecti quodammodo superior, dum ab ejus decretis, et provisionibus recurritur ad plenam Signaturam, quae frequenter retractat, vel moderatur ab eo gesta. Sed id provenit a quadam provisione facta per Innoc. X. laudabiliter quidem, et prudenter, ne sci-*

H 2 *licet*

(1) *Decis.* 443. *num.* 1.
(2) *Quaest.* 100. *num.* 77.
(3) *Quaest.* 65. *per totam*.
(4) *Decis* 52. *num.* 6. *p.* 7. *recent.*
(5) *Cap.* 7. *num.* 31.

licet occasione hujusmodi disputationum in plena Signatura pandantur processuum informativorum secreta, dum est anima Causarum Criminalium usquequo post Inquisiti constitutum, sive examen sequatur legitimatio processus, qui publicetur; atque his terminis retentis, et quando ista ratio intrat, bene procedit, ac servari debet; sed quando ista ratio cessat, quia nempe processus jam publicatus esset, magis verò, si ad condemnationem, vel absolutionem est deventum, vel alias facti circumstantiae praebent, quod praefata ratio nullatenus intret, tunc non videtur quid prohibeat, quin Tribunal Signaturae desuper manus apponere valeat ex regula cum cessante etc. Ideoque iste videtur consuetus error superficialium, qui absque alio discursu cum ea procedunt generalitate, quod in Causis Criminalibus Signatura caret jurisdictione, quoniam dum ejus Praefectus illam exercet, dici non potest, quod Tribunali non competat, sed intelligendum venit ad limites rationis, cui dicta provisio Apostolica prudenter est innixa.

Signatura demum Justitiae non rescribit, neque se ingerit in Causis S. Congregationis Sancti Officii, etiam attingentibus merum interesse Ministrorum ejusdem Supremi Tribunalis, quum earum cognitio pertineat eidemmet Congregationi, et ab illa committantur, iuxta notata per *Marchesanum* (1). Et *Constantinus* ad rem tradit (2), quemdam Ministrum temere contrarium attentasse sub Pontificatu Innocentii XI., qui ausui temerario non arrisit.

In Causis resolutis, ac decisis a Sacris Congregationibus Urbis nec etiam ullam habet jurisdictionem; nam si pars aliqua alteram resolutionem, sive judicatum experiri velit, nova audientia expostulatur ab eisdem S. Congregationibus ad effectum revisionis judicati, quae si denegetur, et de re gravi agatur, solet Pontifex mandare eisdem Congregationibus, ut iterum audiant, et procedant cum voto Rotae (3).

Ita, et in Causis illis, quas cognovit Congregatio Visitationis Carceratorum, nam ex eo quia amplissimae sunt illius facultates in procedendo, solus Papa apponere potest manus circa decreta facta in Visitatione, post *Marchesanum* (4) refert *Constan-*

---

(1) *De commis. p. 1. c. 3. n. 201. ad* 203.

(2) *De appellatione Ann.* 53. *art.* 1. *sect.* 1. *num.* 24.

(3) *Constantin. loco cit. num.* 25. 26.

(4) *De commiss. p.* 3. §. 1. *num.* 67.

tinus (1). Caret etiam facultate rescribendi in Causis Congregationis Baronum, quum haec procedat appellatione remota, et quando appellationis remedium experiundum est, ad Signaturam Gratiae recursus fieri debet, prout docuit *Rota* (2).

Et quamvis Signatura, ut jam diximus, Jurisdictionem non habeat in Causis Cameralibus, ex eo quia juxta vulgarem sententiam forensem Tribunal Camerae habet Signaturam in ventre, hoc est Causae Appellationum, et gravaminum, committuntur eisdem Clericis Camerae ab ipsomet Tribunali Camerae; quod observatur in caeteris Causis definitis a Cardinali Camerario, Thesaurario genarali, et aliis Judicibus Cameralibus; itaut si quis timeat exequutionem sententiae de sui natura non appellabilis, prolatae per jam dictos iudices, solet citare coram Clerico Decano Tribunalis Camerae pro habenda supersessoria ad effectum disputandi dubium in plena Camera, *an, et quomodo sit inhibendum*, quae si denegetur, habetur recursus ad D. Auditorem Pontificis. Nihilominus disputatum aliquando fuit occasione cujusdam edicti, emanati a Cardinali Praefecto Signaturae, quo cavebatur, citationes circa causas pendentes in Tribunali R. C. Apostolicae, factas coram Signatura, vel ejus Auditore, impunè sperni posse, exceptis citationibus ad videndum declarari Causam, et Causam spectare ad alia Tribunalia, remittique ad alios Judices, excitata fuit quaestio, an in Causis Cameralibus, de quibus dubitatur, an spectent ad Camerarii Tribunal, vel Tribunalia Cameralia, id declarandum sit a Camerario, vel potius a Signatura Justitiae, ejusdem quaestionis resolutio commissa fuit R. P. D. *Corradino* tunc Auditore Pontificis, a quo nulla decisio emanata fuit, et a Camerario pro suis juribus tuendis in medium afferebantur plures Pontificiae Constitutiones, et praesertim illa Gregorii XV., confirmans antecedentes omnes praedecessorum suorum, in quibus concessa fuit Camerae, et Camerario in Causis Cameralibus privativa jurisdictio, declarandi etiam illarum pertinentiam, et alia Constitutio Clementis VIII., qua in §. 38. praecipitur, quod *Signatura Justitiae non possit, nec debeat, sive reformando, sive declarando aliquid in Camera nostra, vel alibi in*

(1) *Loco cit. num.* 27.

(2) *Decis.* 230. *n.* 1. *et seq. p.* 19. *recent.*

in Causis spectantibus ad Camerarium praedictum rescribere, et supplicationes signatae nullius sint roboris, nullamque tribuant jurisdictionem, et in §. 40. *quod nullus Judex possit ab iis avocare causas Camerales sub praetextu, quod non sint tales, et ad dicta Tribunalia non spectent*.

Pro parte vero Signaturae obiiciebatur Reformatio Julii III. et Pauli V. (1), ubi decernitur, quod orta lite inter Tribunalia ad quod spectet cognitio Causae, debeat recursus fieri ad Signaturam Justitiae, seu ejus Praefectum; Camerales verò respondebant, id intelligi debere de Tribunalibus A. C., Vicarii, et Fori Capitolini, de quibus loquitur, et non posse comprehendere Cameram, et Judices Camerales, qui habent Signaturam in ventre, et quoad hoc existere peculiare indultum; quod praeservatur a Constitutione Julii III.

At *Petra in Commentario ad Constitutiones Apostolicas*, (2) ait, omnes praedictas facultates, quibus gaudent Judices Camerales, et Camerae Tribunal, respicere Causas verè Camerales, et in quibus Fisci interesse concurrit, et citatur Commissarius Camerae, ut enunciatur in dictis Reformationibus; in caeteris autem Causis indifferentibus inter privatos, quas sibi competere praetendunt Camerales ratione administrationis alicujus muneris Cameralis, quod exercetur a praedictis privatis personis, non esse excludendum jus Signaturae; tunc enim consideratur, Causam non esse Fiscalem, sed privatam; alias sequeretur, quod omnes privatorum Causae introduci valerent ex calumnia litigantium in Camera, absque eo, quod a proprio Tribunali superiori possint coerceri.

Pluribus exemplis se tuebatur etiam Tribunal Signaturae, hujusmodi, nempe, declarationum in similibus Causis, vel ad favorem Camerae, vel etiam aliorum Judicum, factarum ab Auditore Signaturae, et a Signatura plena, immo super Causarum pertinentia inter ipsa Tribunalia Cameralia, spectare nempe ad Camerarium, non ad Thesaurarium; et eapropter inconcussam esse praxim ostendebat, ut Notarii Camerales accedant ad audientiam Signaturae. Cardinalis *De Luca* de hujusmodi quaestione ver-

(1) *Constit.* 71. *Tit. de Auditore Camerae*. (2) *To.* 4. *in Constit.* 1. *Urbani VI.*

verba faciens (1) remedium praescribit, ut ad tollendas ambages jurisdictionis, congruat, Summum Pontificem hujusmodi disputationi finem imponere in sua Signatura Gratiae, et quatenus validum recognosceretur privilegium Camerale, deputare Signaturam Justitiae, ut procedat in hujusmodi pertinentiis Causarum loco Signaturae Gratiae, ne diù hujus congressum expectare cogantur litigantes, et dilationibus via aperiatur. *Petra* demum (2) aliter sentit, dum ait, optime consultum ita non esse, quia non omnes Causae merentur adire plenam Signaturam, ideoque requireretur Auditoris deputatio, coram quo frequentes instantiae fieri possent, qui utique esse deberet Auditor Pontificis, ut ad eum recurratur in hisce Causarum pertinentiis, quae frequentissimè occurrunt, quatenus, prosequitur ille, nolit eam cognitionem Summus Pontifex remittere eidem Camerario, qui sicut, nefas non est, ut judicet in causa propria Fisci, ita neque, ut declaret Causam ad ipsum spectare, prout in Causis Ministrorum S. Officii observari refert laudatus Cardinalis *De Luca*.

Quoad Causas instructas, et definitas in Foro Capitolino, quamvis a *Fenzonio ad Statuta Urbis* (3) habeatur, tam ex statuto, quam ex litteris Apostolicis non esse verum simpliciter id quod vulgò dici solet, Signaturam Justitiae non rescribere, ex eo quia rescribit eadem Signatura ad Judices Capitolinos in casu prorogationis fatalium, et generaliter in omnibus casibus, praeterquam in iis, quibus per Statuta Urbis plenè provisum est; attamen hodiè jurisdictio Signaturae silet in Causis resolutis in Foro Capitolino; nam è reformatione Curiae, facta per Innoc. XI. potestas Praefecti Signaturae collata fuit Domino Capitaneo Appellationum dicti Fori, itaut in omnibus illam repraesentet.

Nec habet in facultate aperiendi os adversus clausulas, *sublata, et decretum irritans*, vel *quod de subreptione, et obreptione dari non possit*, appositas in litteris Apostolicis, Chirographis, vel Brevibus Papae, tradit *Rota* (4); nam proprium, et peculiare jus est alterius Signaturae, nempe Gratiae; ex eo quippe principio, quod Signatura Justitiae non facit rescripta

---

(1) *Disc.* 47. *Relat. Cur. Rom.*
(2) *Loc. citat. num.* 42.
(3) *Annot. cap.* 43. *num.* 2.
(4) *Decis.* 1020. *n.* 3. *coram Seraphino.*

gratiosa, aut aberrantia a juris dispositione, quum solum rescribat, *prout de jure*, ut advertunt *Rebuffus* (1), *Staphileus* (2), et *Romana Rota* (3). Et ex eodem sanè principio quisque intelligit, non posse etiam rescribere Tribunal praedictum cum Clausula *appellatione remota*; ea enim clausula a Pontifice tantum in Commissionibus apponi potest, juxta textum (4), quem sequuntur *Marchesanus* (5), et *Lotterius* (6).

Nequit quoque immutare Judices, datos a Pontifice exequutores literarum Apostolicarum, quum ille tantum possit eos mutare; hinc ad eumdem recurrendum esse *Amayden* (7), ac caeteri alii docent, relati per *Constantinum* (8); nec signare potest Commissiones in Causis, in quibus adest Commissio signata manu Papae, id enim fit ob reverentiam, quae eidem debetur; ita etiam se abstinet a rescribendo in appellationibus Causarum priusquam sententia lata sit, ut refert *Calcagninus in praxi* (9). Caeterae demum materiae, quae meram, et supremam auctoritatem respiciunt, ad Signaturam Gratiae pertinent, ut est potissimum leges tollere, statuta, et privilegia contenta in corpore juris; et de his fusius agit *Staphilaeus*.

Absoluta demum tractatione Jurisdictionis Signaturae, pauca adnotare duximus quoad Jurisdictionem Referendariorum simplicium, quam eos habere, in comperto satis est, at difficultas in eo versatur, num ordinaria sit, vel delegata. Equidem in Causis, quae de sui natura Rotales non sunt, quaeque appellantur Praelatitiae, pro jure certo habetur, illarum cognitionem vigore Commissionis Tribunalis Signaturae Referendariis demandari; metiuntur idcircò Jurisdictionem a Commissionibus, et Judices Commissarii, Causaeque Commissariae appellantur; hinc delegatam tantummodo illos habere Jurisdictionem in Causis decidendis, omnes profectò affirmant; at Referendarios nostros Judices datos potius, quam Delegatos appellandos esse censemus:
Erant

(1) *In Praxi p. 1. de differentia inter rescripta Gratiae etc. num. 15.*

(2) *De litt. Justitiae vers. secundum est.*

(3) *Decis. 658. num. 1. part. 18. recent. tom. 2.*

(4) *In leg. 1. §. Interdum Dig. a quibus appell. non licet.*

(5) *P. 1. cap. 8. num. 1.*

(6) *De Re benef. in apparat. lib. 1. n. 117.*

(7) *De stilo Datariae lib. 1. cap. 5. n. 41.*

(8) *Loc. cit. num. 35.*

(9) *Num. 21.*

Erant enim Romae, et in Provinciis judices dati; qui in decurias, inque album a Praetore, vel Praeside referebantur, eosque selectos appellat *Cicero in Oratione pro Cluentio*; ex horum judicum numero, qui aut sorte, aut litigantium consensu singulis negotiis dabantur, Judices dati dicebantur; Jurisdictionem verò nullam habebant, tantummodo notio, sive cognitio controversiae, et sententiae prolatio eisdem competebat, exequutio verò ad Magistratum, a quo dati erant, pertinebat, juxta legem *a divo Pio* 15. *Digest. de re judicata*; quum igitur certum sit, Referendariis nullam Iurisdictionem inesse, nisi postquam Emus Vicecancellarius, sive Cancellariae Regens unicuique certas Causas assignaverit, sive commiserit, dicendum profecto est, delegatos dici non posse, sed solummodo datos Judices, quibus notio dumtaxat competit; et revera, quando lata sententia ab iisdem exequenda est, id fieri non potest, nisi Commissio Exequutorialis obtineatur ab eodem Signaturae Tribunale.

Quum ergo Referendarii jus dicere soleant in Causis hujusmodi, oportet idcirco assumere ad eam dignitatem viros in jure, et praxi Curiae versatissimos, illisque dotibus, ac praerogativis donatos, quae optimum judicem constituunt; tales enim eos existimat Summus Pontifex, quum in Commissionibus, quae illis diriguntur, Magistros vocat, ita et in caeteris actibus, in quibus de Referendariis sermo habeatur.

Et ex eo quia de Causis Commissariis sermo hic occurrit, extra rem quippe non erit aliqua adnotare, quae munus Referendariorum respiciunt quoad hujusmodi Causas; hinc quando Causa alicui Signaturae Referendario committitur, coram eo transportantur acta prioris instantiae, et producuntur in actis Notarii Archivii, in cujus Officio fiunt citationes necessariae, coram dictis Judicibus Commissariis producendae; quae quidem citationes fieri debent ex inveterato stilo personaliter, ut testatur *Salustius Tiberius* (1), non autem, ut moris est in caeteris Tribunalibus, dimissa copia; et ratio differentiae ea pridem erat, quia caeteri Judices dies fixos audientiae habebant, Commissarii verò secus; coram quibus idcirco pars adversa citanda erat pro die,

(1) *Lib.* 1. *cap.* 51. *n.* 3. *et* 5. *et lib.*2. *cap.* 41. *n.* 1.

et hora certa; at hodie iidem illos Audientiae dies servant, qui a Rota observantur.

Est et alia differentia inter Commissarios, et caeteros alios judices, nam Commissariorum Judicum Jurisdictio expirat, statim, ac feriae Rotales indictae sunt, a mense nempe Junii, usque ad integrum mensem Septembris; itaut si pars aliqua litem prosequi desiderat, obtinenda primum est Commissio, quae dicitur *derogatoria feriis*, suo loco transcribenda. Expirat etiam illorum Jurisdictio, dum Sententias ferendo functi sunt officio suo, itaut, si quid ab eis explicandum sit, nova indigent Commissione; nec super reliquis annexis, et connexis manus apponi possunt ab aliis judicibus Ordinariis, quum ea pertineant ad eos Judices, quibus Causa primum commissa fuit; ita etiam quando ad Causam admittendus sit aliquis interesse habens, id à Commissariis judicibus fieri non potest, nisi pro hujusmodi admissione Commissio prius impetrata fuerit, et deinde pars ex adverso citetur ad *dicendum contra Commissionem*, *et videndum juxta illius formam mandari procedi*; prout adnotat *Ridolphinus in praxi*.

Constitutio a *Benedicto XIV.* promulgata sub *datum Romae VI. Non. Octobris* 1746., qua distinctio fuit praescripta inter Causas Rotales, et Praelatitias, tangit etiam dictorum Judicum munus; quum enim non omnes Causae illi committi possint, recta ratio expostulat, scire, quaenam iis sint committendae, quae vero non; eapropter hic monere debemus, dicta Constitutione cautum fuisse, ut Causae graviores omnes, quae in Romana Curia, tam in Tribunali Emi Vicarii, quam coram A. C. in prima instantia judicatae, et definitae reperiuntur, in secunda instantia nullatenus Praelatis extra Rotam, nec ipsis Rotae Auditoribus, uti Praelatis, tam in possessorio, quam in petitorio committi unquam possint, et debeant, sed quidem tam in petitorio, quam in possessorio Judicio ejusdem Rotae Auditorio omnino esse, et fore committendas. Quum vero Causae graviores hujusmodi ad Romanam Curiam deferantur in gradu Appellationis a Sententiis, et Judicatis quorumcumque Judicum de partibus, liberum quidem sit Parti appellanti pro suo arbitrio, vel eas immediate eidem Rotae Auditorio committi facere, vel, si maluerit, coram praedicto Cardinale Vicario, seu Causarum Curiae Camerae praedictae generali Auditore, juxta

ta eorumdem Tribunalium congruas facultates, appellationem interponere. Si autem ulteriori Appellationi locus sit, Rotae tantum Auditorio eas committendas sancitum fuit, nunquam vero Praelatis extra Rotam, neque ipsis Auditoribus uti Praelatis.

Causas verò minus graves, in prima instantia in dictis duobus Tribunalibus etiam definitas, in gradu Appellationis committendas esse, statuit Summus Pontifex eademmet Constitutione, omnino Praelatis extra Rotam, vel Rotae Auditoribus uti Praelatis; illas tamen de partibus judicandas esse in secunda instantia in dictis Tribunalibus Cardinalis Vicarii, et A. C. juxta eorum respectivè facultates; in ulteriori verò instantia, quatenus ei sit locus, committendas Praelatis extra Rotam, vel etiam ipsius Rotae Auditorio, salva tamen collitigantibus facultate recurrendi ad Signaturam Justitiae in casibus purgationis spolii, attentatorum, nullitatis praedictorum Judicatorum, aliorumque Decretorum, ac actorum, quorum circumscriptio coram eadem Signatura petitur; et tunc liberum est arbitrium ejusdem Signaturae, dictas Causas minus graves committere alicui ex Praelatis, aut remittere ad Cardinalem Vicarium, vel ad A. C. juxta earum qualitates, illorumque facultates.

Graviores, ac proinde Rotales Causas censendas esse, laudata Constitutione edocemur, eas omnes in quibus de *Jurisdictione* agitur, *exemptionibus*, *adoptionibus*, *sponsalibus*, *filiationibus*, *legitimitatibus*, *praeeminentiis*, *praecedentiis*, *Juribus quoque patronatus*, *aliisque honorificis nominandi*, *eligendi*, *et similibus*, *aut de Jure decimali*, *quotizandi etc.* necnon Causas etiam *servitutis personalis*, et generaliter omnes, et singulas Causas pecuniarias, et profanas tum citramontanas tum ultramontanas, attingentes, nimirum illas summam quingentorum scutorum auri, has vero mille scutorum auri similium.

Inter graviores Causas recensuit quoque Beneficiales, in quibus agitur de titulo Beneficii, ac de Jure in re, vel ad rem, nempe ad ipsum Beneficium; item Causas Pensionis Ecclesiasticae, et reservationis fructuum, redituum, et proventuum Ecclesiasticorum quoties annuus valor Beneficii litigiosi, et Pensio, ac quantitas dictorum fructuum excedant summam 24. ducatorum auri de Camera; eisdemque aequavit etiam illas in quibus agitur de primis Dignitatibus Ecclesiasticis, prima nempe post Pontificalem in

Cathedralibus, et prima in Collegiatis, cujuscumque valoris sint. Matrimoniales demum, tam super fœdere Matrimonii, quam super divortio, et illas nullitatis professionis Regularis, etiam accedente consensu partium, Praelatis, vel Rotae Auditoribus uti Praelatis, committi nequaquam posse, decrevit.

Minus graves vero sunt omnes illae pecuniariae, et profanae, quarum valor citra montes non attingit scuta auri 500., ultra montes verò scuta 1000. similia, Beneficiales, Pensionum, et reservationis fructuum 24. ducatorum auri, exceptis semper dignitatibus, ut superius diximus; at quia quandoque veri valoris aestimatio in quibusdam Causis haberi nequit, et proinde pertinentia earumdem determinari nec possit, ideo in eadem Constitutione certa traditur regula, ut nempe quoad census redimibiles, ac constitutos ad formam Bullae Pianae attendatur qualitas, et valor sortis; quoad reservativos verò, livella, canones, ac caeteras annuas praestationes, tanquam debitas ex certo fundo, ratio habenda sit valoris fundi, super quo vel census reservatus, aut livella, annuæque praestationes constitutae reperiuntur; in Causis demum servitutum realium, vel mixtarum, quod valoris cognitio a praedii servientis aestimatione desumeretur, ea semper adhibita distinctione Causarum citrà, et ultra Montes.

Si tamen Partes consenserint, exceptis Matrimonialibus, et nullitatis Professionis Causis, graviores etiam Praelatis committi possunt, et minus graves Rotae Auditori; earumdem vero consensus expressus apparere debet a tergo Commissionis, nec aliter fieri potest; qui quidem consensus si praestitus fuerit pro commissione Praelatis dirigenda, Causa committi non potest Rotae Auditori tanquam Praelato, et commissioni addenda est a Revisore clausula illa: *attento consensu Partium*; alias non modo nullae, et irritae, si secus factum sit, reputantur omnes, et quaecumque Commissiones, verum nulla jurisdictio eidem Rotae, ac Praelatis jam dictis ullo unquam pacto concessa censetur.

Diximus supra, Notarium dictorum Judicum illum nunc esse, qui Archivii dicitur; nam olim quodlibet Romanae Curiae Tribunal, proindèque Causarum quoque Palatii Apostolici Auditores suos proprios Notarios habebant, et tantummodo S. R. E. Cardinales, ac ipsius Curiae Praelati, quibus per speciales Summorum Pontificum commissiones Causarum cognitiones

nes delegantur, certos, ac proprios Notarios non habebant; eapropter in Causis sibi commissis, quem maluissent, ad scribendum, et actitandum assumere poterant. Erecto postmodum a Julio Papa II. Collegio centum, et unius Virorum, qui Scriptores Archivii Romanae Curiae, ut alibi dictum est, appellati fuerunt, idemmet Pontifex iussit, dicti Collegii Scriptores in posterum Notarios omnium Judicum Commissariorum esse debere, exceptis iis, qui peculiares habuissent Notarios, et Cardinalibus. S. Pius v. deinde 15. *Kalend. augusti anno* 4. facultatem dedit eidem Collegio Scriptorum eligendi Notarios Actuarios, et recensitum jus ampliavit ad Causas etiam Cardinalibus commissas, conlato dictis Notariis privativo jure scribendi in Causis praedictis, prout eruditissimè, ut assolet, Benedictus xiv. in Constitutione, edita *anno* 1746., ostendit.

Citationes verò in Causis Commissariis exequi debent per Cursores A. C., prout etiam fit si Causa aliqua itidem per Commisssionem in Foro Capitolino promoveatur; in ea namque a Cursoribus jam dictis, non autem a Mandatariis, qui Nuncii, et Exequutores sunt ejusdem fori, fieri debent, ut adnotat *Lucas Pœtus in praxi Fori Capitolini* (1).

Qui Cursores, ut, et Mandatarii, officium citandi summa fide et integritate exercere debent, necnon tenentur legere, et scribere latine, atque citationum copias exarare bono, atque ab omnibus intelligibili charactere, sub poenis contentis in Constitutione Benedicti xiii. (2); in qua nonnulla alia quoad eos etiam praescripta leguntur, et praesertim ut praedictas copias, vulgo *copiette* bene introducant in capsulis sive *buxolis*, adiacentibus januis domorum, ne extremitates appareant extra foramen *Buxularum*, et facile sit alicui eas extrahere, atque auferre; non existentibus verò praedictis *Buxulis* possint quidem illas taliter intromittere in rimulis januarum, ut a transeuntibus extrahi nequeant.

Nunc descendamus oportet ad ea, quae gerenda sunt coram Judicibus Commissariis, dum instantia promovetur; et ex eo quia illorum jurisdictio firmata non dicitur, nisi Commissio exhibeatur citata parte; idcirco facta illius praesentatione in *Bro-*

(1) *Lib.* 1. *cap.* 5.

(2) *Append. pag.* 65. *ad* 67.

Broliardo (quo nomine in Curia Romana vocatur Regestum actorum), sequens citatio transmittitur .

R. P. D. Elephantutio Judice Commissario.

Spoletana Census.

Citetur NN. ad dicendum contra commissionem in actis ultimo loco praesentatam , et juxta illius formam et tenorem videndum mandari procedi , et inhiberi ad statim , et interim quandocumque ad p. d. istante N. N. principali , sive etc.

Archivium .

Et hujusmodi citatione tantummodo opus est, quando exhibetur prima , et principalis Commissio; nam si commissio secunda erit, dicta citatio non requiritur, quum sufficiat ea, quae facta fuit adversus primam commissionem, qua jurisdictio firmata fuit, juxta sensum *Rotae in Romana Vineae de Fabris* 24.*maii* 1602. *coram Litta*, apud *Marchesanum* (1) impressa . Idemmet, dicunt fori sapientes , observandum esse, quando agitur de Commissione non principali , sed accessoria , et dependenti , prout censuit eadem *Rota in novis decis.* 15. *de Rescriptis* . Sunt etiam nonnulli casus , in quibus dicta citatio necessaria haud reputatur , et praesertim si commissio reformatoria sit (2) , vel quando utraque pars eadem Commissione utatur (3) .

Praecipuum vero effectum antedictae citationis illum esse edocemur , ut communis reddatur Commissio , et fiat de actis; itaut ullo unquam modo qui illam obtinuerit , et , hujusmodi citatione transmissa , coram Judice exhibuerit , amplius nequeat poenitere (4) . Et quando reproducta fuerit , lis etiam ex illa probatur (5) . Descendit enim haec praxis ab illa notissima sententia, quae in Curia invaluit , commissionem qui obtinuit, non posse cogi , ut illa utatur , licet adversarius illam praesentaverit, ex eo potissimum , quod quum favorem impetrantis contineat, ipse possit etiam eidem Commissioni renunciare , prout Doctores firmant auctoritate *leg.* , *quod favore Cod. de legibus* . Haec enim ratio respicit Commissiones illas , quae *sub Banca*

(1) *Part.* 1. *cap.* 3.

(2) *Caputaquen decis.* 324. *num.* 5. *pag.* 1.

(3) *Coccin. decis.* 169. *num.* 7.

(4) *Puteus decis.* 70. *lib.* 2. *Rota in Giennen Canonicatus* 5. *Junii* 1604. *coram Penia* .

(5) *Gregor. decis.* 94. *num.* 2.

ca expediuntur; secus tamen est, quando fuerunt propositae in plena Signatura utraque parte informante, et rescribatur favore potius alterius, quam impetrantis, qui si illam expedire noluerit, tunc adversarius dat aliam Commissionem, qua petit, et obtinet, propositam, ac signatam primam commissionem fieri communem, et eam producit parte citata.

Adversus Commissionem, jam coram Judice Commissario exhibitam, non potest dici de invaliditate, neque in Curia de illius viribus disputari, vel subreptionis, obreptionisque vitium eidem opponi, quum facilem habeant Partes aditum recurrendi ad Signaturam pro reformatione, quatenus opus sit, controversae commissionis; secus verò quando aliquam habeat clausulam conditionalem, disputandum tunc primo loco erit de conditionis implemento; et deinde ad ulteriora proceditur.

Illud hic tenendum est, quod si citatio fit in Curia, sufficit tantummodo editio, sive praesentatio Commissionis in actis; quum verò citatio *ad dicendum contra*, et ad totam causam dirigatur extra Curiam, tunc inserendus est tenor commissionis; et *Puteus cum Achille* (1) censet, non a jure, sed ex communi Doctorum sententia hujusmodi praxim invaluisse. At inficiari non potest, rectam judicii methodum id exigere, ut Adversarius de controversia adversus se mota instruatur, et ita deliberare possit, num cedere, vel jus suum experiri debeat; quod quidem facile redditur ei, qui in Curia citatur, quum ad acta recurrendo de Adversarii instantia certior fit, difficile è contra est illi, qui extra Curiam reperitur, et proinde in citatione, ut diximus, tenor etiam commissionis transcribitur.

Qua quidem citatione reproducta in prima die juridica, quae Lunae, vel Mercurii, et Veneris esse solet in Causis Commissariis, ex eo quia in his tantum diebus habetur audientia a Judicibus Commissariis, fit Decretum, prout sequitur, *N. N. petiit, et obtinuit inhiberi, et mandari procedi juxta illius formam, et tenorem omni etc.*; et deinde, vel producenda sunt nova jura, instrumenta, nempe, ac aliae publicae, privataeque scripturae, una cum actis prioris instantiae, et fit citatio, quae

(1) *Decis.* 241. *n.* 1. *lib.* 3. *Decis.* 10. *de Dolo, et Contumacia*.

quae dicitur *contra Jura*, prout fit in prima instantia, et coram Ordinario Judice; vel revocanda sunt attentata, et citatur *ad videndum revocari*; fiunt denique ea omnia acta, quae sibi ad causae propitiam expeditionem quisque utiliora existimet, et quae coram Ordinario Judice quoad Scripturam, Summarium, et Informationem fieri solent.

Priusquam verò a Commissario Judice sententia fiat, ea pernecessè citatio praemittenda est, quae dicitur ad *terminos substantiales*, et duplex est, una pro judicio Ordinario, altera pro Summario; utriusque formulam inferiùs subnectemus, nam convenit modò, qua de causa fiant; adnotare. Ordo siquidem judiciorum est, ut Adversarius citetur, et judiciorum substantialia serventur, hoc est, actus omnes, qui fiunt ad ordinandum judicium, litis contestatio, conclusio in Causa, calumniae juramentum, et caetera, quae telam judiciariam respiciunt; in Romana Curia verò, ut celerem finem haberent lites, Summi Pontifices sanxerunt, et praesertim Urbanus V., terminos ad dicta substantialia judicii adimplenda servari, dilationes concedendo pro iisdem actibus, licet non fiant, ita namque reus interpellatur ad exequenda dicta acta Judicialia si velit. Et quia aliquando quaestio inter partes erat, an dicti termini benè servati, vel ne fuissent, Innocentius VIII. jussit ad tollendas quascumque disputationes, ut Auditores Rotae ad reiterationem nulliter, vel malé observatorum terminorum, partes, seu collitigantes, eorumve Procuratores admittant, ut videre est in ejus Constitutione (1); et eamdem facultatem postea Pius IV. tribuit cuilibet alio Judici Romanae Curiae (2). Hinc duplici citatione rectè instructum judicium dicitur in Curia, una ad terminos substantiales, altera ad reiterationem, quae fit insimul cum citatione ad sententiam; et rectissimè id fieri arbitramur, quum ita exulant a Romana Curia tot, tantaeque controversiae, nullitatem actorum respicientes, quae in caeteris aliis Ditionibus adèo vigent, ut passim longissimi temporis cursum absumant, et expensae eo majores sint aestimatione rei, de qua agitur.

Cita-

(1) *Constit.* 13. §. 5. *Bullar. nov.* (2) *Constit.* 59. *Bull. nov.*

Citationis Formula.

In Causis Commissariis Summariis ad terminos substantiales:

R. P. D. Elephantutio I. Commissario.

Citetur D. N. N. ex adverso Procurator D. N. ex adverso principalis ad dicendum contra Commissionem, et libellandum ad primam diem, articulandum ad octavam, dicendum contra articulos, producendum omnia, et dicendum contra producta ad secundam, necnon declarandum, et jurandum de calumnia in terminis substantialibus ad primam diem, instante etc.

In secunda, et tertia Instantia earumdem causarum fit similis citatio cum breviori tamen dilatione; nam praeter terminum ad articulandum servantur caeteri termini ad primam diem, juxta Constitutionem Martini V. (1)

Sequens citatio differt a prima, ex eo quia judicium Summarium ab Ordinario differt; et quidem non ratione cognitionis Causae, quae in omni judicio adhibenda est, neque ratione probationum, quum semper partes probare debeant actionem, vel exceptionem propositam, sed ratione dilationum, quae in summariis breviores sunt, in ordinariis vero longiores; in Curia idcirco, quando agitur de Causis ordinariis dantur decem termini substantiales, scilicet ad dicendum contra Commissionem, et libellandum, respondendum libello, contestandam litem, jurandum de calumnia, articulandum, dicendum contra articulos, producendum omnia, dicendum contra producta, ac declarandum; in summariis verò servantur solummodo octo termini substantiales; prout videre est in superius relata citationis formula.

Citatio ad terminos substantiales in Commissariis Ordinariis Judiciis.

R. P. D. Elephantutio I. Commissario.

Citetur D. N. N. ad dicendum contra commissionem ad p. d. ad libellandum ad 8., respondendum libello, litem contestandam ad primam diem, articulandum ad 15., dicendum contra articulos, producendum omnia, et dicendum contra producta ad secundam, nec-

(1) *Bull.* 5. §. 21. *tom.* 1.

necnon declarandum, et jurandum de calumnia ad p. d. instante etc.

Novissimo loco fit citatio illa, quae dicitur reiterationis terminorum, et ad sententiam diffinitivam, quae in usu etiam est coram judicibus Ordinariis; quam quidem citationem Notarius in die solitae audientiae legit coram ipso Judice, qui tunc habet terminum pro servato, et ipsemet Notarius ibidem scribit *pro servato*; qui terminus in Rota est dierum viginti ad subscribendam, et promulgandam sententiam; et in ultima anni audientia durat per mensem; coram Auditore Camerae, aliisque Judicibus tam Civilibus, quam Criminalibus est tantummodo dierum decem, eodemque termino pendente Judex deliberare debet pro subscriptione, et promulgatione sententiae; qua de re si causam, de qua agitur, expedire velit, Notarius scribit in eadem citatione instantiam partis hoc modo: *Idem petiit, et instetit, ac obtinuit terminos reiterari in forma, et absolvi a censuris, si quibus etc. ad effectum etc. petens amplius, et instans, ut supra omni meliori modo*. Et deinde Judicis decretum adnotat hisce verbis.

Ex tunc Illustrissimus Dominus sedens etc. pronunciavit, et sententiavit prout in cedula, quam facto legit, et mihi Notario dedit, tenoris etc. omni meliori modo etc. super quibus etc. praesentibus N. N., et N. N.

Demum Sententia pronunciatur, et subscribitur a Judice per haec verba: *Ita pronunciavi Ego N. N. Judex Commissarius*, et ideo ultra nomen proprium exprimitur etiam illud dignitatis; et officii, ut pateat, se uti judicem pronunciasse, non autem uti privatum; at, quia diximus supra, Judicem pronunciare, prout in cedula, adnotare duximus, de Jure Communi sententiam nullo pacto valere, nisi libello conformem; aequum enim est, ait lex *de qua re dig. de Judiciis*, ut, de qua re Judex cognoverit, pronunciare cogatur; et eapropter praxis Romanae Curiae est, ut loco libelli, sive petitionis, Procurator illius Partis, cujus favore sententia ferenda est, cedulam sententiae conficiat, quam postea Judex, ea benè ponderata, et correcta, si opus fuerit, subscribit, et Notarius adnotat in Regesto.

Et priusquam hujusmodi Sententiam subscribat Commissarius Judex, ad evitandas tres illas nullitates, quae in Curia caeteris posthabitis attenduntur, defectus nempe jurisdictionis, mandati,

ti, et citationis, opus est, ut animadvertat, quam habeat jurisdictionem; et proinde Commissionem observare debet, et an pars citata fuerit ad dicendum contra eam, et deinde Procuratorum mandata si legitima sint, et sufficientia, demum verò citationes, num nempè legitimè factae reperiantur ad terminos substantiales, si exequutae, ac reproductae fuerint in actis; et eapropter dum sententia subscribenda est, Notarius eidem Judici dictas citationes originales exhibet. His omnibus a Judice praecognitis, tenore nempe commisſionis, et citatione ad dicendum contra, e qua dignoscitur, quod firmata fuit illius jurisdictio, mandatis Procuratorum, e quibus patet legitimatio personarum, quae in judiciis praecipuum locum obtinere debet, et demum citatione partis ad terminos substantiales, illorumque reiterationem, et ad sententiam, dubium nullum remanet de processu ordinato, et valido.

In eisdem Causis, expediendis per definitivam sententiam, omninò observare debent Iudices Commissarii declarationes particularis Congregationis, deputatae a Summo Pontifice Clemente XI., tangentes sportularum, sive propinarum, exactionem, quae sequenti ordine in Constitutione reformatoria ejusdem Pontificis (1) recensentur; primo in causis, in quibus procedunt vigore unius commissionis, non liceat eis exigere nisi unicam tantum propinam, juxta taxam in reformatione Pauli V. editam, ac in litteris Innoc. XI. et Benedicti XIII. (2) confirmatam, etiamsi in commissionibus fuerint expressa, et inclusa diversa credita, seu bona, diversae actiones, et diversae personae; ac etiam non obstante, quod ad instantiam collitigantium, vel alterius ipsorum fuerint divisa, et disputata diversa dubia, separatae prodierint decisiones, lataeque separatae sententiae.

In causis verò, in quibus definitum fuit constare de credito unius ex collitigantibus in aliqua certa, et determinata summa, in monitorio, seu commissione petita, discutienda in alia instantia, sive judicio, taxatio sportularum erit regulanda a rata summae in sententia definitae, non autem a tota summa in monitorio, seu commissione deducta; in illis, quae Credito-

 rum

(1) *Const.* 222. *ann.* 1715. 22. *Junii*. (2) *Append. pag.* 60.

rum concursum respiciunt, unica tantum propina exigenda est, habito tamen respectu ad integram summam, et solvenda tamen est pro rata ab omnibus Creditoribus.

Quando autem Commissiones contineant clausulam, *docto de paupertate unius ex collitigantibus Judex procedat absque solutione sportularum, seu propinae*, nullo modo possunt Commissarii Judices exigere sportulas, seu propinam ab ulla ex partibus, quamvis divite, aut sponte dante; renunciatione demum facta liti, eisdem Judicibus non licet quidquam recipere pro sportulis, seu propina, sub quovis praetextu etiam taxationis expensarum, sublatis, ac penitus revocatis quocumque decreto etiam Rotae, usu; seu consuetudine contraria, et quibuscumque aliis in contrarium facientibus.

At quid agendum sit, videamus oportet, quando una, vel altera pars recusationis querelam adversus Judicem Commissarium proponere velit, sive suspectum habeat; tunc enim, si appellans emiserit jam citationem ad dicendum contra Commissionem, et fuerit elapsus tertius dies, ullo pacto ab ipso recusari Judex non potest, nam approbatus censetur, et Commissio communis effecta; et idem dicendum de appellato, si, appellantem praeveniendo, dicta acta judicialia agat; et prout ille ante citationis exequutionem recusare Judicem potest, ita et iste, qui, si citatus fuerit ad *dicendum contra*, potest Judicem electum allegare suspectum: eapropter fit protestatio in *Broliardo*.

Die N. mensis N. anni N.

Pro D. N. contra D. N. N.

In Officio mei etc. comparuit D. N. N. Procurator, et medio juramento tactis etc. allegavit suspectum, suspectissimum R. P. D. N. ideoque protestatus fuit nihil fieri, nisi concordato de alio judice, alias de nullitate etc. petens etc. omni etc.

Et deinde ab eo, cujus interest, causam celerius definiri, et eapropter ad ulteriora procedi, fit sequens citatio coram Regente Cancellariae, per acta ejusdem Notarii officii Archivii.

R. P. D. Regente Cancellariae sive etc.

Nepesina Dotis.

Citetur D. N. N. ex adverso Procurator assertus D. N. N. *ex adverso Principalis ad concordandum de alio Judice in locum R. P. D. N.*

D. N. N. suspecti allegati, et dandam listam confidentium, et diffidentium, quatenus dare intendat, alias videndum per Illmum et Rmum Dominum deputari ex officio, et decretum etc. ad primam diem etc. instante D. N. N. Principali, sive etc.

Archivium.

Ab eodem Regente fit decretum: *relatione facta comparuit D. N. N. Procurator petiit, ut supra. Ex tunc Illmus, et Rmus Dominus mandavit dari listam, ut supra, cum intimatione omni etc.*

Transmittitur postea dicti decreti intimatio cum citatione ad dandam listam.

R. P. D. Regente Cancellariae, sive etc.

Nepesina Dotis.

Intimetur D. N. N. etc. qualiter Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus mandavit dari listam, et alias, prout in actis, ideo citetur idem ad dandam suam, alias videndum deputari Judicem ex officio, et decretum etc. ad p. d. instante D. N. N. Principali sive etc.

Archivium

Si partes de Judice eligendo concordaverint, ab eodem Regente fit decretum, ut sequitur.

Relatione facta comparuit D. N. N. Procurator petiit, et obtinuit, ut supra, deputari R. P. D. N. in Judicem de consensu partium, omni etc. Quum vero in electione non conveniant, ea fit a dicto Regente, et in decreto, loco clausulae *de consensu partium*, dicitur *ex officio*.

Demum animadvertendum est, quod sexta vel septima die julii incipiunt feriae aestivae, sive generales usque ad primam octobris diem. Et quemadmodum Rotae Tribunal feriatur, itaut in ea nulla causarum cognitio institui potest, nisi a Pontifice impetretur derogatio eisdem feriis; idem etiam servatur quoad dictos Judices Commissarios, ut alibi diximus, et dicendum erit, Commissionem derogatoriam hujusmodi feriis describendo.

CA-

CAPUT II.

De actis præambulis ad effectum adeundi plenam Signaturam, et de auctoritate Auditoris Signaturae.

PRaemissa jam notitia jurisdictionis Signaturae, e qua facili negotio percipi potest, qua de causa quisque possit eam adire, proximum est, ut videamus, quid prius agendum sit, ut legitima sequatur propositio Causae in eadem plena Signatura; eapropter de actis præambulis sermonem hic habere decrevimus; et ut rectius id expleamus, ante omnia duximus recensendum, Commissiones vel esse de rebus signari solitis, vel contentiosas; quoad illas plenae Signaturae rescripto opus non est, secus vero quoad alteras; et proinde ordinem signandarum commissionum, quum obvia, et frequentissima materia sit, exponendo, nè de omnibus diversorum negotiorum commissionibus verba faciendo, ultra morem, ac propositum nostrum prolixiores simus, exemplo potissimum utimur Appellationis. Causæ igitur vel de sui natura appellabiles sunt, itaut nulla inter partes sit controversia, nec dubium aliquod intercedat; et tunc Commissio pro appellatione obtinenda in plena Signatura non proponitur, et ea jam efformata a Causae Patrono, sive Procuratore, et a tergo ipsiusmet commissionis illius nomine adnotato, alicui ex Referendariis exhibetur, ut eam legat, ac cognoscat, num sit de rebus signari solitis, et deinde suo nomine in superiori parte ad laevam obsignet, quod in Curia dicitur *Referendariare*; in calce verò ipsius addit verbum *Placet*, si Rotae, aut alicui Romanae Curiae Praelato Commissio dirigenda sit, si tamen in partibus, scribit *Concessum*, indicans talem fore Signaturam; hisce omnibus absolutis Commissio signanda porrigitur Eminentissimo Praefecto, qui propterea cujusdam opera utitur, Revisoris Commissionum appellati, ut cognoscat, cujus naturae sint Commissiones signandae; et eapropter hic eas omnes perlustrat, addit, ac delet, si opus sit, et inter rejectas collocat, Commissionum defectum, sive errorem in calce earumdem adnotando; omni demum difficultate submota, eidem Emõ Praefecto Signaturae nomine Papae signandam exhibet; quae quidem commissio ita signata vulgò appellatur *sotto banca*.

Si

Si verò agatur de Causis, quae Appellationem non merentur, vel devolutivam tantum, non suspensivam, prout est in summariis, et executivis, et per appellantem ei locum esse sustineatur, ratione, nempe, nullitatis, vel injustitiae, ob quarum unam, firmum in praxi est, appellationem esse admittendam, tunc plenae Signaturae judicium experiundum est. Et quamvis appellabiles causae, in quibus dubium aliquod sit, eodem ordine superius recensito signari possint; itaut citatio fiat coram Revisore, vel coram Signaturae Praefecto ad dicendum causam, quare commissio signari non debeat; mos tamen novissimis his temporibus invaluit, ut causarum Patroni ad circuitus evitandos, in appellationibus, in quibus dubium aliquod sit, an admitti, vel rejici mereantur, extemplo plenam adire Signaturam festinant (1). Hinc hodiedum commissiones, quae in camera ab Eminentissimo Praefecto signantur, respiciunt eas tantummodo causas, in quibus de appellatione nulla inter partes sit disputatio; non mirum idcircò est, si causarum numerus in Signatura summopere excrevit.

Et ex eo quia non omnes mox expressae causae, in quibus controversia inter Partes sit, an admitti, vel reiici debeat appellatio, in plena Signatura jure proponi possunt; rectam, ut par est, methodum servando, hujusmodi causas ad duo tantummodo genera redigendo, exponemus, quid in unoquoque earum servandum sit ad effectum adeundi plenam Signaturam. Et primum si reclamatur a judicatis illis, quae negotium principale non feriunt, sed incidentia dumtaxat respiciunt, prout sunt controversiae super attentatorum purgatione, pertinentia Causarum, competentia Jurisdictionis, et caetera hujusmodi, quae sigillatim recensentur inter *decreta anni* 1742., neutiquam fas erit plenam adire Signaturam; in iis enim coram Auditore Signaturae instantiam promovere debent Defensores; ejusque decretum habet eamdem vim, ac si in plena Signatura Causa proposita, et ab ea rescriptum fuisset; itaut si Partes, eo non obstante, plenam Signaturam adire velint, proceditur eodem sane modo, ac in reiterata propositione; indignum quippe reputa-

(1) *De Luca in Relat. Rom. Curiae.*

tatum fuit, ut controversiae, quae excitantur quoad judiciorum incidentia, occupent audientiam hujus supremi Tribunalis, quae vix satis est caeteris controversiis, quae inibi definiendae proponuntur quoad appellationes, negotium principale respicientes; ideoque jureméritò illarum cognitio demandata fuit Auditori.

Et quamvis Eminentissimus *Salviatus* suo Edicto id ipsum praescripserit, attamen Auditores se a judicio ferendo in hujusmodi instantiis eximentes, eas remittere cœperunt judicio plenae Signaturae; hinc providè sancivit Collegium Votantium Signaturae, ne ullo unquam pacto licitum esset eisdem Auditoribus instantias, et causas praedictas ad plenam Signaturam remittere; itaut pro eorum judicio omnino decretum proferre teneantur, cui tamen si pars aliqua acquiescere nolit, ne ab unius judicio definitio pendeat, potest adire ipsummet Eminetissimum Praefectum, qui simplicem etiam remissionem instantiarum hujuśmodi ad Signaturam plenam facere nequit, sed quid ipse juris censeat, deliberare debet ex assertione actoris, et contradictione adversarii, sive (ut clarius agendi methodum exponamus) decretum proferre tenetur, quo vel instantiam reiiciat; vel admittat.

Ut autem legitima sit citatio, quae a parte reclamante fit coram dicto Eminentissimo Praefecto, non modo requiritur, quod praecesserit, ut supra diximus, instantia coram Auditore, verum omnino necesse est, quod hujusmodi citatio, priusquam per Cursores Parti adversae transmittatur, sit subscripta ab eodem Praefecto, sive ejus domestico Auditore, prout *anno* 1722. Eminentissimus *Scotti* etiam statuit, caeteras citationes non subscriptas nullas ac irritas declarando, et Notariis inhibendo, ne audeant illas legere, vel recipere, exceptis citationibus in quibus carceratus existat; et quia ibi se subscribendo adnotat haec praecipua verba, *poterit legi*, usuvenit propterea subscriptionem illam *poterit legi* appellari; monere etiam debemus, quod si citatio modo praemisso subscripta non fuerit, nullius roboris erit, et impune, idest sine attentatorum incursu sperni poterit; prout videre est in *capit*. 16 *Edicti superius laudati*.

Adnotandum verò hic est, necessitate aliqua non obstringi reclamantes a decreto Auditoris Signaturae citandi Adversarios

rios coram Praefecto pro illius moderatione, sive repositione; licitum enim illis est, recto tramite plenam Signaturam adire, facto prius deposito scutorum quatuor, ad hoc ut si denuò in eadem succubuerint, adjudicetur Parti victrici in causam refectionis expensarum; ita namque cavetur in *cap.* 2. ejusdem *Edicti*; nec in novissimis *Decretis anni* 1742. praescribitur, ut omnino a decreto Auditoris Signaturae recursus habeatur ad ipsummet Praefectum, immo partium arbitrio relinquitur, prout ex verborum contextu apertissimè deprehenditur.

Quum verò ab Eminentissimo Praefecto decretum fuerit latum conforme illi Auditoris, quocumque modo conceptum sit, vel cum clausula *supersederi*, vel cum clausula *nisi*, aut alia quacumque, qui sibi gravamen illatum esse censeat, et plenam adire Signaturam vellet, ad dictum consuetum depositum semper, et omnino tenetur. De forma, loco, et tempore faciendi praescriptum depositum fusius agemus infra.

Ejusdem generis, ac dicta incidentia, reputantur in *capit.* 14. Causae illae, in quibus agitur de re judicata ob non interpositam, aut legitimo tempore prosequutam appellationem, de judicato alterius revocatorio, de mandato consignandi uni potius, quam alteri ex creditoribus, de mandato relaxato in judiciis redditionis rationum, liquidationis fructuum, damnorum, et expensarum; quum pro certo in foro habeatur, hisce in controversiis, de Signaturae stilo, passim admitti appellationem. Et ut expensis idcirco, quae in propositionibus Causarum in plena Signatura occurrunt, modus fiat, eodem laudato capite novissimae sanctionis cavetur, ut quando agatur de Commissionibus in superius expresso Causarum genere signandis, quatenus controversia aliqua super modo signandi suboriatur, instantiae proponantur coram Auditore, Partibusque ab ejusdem decretis reclamare licitum non sit, nisi facto ante propositionem in plena Signatura consueto deposito; eoque adimpleto, ipsamet agendi methodus servanda est, quae adhibetur quoad caeteras illas Commissiones, sive causas, in superioribus decretis non comprehensas, prout, de illis sermonem infra instituendo, sigillatim animadvertemus.

Ad alterum idcircò Causarum genus gressus dirigendo, satis quippe in comperto est, quod in iis, quum litigans ille, qui

in judicio se laesum senserit, ne decretum diffinitivum, vel vim habens diffinitivi, in albo rerum judicatarum describatur, neve exequutionem sortiatur, Signaturam plenam adire velit, ut appellationis Causa ab ea committatur, citatio fit coram Auditore Signaturae, qua adversario denuntiatur, ut praesto sit, ac paratus ad experiendam Signaturae resolutionem super appellatione, hoc est, ut Forenses ajunt, ad effectum discutiendi in plena Signatura, *an, et quomodo Appellationi locus sit*.

Ea enim citatio pernecesse praemittenda est, nam Commissio Causae nullo pacto impetrari potest absque citatione; et quamvis *Ubertus* asserat (1), Commissionem Causae absque ea impetrari posse, ex eo potissimum, quia Causae committuntur prout de jure, juxta sensum *Capit. Causam, quae, de Rescriptis*, attamen ipsemet Auctor laudato loco rem omnem aperit, quum *Bartoli* sententiam in *Leg.* 2. *n.* 3. *Cod. de temporibus Appellat.* in medium profert, tunc, nempe, Citationem in obtinendo Principis rescripto non requiri, quando alteri praejudiciale non sit; hinc ratione praejudicii, ait ille, quando Pars se opponit in Curia, et vult audiri in Signatura, vel quia Causa appellabilis non sit, vel quia appellatio non fuerit legitima, sive statuto tempore interposita, tunc debet citari.

Quae quidem Citatio Parti colliriganti transmittitur per Apparitorem, sive Nuncium absque ulla Judicis, vel Notarii subscriptione; et ne quis, rerum nostrarum expers, fortè miretur de forma hac citandi, qua Romana Curia in omnibus Tribunalibus utitur, quum alibi sine Judicis jussu id fieri, consuetudo, vel stilus vetat, de ea aliquid dicere se se offert occasio. Equidem in comperto satis est, priscae Romae temporibus in jus vocationem propria auctoritate factam fuisse, itaut Actores Reos sibi obvios monerent, ut se in Jus sequerentur, hinc Plautus ..... *ambula in jus* (2); quae deinde citandi consuetudo postquam semel Jus Civile Romanorum sibi viam munivit in quamplurimis Provinciis, Romano Imperio subjectis, in aliquibus invaluit, prout in Germania praesertim de *Tractu ad Renum*, et *Hennebergico* observat *Schilterus* (3); et quod alicubi etiam

(1) *In Tract. de Citationibus.* (2) *In Curculio vers.* 2. (3) *Exercit.* 7. *obser.* 7.

etiam insalutato judice injungere aliquis possit Apparitori, ut Adversarium in jus vocet, testantur *Gudelinus* (1), et *Bachovius* (2); ita et in *Belgio* in quibusdam Tribunalibus Apparitores, sive nuncii, nullo specialis Judicis mandato interveniente, sed sola Partis petitione, citationem exequuntur, ut post alios citatos observat *Christinaeus* (3), idque fermè ex tacito, et generali Magistratus mandato; eamdem distinctionem in *Gallia* servari testatur *Rebuffus*.

Exequuta, et transmissa dicta citatione, in termino in eadem contento reproducitur, hoc est, Notario Causae exhibetur, ut in audientia Signaturae eam recitet coram Auditore, nam alias circumducta dicitur, idest habetur tanquam non facta, prout exponunt Doctores in *leg. Acta Dig. de Re judicata*, et in *leg. si Praeses Cod. quomodo, et quando Judic.* Auditor verò Signaturae, facti circumstantiis rite, recteque libratis, partibusque auditis, vel denegat, vel impartitur supersessoriam sequenti decreto, quod a Causae Notario in calce citationis extenditur: *N. N. petiit, et obtinuit, ut supra, nisi ad primam diem cum intimatione, omni etc.*, vel, *petiit, et rejecit instantiam*; Intimatio vero, quando Pars adversa praesens in Audientia non fuit, fit prout sequitur: *Eminentissimo Signaturae Justitiae Praefecto, sive &c. Intimetur NN. ex adverso principali, qualiter D. mandavit supersederi, seu inhibuit, et alias, prout in actis, instante NN. principali, sive etc. N. Notarius.*

Animadvertendum tamen est, quod denegata supersessoria a recensito Auditore, potest dénuo experiri judicium ejusdem citando *ad videndum reponi*, quod idem est, ac de medio tollere decretum latum, eamdem instantiam iustaurare, novisque excogitatis juribus ipsimet judici suadere pro recessu a decisis, et concessione expostulatae supersessoriae. Dubitari enim non potest, quin haec citatio legitima sit, nam Romana Curia juri Caesareo innixa, eam in praxi recepit sententiam, quod Judex decretum suum interloquutorium revocare quandocumque possit, secus vero diffinitivum, per textum in *leg. Quod jus-*

sit

(1) *De jure novissimo lib. 4. cap. 5. bus abrogatis lib. 1. cap. 112.*

(2) *In notis ad Bignionum de legi-*

(3) *In tract. de Citation. Glos. 4. n. 8.*

sit Dig. de Re judicata; et eapropter omnes, sive Ordinarii, sive Delegati Judices Romanae Curiae quotidie eorum decreta revocant, et partem reponunt in statu, in quo erat ante decretum latum; nam pro regula receptum in foro est, quod licet decretum quoad partes transeat in judicatum, secus tamen est quoad Judicem. Ita ratiocinatur *Mandosius in formul.* IX. *Commissionis*, in verbo *admittat*, et *Rota in Romana pecuniaria* coram Cardinali *Platto* (1).

Denegata iterum supersessoria ab Auditore Signaturae, aliud et suppetit remedium, nam recursus fit coram Eminentissimo Praefecto, et citatio, praevia subscriptione, quae appellatur *poterit legi*, parti transmittitur hisce verbis concepta.

Eminentissimo Signaturae Justitiae Praefectomet.

Citetur N. N. ex adverso principalis ad videndum, praevia quatenus opus sit repositione, mandari supersederi usque ad primam, post proximam, Signaturam, et interim inhiberi ad statim, seu ad primam diem, et interim quandocumque, ne audeat aliquod mandatum suscipere, aut susceptum exequi facere etc. aut quidquam prorsus innovare, vel attentare sub poenis etc. scutorum 500., *et aliis arbitrio Eminentissimi Domini, et decretum ad primam diem etc. Instante N. N. principali, sive etc. N. Notarius.*

Supremum vero praesidium extat penes Auditorem Pontificis, cujus facultates amplissimae sunt, itaut porrigantur etiam supra eamdem Signaturam, et proinde non immerito pluries eidem legem praescripsit in rebus potissimum, quae ex abusu in stilum adoleverunt; qua in re summopere laudandus fuit integerrimus justitiae stator, Jurisprudentiaeque decus, ac praesidium, *Argenvillieres*, ad Cardinalatus apicem evectus, qui gloriae suae satis consuluit in ritè, rectèque gerendo munere Pro-Auditoris Pontificii.

Si autem nec facultas ab eodem concedatur adeundi plenam Signaturam, et proinde nec supersessoria, tunc de facto potest eam quisque adire, verum in casu succumbentiae alteri colliti-ganti solvenda sunt scuta quatuor pro expensis, ut patet *ex Edicto* Emi Signaturae Praefecti, relato in Bullario Clementis XI. Ver-

(1) *Impress. apud Marchesan. de Commiss. nullit. sanat. p.* 3.

Verbum enim succumbentiae à Romano jure descendere, non immerito existimamus, nam in *Leg. Pola Cod. De his, quibus ut indignis etc.* habetur, succumbere, et non obtinere paria esse; hinc facile quisque intelligit, quid significet casus succumbentiae.

Hanc enim supersessoriam, ex jam dictis patet, speciem quamdam esse intercessionis, unum inter caetera remedia, quae Romani antiquitus Litigantibus indulgebant, nè se quisque unius judicis sententia oppressum esse conquereretur; ea namque quid diversum ab appellatione erat, prout eruditissime demonstrant *Cujacius* (1), et *Carolus Bretus* (2); hinc appellantes provocabant ad majorem Judicem eo consilio, ut retractaretur sententia iniquior; intercedebant vero Litigantis rogatu ii, quibus, vel aequale, vel minus erat imperium, non ut Sententiam rescinderent, sed ut eam exequutioni mandari, vimque fieri, eo nomine prohiberent.

Effectus verò antedictae citationis, transmissae pro obtinenda supersessoria, is est, ut si Pars citata ea pendente aliquid in judicio agat, pro attentato habeatur; nam dicta citatio facta coram Cardinali Praefecto, sive ejus Auditore habetur tanquam recursus factus ad Principem, et litis pendentia ex ea oritur; hinc ex illa notissima juris regula, pendente lite nihil esse innovandum, descendit, quod omnia acta post dictam citationem sint attentatorum vitio obnoxia, et per viam attentatorum revocanda; prout firmat etiam *Constantinus* (3) ex *Cappucii* praxi et *Rotae* auctoritate (4). Et quamvis laudatus *Cappuccius* (5) asserat, per simplicem recursum ad Signaturam attentata non oriri, attamen *Constantinus* superius recitato loco ambagem omnem ademit, dum demonstravit, id locum habere si possessio capta sit, vel actus aliquis gestus post recursum concessum sine supersessoria, et ita loqui Decisionem 276. coram *Bichio*, per eumdem *Cappuccium* allegatam, non autem quando possessio capta est adhuc pendente recursu; nam hujusmodi citatio, etiamsi non fuerit lecta coram Praefecto Signaturae vel ejus Auditore, sed fue-

(1) *Observat. lib. 21. cap. 33.*
(2) *De Ord. perant. Jud. Civil. c. 42.*
(3) *Ad Statut. Urbis de Appellat. annot. 52. art. 1. sect. 1. n. 40.*
(4) *Decis. 409. n. 31. p. 9. recent.*
(5) *To. 1. p. 3. cap. 4. art. 15. n. 239.*

fuerit solum reproducta in actis loco jurium, ad docendum nempe de attentatis, et de possessione capta, sive alio actu gesto post hujusmodi citationis exequutionem, et in illius spretum, indubium est, quod proferat attentata (1).

Hinc rectè *Ubertus* (2) affirmat, quod talis citatio *ad videndum supersederi, et inhiberi*, ex quo prima supersessoria regulariter conceditur, causet attentata, quum habeat vim inhibitionis formalis, etiamsi Judex postea non inhibeat; immò dicta citatio reddit etiam attentata omnia gesta in partibus post exequutam citationem, licet notitia citationis, factae in curia Procuratori, adhuc pervenire non potuerit ad partes; eapropter, ut Attentatis obvietur, necesse est, ut Procurator citatus curet, quod apponatur in decreto clausula *supersederi in statu, et terminis a die intimationis faciendae in partibus*. Stilus autem Curiae ita se habet, ut si Procurator citatus potuerit ante decretum scribere in partibus exequutionem citationis, reddantur nihilominus attentata omnia gesta a die possibilis notitiae; ideo ad obtinendam attentatorum purgationem, quando altera pars obtinet, ut apponatur in decreto, *in statu, et terminis*, necesse est, ut instans pro supersessoria curet, ut adjiciatur altera clausula, *sine praejudicio Attentatorum*.

Elapso deinde tempore supersessoriae obtentae, succurritur appellanti petitione alterius supersessoriae, citando adversam Partem, priusquam expiret praefixus terminus, *ad videndum*, nempe, *prorogari supersessoriam*; attamen ultra binas supersessorias, aliae a Signaturae Praefecto, vel ejus Auditore non conceduntur, ne beneficiis hujusmodi in aliorum detrimentum nefarie abutantur appellantes; itaut si post dictas binas supersessorias capta sit possessio, et facta judicati, de quo provocatur, exequutio, non erit attentata, ut ex antiquo *Edicto anni* 1661. testatur *Rota* (3): agebatur enim in eo Tribunali quaedam *causa Bononien. Censuum*, et quum ab *A. C.* fuissent declaratae nullae quaedam impositiones censuum, factae a *Vincentio Marescotto* favore *Assumptorum Abbatiae Sanctorum*

(1) *Decis. Civitatis Castelli, bonorum coram Bevilacqua.*

(2) *De citat. p. 3. vers. Citatio.*

(3) *Decis. 181. n. 2. p. 15. recent.*

rum Naboris, et Felicis, et eodem tempore relaxatum Mandatum de manutenendo adversus deliberationem praedii, factam in partibus ex causa dictarum impositionum, et ab R. P. D. *Albergato* in ulteriori instantia confirmatum, qui vigore rei judicatae mandavit etiam exequi mandatum de manutenendo, et *Vincentius* bonorum possessionem apprehendisset, *Assumpti* ostendere conabantur eam fuisse attentatam; hinc, proposito dubio, *Rota* negative resolvit, quamvis possessio capta sub die 13. *septembris anni* 1666. videretur attentata, ut pote capta pendente supersessoria concessa sub *die* 30. *junii*, prorogata *die* 20. *augusti*, et *die* 10. *septembris* usque ad primam Signaturam habitam die 23. ejusdem mensis.

Hujusmodi citatio pro habenda supersessoria aliquando occasionem praebet Litigantibus calumniandi, itaut Justitiae cursum hisce modis studeant impedire; per Apparitorem enim postquam illam alteri Collitiganti transmiserunt, in Signaturae Audientia data opera ab illius productione se abstinent, et pluries repetitur, ut lis summopere protrahatur; et quamvis conscii Curiales sint se succumbere, et per consequens petitionis injustitiam agnoscant, adhuc tamen id studiose agunt pro temporis beneficio obtinendo; hinc huic abusui remedio aliquo occurrendum esset, ut nempe dictae citationes non causarent attentata. Et revera tempore Emi De *Luca*, quum erat Pontificis Auditor, quoad recursus, qui coram eo haberentur, declaratum ab eodem fuit, quod hujusmodi citationes effectum reciperent à subsequuto eventu, quod scilicet, ut ipse ait (2), *si efficaces essent, quia concederetur Supersessoria, vel fieret alia provisio impeditiva Exequutionis, tunc intraret retrotractio, et exequutio attentata remaneret, secus vero ubi reiceretur*; et ita calumniis, et malitiis Causidicorum occursum fuisse credidit; et quando Curiales ajebant attentata resultare a spretu, ob violationem reverentiae erga Judicem, cujus majestas laeditur, et eidem dicitur fieri iniuriam, tunc ille respondebat, quod libenter evangelicum praeceptum remittendi offensas observabat.

Caeterum supersessoriam impartiendam, esse contendunt ali-

(1) *Disc.* 45. *p.* 1. *de Judiciis*.

aliqui, docto prius de injustitia decreti, sive sententiae, vel ejus nullitate, prout ex *Caputaquen.* (1) prae caeteris firmat *Ubertus* de *Citationibus*; attamen haud facile iis assentimur. Indubium enim est jure quemquam a Judicis sententia appellare posse, itaut peculiare munus sit alterius Judicis, cui Causa committi debet, de injustitia, et nullitate prioris sententiae inquirere; idcircò Signatura de causae meritis judicare non debet, tantummodo enim in supersessoriis concedendis cognoscere valet, an appellabilis Causa sit vel ne; et quamvis Signatura plena de Causae meritis inquirat aliquando, id evenit, ut ritè decernat, quaenam appellatio suspensiva, nempe, vel devolutiva concedenda sit.

Pro obtinenda tamen antedicta supersessoria ad effectum purgationis attentatorum, vel commissionis Causae appellationis, evenit aliquando, ut Auditor Signaturae demandaret prius Actorum transportationem, quum nempe ageretur in Causis extra Curiam Romanam definitis; quod sanè manifestum erat absurdum, quum acta transportanda sint coram Judice, cui Causa appellationis, sive alterius gravaminis commissa reperitur, non coram Judice committente, satis enim est exhibitio sententiae, sive illius exemplaris, a qua appellatio proposita fuit. Hinc in Causa *Aprutina Beneficii anno* 1749., quum nec Auditor Signaturae, nec Eminentissimi Praefecti Auditor facultatem adeundi plenam Signaturam concedere vellent ad effectum circumscriptionis possessionis, attentatè captae infra decendium, ad appellandum a jure statutum, nisi prius transportatis actis, recursum fieri suasimus ad Auditorem Pontificis; et coram eo facta brevi scriptura, ac informatione, obtinuit Defensor decretum, quo cautum fuit relaxari commissionem absque ulla praecedenti Actorum transportatione; et ita idem Auditor servari mandavit in caeteris similibus Causis. Decreti tenor sequens est.

Aprutina Beneficii.

Die 27. *Martii* 1749.

Illustrissimo, et Reverendissimo D. Auditore Sanctissimi.

Citetur Dominus Lucas Quadrari ex adverso Procurator assertus Reverendi Domini Canonici Venantii Mariani ex adverso prin-

---

(1) *Decis.* 114. *p.* 3. *num.* 2.

psincipalis ad videndum reponi a quocumque decreto nulliter, et indebitè extorto, et ad audiendam voluntatem Illustrissimi Domini super propòsitione Causae in plena Signatura, et Decretum ad p. d. etc. instante R. D. *Franciscantonio Ferri principali, sive etc.*

Paparotius.

Relatione facta comparuit Dominus *Antonius de Maximis Procurator, petiit, et obtinuit, ut supra.*

Ex tunc Illustrissimus Dominus *reposuit a quocumque contrario decreto tam R.P.*D. *Auditoris, quam Eminentissimi S.I. Præfecti, et mandavit proponi Causam in Signatura absque ulla praecedenti Actorum transportatione, exhibito dumtaxat in fronte Summarii decreto, seu sententia, a quibus appellatur, una cum commissione, atque idem in posterum servandum esse declarat in quolibet alio casu occurrenti.*

Eo namque decreto consultum fuit abusui jam introducto asportandi integra acta, et illa inter acta Notarii Archivii rubricandi, (pro qua rubricatura solvendum erat statutum emolumentum), et postquam commissa a Signatura erat Causa, denuò eadem acta coram Iudice Commissario transportandi, et rubricandi.

Et quia de numero supersessoriarum, diximus supra, ultra binas elargiri non posse ex *edicto anni* 1661., quid postea Cautum sit, opus est, ut exponamus. Et primum, caeteras sanctiones omittendo, *Edicto* Eminentissimi *Salviati* statutum legitur sub *numero* XXII., supersessorias in Causis proponendis in plena Signatura non concedi ab Auditore Signaturae, nec ab Eminentissimo Praefecto, postquam fuerit concessa prima supersessoria, et unica illius prorogatio, itaut ulteriores citationes pro eis obtinendis factae, vel faciendae, nisi fuerint subscriptae modo, quo supra, non attendantur. In *Capit*: verò II. *decretorum* Collegii Signaturae novissimè sancitum fuit, ab Auditore Signaturae concedendam esse in quibuscumque Commissionibus in plena Signatura proponendis nonnisi consuetam supersessoriam 15. dierum, et unam tantum Prorogationem ad alios 15. dies, et deinde ad primam immediatam Signaturam dumtaxat duraturam, idque etiam juxta negotiorum qualitates; quibus quidem supradictis supersessoriis, et prorogationibus elapsis, licitum eidem haud esse aliam concedere. Quum tamen adeo urgentis-

sima necessitatis causa existat, aliam concedendi prorogationem ultra primam, ita ut aliter fieri non possit, citationem pro ea obtinenda primum ab Auditore, secundò a Decano ejusdem Signaturae, ac postremò ab Eminentissimo Praefecto propria cujusque manu, et occasione dictae necessitatis, summo jure, et extrajudicialiter cognoscendae, subscribendam esse, et aliter quam superius praescripto modo transmissam, nullam, ac irritam censeri, nec attentata causare, in eodem *capit:* praescriptum legitur. Ita namque crediderunt sapientissimi Patres modum praescribere tot prorogationum petitionibus; res tamen non ita se habuit, ex eo praesertim, quod Causidici ad dictas prorogationes obsoletas expiscandas, necessitatis causas invenire non diffidentes, fastidio afficiebant quotidie jam dictas personas, quarum simultanea subscriptio requirebatur; qua de re Emus Cardinalis *Nerius Corsini* matura deliberatione; praevio unanimi sensu ejusdem Collegii, ac facto verbo cum Pontifice sub *die 26. septembris* 1742., statuit, ut in posterum praecipua cura Auditoris esset, si aliqua legitima, ac urgentissima causa post elargitam unam tantum supersessoriam, et prorogationem, suboriretur, cujus cognitio ejus prudentiae demandatur citationes praedictas pro obtinenda altera prorogatione subscribere, nulla alia adhibita subscriptione; id vero observare debet Auditor, quod citationes praedictae pro obtinenda extraordinaria prorogatione praeventivè subsignatae sint ab ipsomet Auditore, cum solita clausula, *poterit legi*, et cum expressione *pro prima*, vel *secunda vice* juxta numerum prorogationum, extra ordinem petitarum, ne occasio detur obreptitiis circumventionibus, quas Auditor inter assiduas, et difficiles sui muneris partes subire posset; et aliàs factae citationes hujusmodi impune sperni possunt, nulloque pacto attendendae sunt.

Re etiam melius examinata idem Eminentissimus Praefectus *Corsini* recessit ab eo, quod in *Cap.* 2. *Decretorum* statutum fuerat quoad dictas supersessorias, et prorogationes concedendas ad 15. dies; et sub dicta die, ac anno mandavit, quod ab Auditore dictae supersessoriae, et prorogationes concedantur relativè ad Signaturas, quae habentur.

Concessis jam a dicto Auditore similibus supersessoriis, et prorogationibus, cavendum est, ne earundem tempus excur-

currat; nam expirata, ut in foro dicitur, supersessoria, seu illius prorogatione, Adversarius potest jure omnia facere, quae exequutionem judicati respiciunt; eapropter Eminentissimus *Salviatus* sub *num.* XI. mandavit, ut vel expirata supersessoria, vel ea denegata, intimationes pro adeunda Signatura non inhibeant neque causent attentata, nisi a die Jovis ante imminentem Signaturam, habendam nempe post octo dies subsequentes, etiamsi praedictae intimationes exequutae fuerint longè ante dictam diem Jovis.

At quia aliquando subsequens Signatura non habetur in aliqua hebdomada, ex eo quod dies Jovis sit impedita, et idcircò haberi debeat post quindecim dies, aut aliud longius tempus, intimationes, ut supra factas nullo modo inhibere, statuit idem Eminentissimus Praefectus, et sperni posse absque incursu attentatorum, nisi recurrens intimationem pro adeunda Signatura exequi faciat in illa die Jovis tantum, quae praecedat immediatè praedictam subsequentem Signaturam; ac demum hujusmodi intimationes modo praefixo exequutas pro unica tantum vice suffragari, ac prodesse sancivit.

Effectus verò supersessoriae is tantum est, ut rebus in eodem statu manentibus, ad ulteriora procedi non possit, non autem, ut quae gesta sunt revocentur; decreta enim strictè intelligenda sunt, juxta textum in *leg.* I. *Codic. si plur. una sententia*; et eapropter revocare omnia ea, quae ante supersessoriam gesta sunt, quatenus tamquam nulla, vel injusta revocanda essent, alterius Judicis officium est. Denique, et id notandum est, quod quando petitur supersessoria adversus mandatum, relaxatum in vim obligationis Cameralis, curare id debet Actor, ut Auditor Signaturae apponat eam clausulam in decreto, qua declaretur per Reum habere supersessoriam loco termini; quae declaratio, quoties petatur, debet fieri de stilo Curiae, ejusque effectus est, quod facta declaratione terminus ad solvendum suscipi non debeat.

Inhibitiones, quae fieri solent pro impedienda propositione causae in plena Signatura, nullius sunt roboris, et servari non debent, nisi legantur sive in Audientia, sive pro hora certa die jovis, vel veneris praecedentis alteram diem jovis in qua habenda sit Signatura plena, ne Pars altera per has cita-

tiones, quae ſortasse non reproducerentur, eluderetur. Et hanc praxim, constitutam ab Auditore, eadem Signatura approbavit in Causa *Romana* 16. *decembris* 1756.; quae resoluta ſuit non obstante hujusmodi citatione reproducta die lunae praecedenti dictam diem; quam citationem Auditor spernendam censuit apposita eidem per Notarium Causae solita notula *Non lecta*.

Commissionum transmissio sequitur supersessorias, proindeque de illis hic verba faciendo, adnotare fas est, quod antiquitus per octo saltem dies ante congressum plenae Signaturae Reus, vel Actor, cujus intererat, eligere debebat unum ex Referendariis sibi bene visum, ut causam suam in plena Signatura, referre, seu proponere dignaretur, eidemque annuenti Commissionem in forma signandi antea efformatam juxta stilum, de quo inferius dicendum est, tradere oportebat; aliter tamen nunc se res habet ex dispositione saepius laudatae novissimae sanctionis 1741., quia commissionum transmissio non fit, ut prius in usu erat; hinc pernecesse ante praefinitum tempus, quod hodie servatur quoad Commissiones transmittendas, omne id quod supra diximus agendum est. Et usus quippe invaluit, ut uni ex Referendariis jam electo exhibeatur tantummodo folium unum papiri complicatum, in cujus superiori parte adnotantur hæc sequentia verba, *Signatura Justitiæ. R. P. D. Simonetto. Romana Pecuniaria, pro D. Francisco Angelini contra D. Antonium Silvestri. Facti cum Summario*; quum verò Parti adversae transmittitur Commissio, tunc ea extenditur; in calce vero ejusdem folii Referendarius electus rescribit manu propria, *Proponam die Jovis* 14. *Decembris* 1753. *R. Simonettus*; et ut innotescat quam Causam primo, vel secundo, tertio, vel quarto loco Referendarius propositurus sit, adiicere ibidem debet, *pro prima*, *prò secunda*, vel pro eo numero sibi beneviso; quae namque expressio numeri adeo necessaria est, ut si Procurator supradictam Referendarii subscriptionem impetraverit absque ejusmodi distinctione, omni postposita mora, et excusationis causa damnatur pœna scutorum quatuor, applicanda Congregationi S. Ivonis, laudabiliter in urbe erectae ad pauperum, ac egenorum jura apud eos, qui jurisdictioni praesunt, gratis exponenda.

Com-

Commissiones ita subscriptae, sive, ut Forenses loquuntur, Referendariatae, transmittuntur per Cursores Collitiganti, ejusque Procuratori cum citatione eisdem annexa, cujus formula sequens est.

Signatura Justitiae
R. P. D. Simonetto.

Citetur N.N. ex adverso procurator assertus ad dicendum Causam quare Commissio, cujus copia sibi transmittitur proponi, et signari non debeat in prima proxima Signatura, et decretum etc. instante N. N. principali, sive etc.

Archivium.

Ex hac quippe citationis formula unicuique sat innotescit non originales Commissiones, sed tantummodo earum copias esse transmittendas; et in *capite* v. *decretorum anni* 1741. (1) sancitum legimus, originale folium propositionis manu propria, et cum adnotata distinctione a Referendario quolibet subscriptum, in quo etiam adnotari debet commissionis titulus, Referendarii nomen, et in calce ejusdem illud Procuratoris proprio ejusdem charactere inscriptum, per integram die Mercurii immediate subsequentem transmissioni Commissionum, deferendum esse ad Auditorem; si secus a Procuratoribus factum fuerit, plectendos eos esse eadem poena scutorum quatuor, itidem applicanda Congregationi S. Ivonis.

Evenit aliquando Commissionem continere clausulas praejudiciales, et proinde tunc Pars adversa potest coram Auditore citare *ad videndum reportari* Commissionem, vel moderari; eo etenim casu Signaturæ Auditor, vel relaxari jubet, vel retineri, vel moderari dictam Commissionem; decreto demum moderationis, vel retentionis non obstante, si eadem commissio signanda exhibeatur in plena Signatura, et hujus resolutio a commissione discrepet, itaut non obtineatur quicquid in ea petitur, solvenda tunc sunt scuta quatuor Parti adversae pro refectione expensarum; hujusmodi citationis formula sequens est.

Signatura Justitiae, sive etc.
Anagnina Fideicommissi.

Citetur D. N. N. ex adverso Procurator assertus D. *N. N. ex ad-*

(1) *Append. pag.* 84.

adverso principalis ad videndum reformari vel reportari vel relaxari , vel lacerari commissionem in Causa de qua agitur , et interim videndum sibi inhiberi in forma , et decretum ad p. d. instante D. *N. N. principali , etc*

N. N. Notarius .

At quonam tempore Commissiones hujusmodi,signandae in plena Signatura per Cursores trasmittendae sint , hic opus est, ut videamus; in *capit.* enim III. novissimae reformationis statuitur , ut omnino transmittantur per dies tresdecim ante diem congressus plenae Signaturae , per totam nempe diem Veneris praecedentem immediate hebdomadam , in qua facienda erit distributio informationum in scriptis . Et quum , dictam commissionum transmissionem , pro jure certo habeatur , in se inhibitionem continere , non mirum idcirco , si eodem *capite* III. sancitum reperiatur , ut ex illa tantum die inhibeant , ac inhibere censeantur ; anteactis enim temporibus inhibebant a die Mercurii hebdomadae praecedentis Signaturam ; si vero praescripta Veneris dies festivitate aliqua , quae haud de illis sit, in Dei , ac Sanctorum honorem servari solitis , impedita fortassis fuerit , itaut Cursores , vel Mandatarii a munere citationes deferendi vacent , dicta transmissio omnino exequenda est , quibuscumque aliis feriis , et vacationibus non obstantibus ; et Cursores , qui de consuetudine extra dies juridicos citationes exequentes , stipendium ultra solitum exigunt , pro hujusmodi transmissione facienda nihil ultra petere possint , quam si diebus , nullis vacationibus impeditis , facta fuerit .

Idipsum servari statutum fuit quoad exequutionem propositionis earumdem commissionum , quam , sequuta transmissione praedicta , intimandam omnino esse collitiganti die Sabbati , immediate sequenti transmissionem , praescribitur ; quod si dicta Sabbati dies aliqua festivitate de praecepto impedita fuerit , servatur in praxi , ut die praecedenti fiat ; intimationis formula haec est .

Signatura Justitiae .

Anagnina Fideicommissi .

R. P. D. *Elephantutio Ponente .*

Intimetur N. N. ex adverso Procuratori asserto D. *N. N. ex adverso principalis , qualiter Illustrissimus Dominus omninò , et in-*

infallanter proponet Causam in prima proxima Signatura , ideo etc. Instante N. N. principali , sive etc.

Archivium .

Et quia in omnibus humanis rebus nihil tam perfectè instituì a Legislatoribus potest, quin perpetua quadam necessitate aliquando non cogantur, novis modo legibus faciendis , modo veteribus corrigendis , ea , quae statuta sunt , in melius reformare , factum proinde est , ut nondum elapsis mensibus quinque a die promulgationis generalium Edictorum , sub die nempe 26 semptembris 1742. , Eminentissimus Cardinalis *Corsini* cum unanimi sententia totius Collegii , ac accedente Pontificia confirmatione , declaraverit , quod Commissionum transmissiones, in tertio decreto praefixae , et faciendae per dies tresdecim ante diem plenae Signaturae , per totam nempe diem Veneris , antecedentis hebdomadam , in qua statuta reperitur distributio informationum , fieri in posterum debeant per solos decem dies ante , die nempe Lunae hebdomadae , praecedentis plenam Signaturam , et per eosdem tantummodo dies inhibeant , et quoad propositionem jam dictam eam intimandam esse die sequenti post transmissionem , die scilicet Martis .

Cmmissione transmissa , originali folio propositionis exhibito Auditori , ac intimata propositione , informationes in scriptis , in quibus , statu Causae exposito , simulque testibus , litteris , tabulis , deductisque ab ipsa re argumentis , suas actiones , vel exceptiones probare debent Causidici , distribuendae sunt ; haec autem distributio, quamvis , ut *Ubertus* (1) animadvertit , primitus die Lunae proxima diei Signaturae plena fiebat , et ex *Edicto Emi Scotti* anni 1726. die Sabbati praecedentis Signaturam plenam ; attamen per totam diem Veneris modo facienda est ex praescripto novissimae Reformationis , et quidem tam omnibus Votantibus , quam etiam Referendariis propositurís , et Auditori ejusdem Signaturae , sub pœnis , arbitrio Tribunalis reservatis ; et si aliqui inter Votantes fuerint, quos , pro certo Procuratores sciant , in congressu plenae Signaturae non intervenire , adhuc eisdem informationes praedictae

(1) *In Tractatu de Agentibus .*

ctae distribuendae sunt, prout legitur in Edicto Notificationis praedicti Cardinalis *Scotti* sub die 3. iunii 1726., ab Auditore *Samminiati* subscripto; hac tamen in re usus invaluit, ne incommodi quidquam sentirent Votantes, Referendarii, et Auditor in illarum receptione, ut immittantur jam dictae Informationes in scriptis cum Summariis in quadam capsula, ad eum finem destinata, quae extat ante fores interiores domus cujuslibet eorum; et ab ea fit deinde illarum extractio, ut earumdem studio operam impendere possint.

Apud Referendarium Ponentem verò, fit communicatio earumdem Informationum, sive scripturarum tam facti, quam juris, cum earum Summariis; Pars una, nempe, offert duo illarum exemplaria, unum pro eodem Referendario Ponente, alterum verò Parti adversae consignandum; ita et altera Pars totidem pro effectu praedicto consignat exemplaria suae Defensionis, et Summarii; quae quidem communicatio non immerito fit, ita namque datur locus promiscuae responsioni, qua omnia facti, et rationum momenta, in prioribus Scripturis deducta, ad trutinam revocantur.

Et deinde in die Lunae, immediatè antecedenti Signaturam plenam, fiunt informationes in voce; itaut tam Votantes, quam Ponentem adire debeant Procuratores, eisdemque controversiae summam exponere; et caetera summatim, quae in informationibus in scriptis deducta sunt; in qua quidem Informatione, quae altera Parte absente fit, si eisdem Votantibus, et Ponenti difficultas aliqua occurrat, solvenda quippe est; et si in promptu fatisfieri non possit, in responsionibus conficiendis, et distribuendis proxima sequenti die Martis, id agere debent, ut validissimis juris, et facti argumentis a difficultate illa dimoveantur, et in eam descendant sententiam, quae promotae instantiae consentanea sit.

Hic revera agendi locus esset de forma conscribendi Informationes in scriptis, illasque in voce exequendi, ac etiam, quid quoad eas cautum reperiatur, exponere; attamen ex eo quod peculiari capite de ordine informationis, et scripturae ante propositionem Causae agere decrevimus, quum non mediocri indigeat animadversione; omnia idcircò ad hujusmodi materiam pertinentia ibidem referre meritò existimamus, et tantummodo hic

hic verba faciemus de consuetudine illa, qua Votantes, et Ponentes utuntur quoad ordinem recipiendi tum Causarum Patronos, tum Advocatos, dum eos adeunt isti informandi causâ.

E' *Fattinello* (1) namque edocemur, eam invaluisse consuetudinem ponendi illos a sinistris, dum in eorumdem aedibus merita Causarum exponunt, et decretum, id ipsum praescribens, Eminentissimi Cardinalis *Chisii* extare in ejusdem Signaturae Justitiae Regesto (2); nec Advocatos Consistoriales, qui revera caeteros honore, ac dignitate praecellunt, aliter excipi, itaut in informando nulla potius gaudent praerogativa supra caeteros Causidicos etiam infimae classis; nam usu receptum est, ut qui prius aedes Votantium, et Ponentium informaturus ingrediatur, prior informet, posterior expectet. Et idemmet laudatus Auctor asserit, in hac tantum actione Advocatos Consistoriales ita excipi, *extra tamen illam debere ob eorum praestantiam in honoris prerogativa caeteris Curialibus anteire*. Ex decreto Emi Praefecti refert *Franciscus Gherius de Sotiis in Indice Tribunalium Urbis*, quod in informationibus debitus, et consuetus ordo ne subvertatur, priùs ex Curialibus informet, qui prior accessit, nec aliquis praeferatur, nisi Advocatus, vel Procurator, aut Substitutus Fiscalis, informantes tamen pro Fisco.

Et cedunt etiam locum Votantes in propriis aedibus laudatis Consistorialibus Advocatis informantibus, tam sedendo, quam comitando, quum nempe pro Camera, et Fisco Causam dicunt; ita enim a recolendae memoriae Innocentio XII. praescriptum fuit observari ab omnibus Tribunalibus Urbis; id enim omnino rationi congruum est, quum iis in Causis negotium Principis gerant; idcirco Advocatus ille Consistorialis, qui Fisci Patronus erit, si de aliis causis, vel negotiis, Cameram Apostolicam minime tangentibus, agat, vi ejusdem Pontificiae Constitutionis excipiendus est, ac caeteri Advocati. Demum iidem Votantes, adnotat laudatus *Gherius*, in die informationis neminem extra cubiculum Audientiae comitari debent, nisi fuerit Praelatus, vel insignis persona.

(1) *Cap. 6. num.* 20. 21. 23. (2) *Pag.* 75. *a tergo*.

Ad reliquas propositiones, quae in plena Signatura fiunt, transeundo, hic animadvertendum censemus, quod si denuo eadem Causa proponenda veniat in plena Signatura, et rescripto, per eamdem emanato, addita fuerit clausula, *amplius*, quod idem est, ac amplius non proponatur, quod evenit persaepe, dum omnes suffragia ferentes, vel in Signaturae congressu praesentes, fuerint concordes, itaut nemine discrepante capta resolutio sit, nequit Auditor, vel idem Praefectus licentiam, quae de *redeundo* dicitur impartiri, prout patet ex decreto plenae Signaturae anni 1680. (1), quo cautum fuit, non esse concedendam amplius licentiam redeundi ad Signaturam pro iis Causis, quae fuerunt omnium voto resolutae utraque Parte informante, etiamsi in ea Signatura non interfuerint nisi octo solum Votantes, ac singularum Causarum Ponentes, secus si in minori numero; et novissimè è decreto XVIII. *Reformationis Signaturae anni* 1742., quo sancitum etiam fuit, accedente rationabili causa, Praefecto fas esse tantum, et perrarò dictam licentiam concedere, facto tamen per Partem illam, quae alteram Signaturae resolutionem experiri exoptat, duplicato deposito scutorum quatuor; et hisce omnibus adimpletis denuò commissio reproponi potest; qua de re supplex libellus hodiedum exhibetur Eminentissimo Praefecto, eodemque vulgari idiomate conscripto, exponuntur illata gravamina.

Et, si exposita jura animadvertat Praefectus eò potentiora esse, ut facile sperari possit, quod Votantes Signaturae a decisis removeantur, supplicem libellum remittit Auditori, ad effectum concedendi licentiam *de redeundo* prout de jure, et sequenti utitur rescripto: *A Monsignor Uditore, che provegga come sarà di ragione = A: Corsini Prefetto =*. Quo quidem libello cum rescripto, exhibito Auditori, et ab eodem, quum aequum esse judicatum fuerit, ad novam audientiam admitti Litigantem, facultate citationem legendi concessa, fit citatio, ut sequitur.

Signaturae Justitiae Praefecto, sive etc.

Nepesina Dotis.

Citetur Dominus *N. N. ad videndum impartiri licentiam de re-*

(1) *In Regest. Signaturæ pag.* 56. *a terg.*

redeundo ad primam post proximam Signaturam, et interim videndum sibi inhiberi in forma, ne audeat etc. sub pœnis etc. et decretum etc. ad primam diem, instante D. *N. N. principali, sive etc.*
Archivium.

In calce ejusdem se subscribit Auditor, ut sequitur.

Poterit legi pro audientia diei N. mensis N. anni N. = *N. N. Auditor.*

Qua citatione reproducta, et lecta in dicta Audientia, fit decretum, ut infra.

Relatione facta comparuit D. *N. N. Procurator petiit, et obtinuit, ut supra, facto tamen deposito scutorum octo per octo dies ante Causae propositionem, omni etc.*

Absque tamen dicta clausula *amplius* si prima vice rescriptum fuerit a Signatura, necesse quippe non est duplicatum depositum, eoque minus licentia Eminentissimi Praefecti, vel rationabilis causa, sed tantummodo fieri debet consuetum depositum scutorum quatuor, et omnes actus, quos in prima propositione sigillatim observari recensuimus. Haec namque iterata propositio facienda etiam est praevia licentia Auditoris, juxta inveteratam Curiae praxim, et *Edictum Emi Scotti* anni 1719., quod extat inter decreta memorabilia Signaturae Justitiae in Bullario Clementis XI. Quoad Commissionem reproponendam ordo est, quod ea fiat cum insertione alterius commissionis, quae primo loco fuit proposita, eodemque modo superius expresso subscribenda a Referendario, sive Ponente electo; depositum verò omnino faciendum est per totam diem Jovis, antecedentem repropositioni Causae, ut videre est in *Edicto Eminentissimi Salviati n.*12.; et juxta adnotata per *Ridolphinum* (1); pecunia praedicta, quae in pœnam succumbentiae servatur, deponenda est penes S. Montem Pietatis Urbis, cujus cedula consignanda est eidem Eminentissimo Praefecto, sive Auditori; quam formam conficiendi depositum pro summa scut. quatuor in hujusmodi dumtaxat casu praescriptam reperimus, quum Pontificia quadam Constitutione sancitum legatur, omnia deposita judicialia, excedentia summam scut. quinque facienda esse in dicto

N 2 S. Mon-

(1) *In Praxi part.* 1. *cap.* 13. *num.* 55.

S. Monte ; at hodie relinquitur penes *a Secretis* Auditoris ejusdem Signaturae.

Breviter enarratis quae gerenda sunt pro repropositione Causarum in plena Signatura, ad ea nunc transeamus, quae respiciunt earumdem propositionem in tempore aestivo, a mense nempe iunii, usque ad mensem septembris, quando, ut alibi dictum est, plena Signatura habetur singulis quindecim diebus. E summa Causarum multitudine, quae praesertim aestivo tempore proponuntur in plena Signatura, indubium est oriri Causis ipsis praejudicium, ut a Votantibus plenae illarum cognitioni satisfieri non possit; proindeque *Fattinellus* ipse, qui eo munere fungebatur, apertissimè fateri non erubuit, quod integrum studium singulis Causis praestare neutiquam Votantes valebant; *et dum multis Causis intendimus*, ajebat ille, *multas negligamus necesse est, cum immò oporteat nos cuncta rimari, et Causae cujuslibet qualitatem plena inquisitione discutere, leg. Judices, Cod. de judiciis Can. Judicantem* 30. *q*.5. Qua de re cogitandum huic malo opportunum remedium, animadvertebat ille, et probatae fidei Causidici id potissimè congruum esse censebant, fieri nempe in Signatura turnos saltem duos; aliqui verò, ut Signatura plena qualibet feria quinta omninò haberetur etiam aestivo tempore, eaque die impedita, die sequenti non impedita; ita namque sapientissimè provisum existimabant, *ne per duarum, aut plurium hebdomadarum intervalla coacervatus Causarum numerus supra vires DD. Votantium, et in Justitiae damnum adcrescat*.

Et quamvis ex *Edicto Cardinalis Praefecti Cinthii Aldobrandini*, ut consuleretur dictae Causarum multitudini, sancitum fuisset, quod *in qualibet Signatura* DD. *Referendarii duas tantum Commissiones singuli proponerent*; et abusui irrepto, de licentia nempe Auditoris plures ultra duas proponendi) quae licentia proponendi extra numerum appellabatur) obviam sapientissimè ivisset sanctae memoriae Pontifex Innocentius XI., dum in Signatura examinandum demandavit, an congruum esset, quod amplius non concederetur *extra numerum* in propositione Causarum, ab eaque sub die 2. martii 1679. resolutum fuisset, raro id permittendum esse, et nisi necessitatis causa intercederet, ac deinde referente Eminentissimo *Flavio Chisio* Praefecto, eidem resolutioni accessisset Pontificia confirmatio, quae innova-

vata fuit quadam Epistola *Joannis Baptistae De Luca*, postea Cardinalis, de ejusdem Pontificis mandato directa Emo Pro-Praefecto; ut apparet ex Tribunalis Signaturae Regesto, deindeque Edicto Cardinalis *Spada* in usum revocata. Hisce tamen remediis, tam sapienter repertis minimè obstantibus, Referendarii, qui, ut *Calcagninus* ait (1), *licet non faciant numerum in Collegio, faciunt quodammodo partem, ex eo quia habent et ipsi votum decisivum in iis tamen Causis, in quibus Relatoris sive Ponentis munus gerunt*, magnam rem constituentes in numerosa Causarum resolutione, ut judicandi, recteque pronunciandi peritiam adquirant, et in Praelatorum magni nominis numero adcenseantur, quandoque Causas a Curialibus quaeritant; et solemnis abusus irrepsit, ut ita a tribus, vel quatuor Praelatis propositio Causarum omnium fieret. Hinc Emus *Salviati* Praefectus censuit, ac suo edicto sancivit, quod quatuor tantummodo Causae proponi possint in plena Signatura per quemlibet Ponentem, quando Signatura plena habetur de hebdomada in hebdomadam, sex verò, quando fit infra quindecim dies, non comprehensis tamen in utroque casu Commissionibus, sive Causis illis, quae redeunt, et quae unica tantum parte informante resolutae fuerunt. Qui quidem Praefectus, ut robur, ac firmitatem decretum haberet, injunxit, ut quilibet Ponens in subscribenda propositione Causae teneatur ibi enunciare, quo loco, primo, nempe, secundo, tertio, vel quarto illam proponet, et quod Procuratores non audeant Ponentes illos adire, qui aliis commissionibus impediti reperiuntur, sub spe, nempe, obtinendae facultatis, quae dicitur *extra numerum*, ex eo quia dicta facultas in posterum non concedetur; necnon Causae, extra dictum praefixum numerum Ponentibus delatae, in Signatura plena non proponantur, et illarum Procuratores, qui facultatem praedictam impetraverint, luent pœnam refectionis expensarum, alteri ex collitigantibus applicandam.

Et quum Referendarii pro laudabili consuetudine plures extent in Romana Curia, unusquisque sat intelligit, hisce recensitis remediis non admodum consultum fuisse propositioni plu-

(1) *In praxi loc. cit.*

plurium Causarum ; nam si Referendarii in Romana Curia existentes, quotquot sint ab aliis muneribus non occupati, proponerent sex Causas, immensa propemodum esset earumdem propositio ; eapropter *Fattinellus* jure conquerebatur, remedium illud insufficiens esse[1]. Credimus tamen, malo huic optimè occurrisse Edictum Eminentissimi *Salviati*, dum quampluribus Causis interdicta fuit propositio in plena Signatura, tributa omnimoda facultate, ut suo loco dicemus, Auditori in illis judicium ferendi, quod rescripti plenae Signaturae vim haberet. Et plenissimè demum eidem multitudini Causarum obviam ivit Collegium ejusdem Signaturae decretis editis sub *anno* 1742., quibus certa methodus praescribitur in Causis proponendis, et ampliatur dispositio Eminentissimi *Salviati*; nam provisiones illae, respicientes denegationem facultatis proponendi *extra numerum*, nullum quippe levamen Votantibus afferebant, immò potius eosdemmet Ponentes tangebant, ut ita nempe incumberent studio Causarum, summa, qua par est sedulitate, cui profecto earumdem multitudo haud parum officit.

At quia in Congregationibus aestivis, ob interruptam in qualibet hebdomada Causarum propositionem, effraenata etiam earumdem erat multitudo, ex eo potissimum quod quae duabus vicibus, hoc est duabus in Signaturis proponendae erant, in una proponebantur ; ideoque sapientissime laudatis Decretis cautum fuit, ut in posterum in quacumque Signatura, sive Congregatione aestiva non proponantur, nec proponi possint plusquam quadraginta Commissiones, iis etiam comprehensis, quae redeunt, ac caeteris, quae unica tantum parte informante proponuntur, et hunc praescriptum numerum nemini sub quovis praetextu transgredi licitum esse, utque inviolabiliter observaretur. Sequuta informationum in scriptis distributione, Auditor Signaturae eligendo causas illas, quae intra dictum numerum proponendae sunt, caeteras illum excedentes segregabit, ac usque ad aliam Signaturam detinebit, ut fusius suo loco enarrabimus.

Quae quidem Commissiones ab Auditore separatae, ac ad sequentem Signaturam reservatae, proponendae omnino sunt in prima proxima Signatura; nec ad retardandam exequutionem judicati, a quo reclamatur, opus est nova supersessoria, quum

quum interim occasione dictae separationis Partes habeantur tanquam inhibitae, ac si prorogatio expirata non esset. Quid autem agendum sit quando altera Signatura advenerit, sapientissime praescriptum legitur in antedictis Decretis sub *num.* x., quod nempe Informationes in voce super dictis commissionibus, ad sequentem Signaturam reservatis, habeantur die Lunae, immediate antecedente diem sequentis Signaturae, et tantummodo responsiones conficiendae sint; quum jam ante segregationem illam distributae fuerunt Scripturae, quae a Forensibus primae dicuntur; et responsiones illas distribuere oportet proximè sequenti die Martis ejusdem hebdomadae, in qua altera Signatura habetur; prout fieri adnotavimus in caeteris commissionibus.

In hoc enim rerum statu crevissent quippe Litigantium incommoda, ex eo praesertim, quod arrepta occasione Causidici novas conficerent Informationes, ut magis lucrifacerent, nisi prudenti consilio statutum fuisset in eodem *capite* x., non licere Procuratoribus ultra jam distributas Informationes, ac praeter solitas responsiones distribuendas, alias distribuere, non obstante quovis praetextu, vel quaesito colore supplicis libelli additionalis, sive *reassumatur*, aliorumque similium.

Evenit aliquando, ut differatur Causarum resolutio ab ipsa Signatura, et duobus potissimum modis accidere id solet, vel ex officio ab eadem Signatura, ut maturior cognitio controversiae instituatur, ad dirimendam praesertim suffragiorum paritatem, vel ex petitione dilationis, ab alterutra Parte facta; et in hac dilatione concedenda liberum omninò non erit arbitrium Votantium, nam accedente tantum urgentissima causa fieri debet, aliàs etiam uno ex collitigantibus informante Commissio proponenda est, et Pars altera non comparens, vel dilationem petens absque legitima causa, contumaciae pœnas eo modo luet, ut, si commissionis deinde reformationem petere velit in altera Signatura, nullo pacto audiatur, nisi oratori expensas refecerit in summa scutorum quatuor; eademque pœna mulctatur ille, qui commissione transmissa, parte informante, a propositione resilierit, aut absque gravissimo impedimento dilationem postulaverit.

Ad obtinendam dictam dilationem consueverunt Romani

Cau-

Causidici Memoriale, sive supplicem libellum efformare, quo argumenta validiora, sive causas urgentissimas exponerent; attamen recte faciunt quamplurimi, qui jura, rationesque Causae in scriptura, ac si ea proponenda esset, describunt, et novissimo loco occasionem recensendo dilationem expostulant; nam plurimum ea methodus agit, ex eo, quod aliquando Votantes, bonum jus agnoscentes, facilius dilationem impartiuntur; secus vero est, quum diversimode agatur, creditur enim, petitionem dilationis fieri, ut temporis beneficio fruantur Partes, et ita Adversarii defatigentur; quod iniquum profecto est, ex eo potissimum, quod Defensores non subterfugiis, sed juribus Causas tueri debeant; si hanc namque honestatis, et probitatis laudem omnes anxie quaererent, non abundaret profecto Curia tot controversiis, et causis, quae utinam aliquando apertissimae injustitiae notam non praeseferrent.

Reliquum est, ut videamus, quid servandum in productionibus scripturarum, hoc est jurium, sive privatorum, sive publicorum, quae ad Causam proponendam pertineant; et quidem Cardinalis Praefectus *Salviati* sub *num.* VI., inhaerendo decretis latis per Cardinalem *Chisium* praedecessorem suum, expresse mandavit, quod ea omnino producantur per decem dies ante Causae propositionem, in Signatura faciendam; non tamen prohibuit Ponentibus, ut in casibus sibi benevisis, et necessitatis causa existente, haud possint scripturas, et jura recipere, ac illa in plena Signatura referre, ut de illis habeatur ea ratio, quae de jure habenda erit.

Quum vero Pars aliqua, ex eo quia in promptu non habeat jura, sive instrumenta, quae ad Causae defensionem conducunt, retardari exoptet ejusdem propositionem, ac ad aliam Signaturam reservari, interpellationem conficere debet super non propositione Commissionis, et de ea Partem alteram judicialiter certiorem reddere; eapropter illam faciendam esse etiam tempore feriarum generalium pridie quam informetur, per totam nempe diem Sabbati, qua elapsa, si fiant, nullius prorsus roboris esse, statutum fuit a praedicto Cardinale *Salviati* sub *num.* XII.; immo qui contravenerit, reficere expensas Parti informanti in praescripta summa scutorum quatuor teneri, ex ipsomet Edicto animadvertimus; eamdemque poenam subire tenentur Pro-

cu-

curatores, dum pro mutatione Ponentis instantiam promovebunt, et eadem die Sabbati interpellationem, ut supra praescriptam, facere neglexerint.

Et quia aliquando in Causis ordinariis obtinentur Commissiones, quae in camera ab Eminentissimo Praefecto signantur, quaeque appellantur *sotto banca*, ut superius diximus; in iis si dolose aliquid enarratum sit, vel clausulae, quae de jure ac stilo apponendae essent, deficiant, oportet illarum reformationem expostulare in plena Signatura; et tunc Commissiones reformatoriae proponuntur eodem ordine, ac illae quae reformatoriae sunt alterius commissionis, a Signatura plena signatae. Id tantummodo cautum reperitur *in Reformatione Tribunalium Urbis anni* 1611. (1), ut quum agatur de reformatione, sive moderatione ejusdem praeinsertae, nullo pacto a Praefecto Signaturae Justitiae signari debeat, nisi nomen Referendarii in ipsa praeinserta appositum fuerit; rationem vero reddit eademmet Constitutio Reformationis Tribunalium, ut, nempe, Referendarius, qui eidem manus apposuit, quare ita commissio illa signata sit, justificare possit; et demum, si commissio reformata fuerit, Eminentissimus Praefectus manu Regia, et exequutivè expensas factas in reformatione restituere faciat, fine litis minime expectato.

Recensita methodus trasmittendi Commissiones, et intimandi propositionem Causae non servatur, quum nempe agitur de re, quae dilationem non patitur, sit, exempli gratia in mandatis suspicionis fugae; tunc enim si coram Auditore citetur pro habenda supersessoria ad effectum adeundi plenam Signaturam, ex eo quia fit instantia in audientia diei Jovis, et tempus, transmissioni commissionum, et intimationi propositionum praescriptum, elapsum reperitur, nè Pars adversa teneatur ex causa legitimè transmittendi commissiones alteram plenam Signaturam expectare, et ut omnino negotium proponatur in proxima Signatura, idemmet Auditor, deputando Causae Ponentem, decernit, quod *Commissio habeatur pro transmissa, Partes pro intimatis, et Causa proponatur in proxima Signatura per R. P. D. N. N.*

O Et

(1) *De Signat. Gratiæ et Justitiæ n.* 8.

Et haec sint satis quoad methodum agendi ante propositionem Causae in plena Signatura, quum caetera quae respiciunt Commissionum transmittendarum naturam, sive qualitatem, in peculiari capite adnotare non praetermittimus, ut propositum ordinem omninò observemus.

De auctoritate Auditoris Signaturae, quae partem alteram hujusce capitis constituit, nunc agere proposuimus. Et primùm omnium, Auditor Signaturae antiquitus Auditor erat Eminentissimi Praefecti, itaut mirari quisque non debeat, si *Rota coram Bichio* (1) asserat, hujusmodi Auditorem vulgò dici Signaturæ, quum Auditor sit Emi Præfecti; et quidem tunc temporis togatus tantummodo erat; at deinceps ex eo quia Praefectus penes se alium retinere coepit domesticum Auditorem, qui in Causis, in quibus a dicto Auditore Signaturae recurritur ad Eminentissimum Praefectummet, judicare solet, usus invaluit, ut prædictus Auditor ab illo ea denominatione discriminaretur. Attamen etiamnum habetur uti Auditor Eminentissimi Praefecti; itaut plena Signatura confirmando decretum ejusdem Auditoris, semper rescribit: *servetur decretum Eminentissimi*, è contrario quum confirmat decretum ipsiusmet Praefecti, sive ejus domestici Auditoris, rescribit: *servetur decretum Eminentissimimet*. Immo, si evenerit Praefecti obitus, necesse est, quod idem Signaturae Auditor obtineat facultates a Pontifice, suum munus, ut prius prosequendi. Hinc in ejusdem Signaturae Regesto legitur, quod defuncto *die* 24. *februarii* 1733. *Cardinale Praefecto Alamanno Salviato*, *Petrus Hieronymus Guglielmi*, qui tunc erat Signaturae Auditor, postea inter Cardinales adlectus, adivit *Cardinalem Banchieri a Secretis Status*, eique exposuit, quod illius Tribunal silebat; quapropter idem Cardinalis, facta Pontifici hujusmodi relatione, necessarias, atque opportunas facultates tribuit dicto Auditori epistolio, quod sequitur: *Essendo vacata per morte della chiara memoria del Signor Cardinale Salviati la Prefettura della Segnatura di Giustizia, è mente di N. S., che per il buon servigio della medesima continovi Monsignor Guglielmi nell' esercizio della sua carica di Auditore del detto Tribunale, e che*

(1) *Decis.* 451. *num.* 3.

che si regoli secondo gli esempj passati; così avendo la S. S. ordinato di notificarle, perchè resti in questa parte adempita la pontificia sua volontà. Quo habito epistolio praedictus Signaturae Auditor prosequutus fuit solitas Audientias, omissa tantum illa diei jovis pro funere dicti Cardinalis Praefecti, et quia ejus Cadaver adhuc humatum non fuerat. Decreta verò, emanata eo vivente, expedita fuerunt suo nomine, alia ipso defuncto sub nomine *Auditoris a SS. D. N. specialiter electi, et deputati*. Id ipsum servatum jam fuerat per obitum 15. *junii* 1717. *Cardinalis Praefecti Fabritii Spada*, quum a *Clemente XI.* propria manu facultates concessae fuerunt *Abbati*, tunc Auditori, hisce verbis: *Monsignor Abbati continui nella sua carica, e si regoli secondo gli esempj passati*.

Ab eo tempore, quo usus invaluit praedicti discriminis inter Auditorem domesticum Praefecti, et Auditorem qui dicitur Signaturae, quinam ad hanc usque diem fuerint Signaturae Auditores, scire non ingratum fortasse aliquibus erit; eorumdem seriem dare hic idcirco duximus. Non tamen pollicemur, cujuslibet ipsorum munera omnia, quae ipsi post Auditoratum exercuerunt, sed tantummodo aliqua recensere, et adnotare si Cardinalitiam dignitatem assequuti fuerint.

Julius de Oddis Perusinus anno 1640. Signaturae Auditor fuit.

Jacobus Altovito Florentinus anno 1650.

Hieronymus Casanate Neapolitanus anno 1654. qui sub die 16. decembris 1660. electus fuit a Secretis Congregationis de Propaganda fide, et demum inter Cardinales adscriptus 1673.

. . . . . . *Ratta Bononiensis* anno 1666., et die 3. octobris 1682. translatus ad munus a Secretis Congregationis de Bono Regimine.

. . . . . . *Farsettus Venetus* anno 1682., deinde 10. februarii 1690. Clericus Camerae.

Curtius Origo Romanus 1690., postea 15. decembris 1695. A. C. Locumtenens; Cardinalis anno 1712.

Peregrinus Masserius, Foroliviensis 1695.

Pompejus Aldovrandus, Bononiensis 1696. deinde Signaturae Votans, postremò Cardinalis.

Carolus Cerrus Romanus a. 1700., et a. 1706. A. C. Locumtenens.

Marcus Antonius Ansideus Perusinus a. 1706., etiam deinde A. C. Locumtenens, et anno 1728. Cardinalis.

Joannes Xaverius de Gentilibus Romanus a. 1712., et Cardinalis anno 1731.

Franciscus Riccius Romanus a. 1716., et ad Clericatum Camerae pontificiae translatus, postremo Cardinalitiam dignitatem obtinuit.

Alexander de Abbatibus Romanus a. 1717., postea A. C. Locumtenens.

Hieronymus Samminiatus Florentinus a. 1724., deinde Auditor Rotae

Petrus Hieronymus Guglielmi Æsinus a. 1730., postea A. C. Locumtenens, et demum Cardinalis.

Joseph Caballinus Romanus a. 1733., obiit die 11. februarii 1740. sede vacante, quo tempore a Cardinalium Collegio usque ad electionem Pontificis *Jacobus Amadorus* olim *de Lamis*, *Liburnensis*, Signaturae justitiae Votans, electus fuit Pro-Auditor.

Petrus Paulus de Comitibus, *Camers* 19. decembris a 1740. et anno 1742. fuit a Secretis Congregationis de Bono Regimine, deinde Cardinalis.

Balthaxar Cincius Romanus a. 1742., et a. 1743. A. C. Locumtenens, demum Cardinalis.

Urbanus Paraccianus Romanus a. 1743., et a. 1749. A. C. Locumtenens, postremò Cardinalis.

Franciscus Xaverius de Zelada, Romanus a. 1749., translatus ad A.C. Locumtenentem a. 1753., demum Cardinalis; qui modò etiam est meritissimus S. Sedis Bibliothecarius, et Major Poenitentiarius.

Philippus Maria Pirellius, *Arianensis*, et proinde meus civis, *Neapolitanus* nuncupatus ob adscriptionem inter cives Neapolitanos, qua uti debuit, ad hoc ut assequeretur locum inter Advocatos Consistoriales, debitum uni ex civibus Neapolitanis juxta indultum Benedicti XIV. (1); die 26. novembris 1753. electus A. C. Locumtenens, postremò Cardinalis creatus.

Ja-

(1) *Carafa de Archigymnasio Romano*.

Januarius de Simone Beneventanus a. 1759., A. C. Locumtenens a. 1763., et demum Cardinalis.

Franciscus Carrara Bergomensis a. 1763., exinde A. C. Locumtenens, demum in Cardinalium Collegio cooptatus.

Dominicus Rotati Pistoriensis a. 1767., obiit 1769.

Bernardinus Muti Romanus fuit ei subrogatus, et deinde Nuncius ad Lusitaniae Regem, ibidem obiit.

Honufrius Alfanus Salernitanus a. 1770. electus, in eodem officio vivere desiit,

Nicolaus Riganti Melphictensis a. 1782., modò A. C. Locumtenens.

Petrus Paracciani Romanus a. 1785., modò Rotae Auditor.

Carolus Andreas Pelagallo Firmanus, cui ab anno 1787. non sine totius Curiae plausu idem munus ad praesens exercenti, utpote meritissimo majora auguramur.

Ex has serie evidentissimè patet, quantam in existimationem hujusmodi munus Auditoris Signaturae creverit, ita ut non mirum, si semper sapientissimis Praelatis concreditum sit. Et quum non modicam ille habeat jurisdictionem, operae pretium erit hic adnotare, in quo potissimum ea versetur. Inter caeteras enim sui muneris partes primo loco recensenda est facultas, supersessorias concedendi, vel eas denegandi, ad effectum adeundi plenam Signaturam, itaut priusquam rei judicatae vim obtineat decretum aliquod in Causa latum, coram eodem fit citatio, Parti adversae directa; prout suo loco satis abundè diximus.

Revocat etiam ille attentata, quae committuntur in spretum supersessoriae per Signaturam concessae, vel in spretum recursus ad eam; quod mirum adeo non est, si prae oculis habeamus axioma illud, quod pro firma regula in foro habetur, in materia attentatorum, ea nempe revocanda esse ab eo Judice, cujus inhibitio, vel auctoritas fuit spreta; et in hac attentatorum materia id praecipue praescriptum reperimus, ut respectu attentatorum commissorum in spretum Signaturae resolutionum, aut decretorum Auditoris, tunc citationes coram Eminentissimo Praefectomet attendi debeant, quum super iisdem attentatis promota jam instantia fuerit coram dicto Auditore, et fuerint per Eminentissimummet subscriptae; itaut prius Auditoris judicium ex-

experiundum est, illudque vim rescripti plenae Signaturae habere, jubetur in Edicto Eminentissimi *Salviati*.

Inter alia negotia, quae expedit idem Auditor, est remissio Causarum ad partes in prima instantia, quando nempe Causa, vel curialis non sit, hoc est, juxta Edicta Reformationis Curiae, non excedat scuta quinquaginta monetae Urbis, vel decretum latum diffinitivum non sit, neque vim habens diffinitivi; tunc enim, quamvis inhibitio ab Auditore Camerae, ejusque Locumtenentibus, fuerit expedita, et exequuta, si altera Pars reclamet, remissio Causae ad partes decernitur; si vero Auditoris Camerae Tribunal moderasset aliquam inhibitionem a seipso expeditam, quae moderanda non esset, Pars illa, cui dicta moderatio non arridet, citando coram dicto Auditore obtinet inhibitionis reintegrationem; ambarum citationum formula sequens est.

Eminentissimo S. I. P., sive etc.

Citetur N. N. ex adverso Procurator assertus N. N. ex adverso Principalis ad videndum moderari inhibitionem nulliter, et indebitè obtentam, illamque mandari non afficere, declarari causam spectare ad partes, et decretum ad primam etc. instante N. N. Principali, sive etc.

N. N. Notarius.

Eminentissimo S. I. P. sive etc.

Citetur N. N., ex adverso Procurator assertus N. N. ex adverso Principalis ad videndum praevia, quatenus opus sit, repositione a quocumque decreto nulliter, et indebité extorto ab R. P. D. N. N. reintegrari inhibitionem, illamque mandari afficere prout de Jure, et decretum etc. ad primam etc. Instante N. N. Principali, sive etc.

N. N. Notarius.

Cognoscit etiam de competentia jurisdictionis, itaut, si casus eveniat, quod Causa introducta sit coram incompetenti Judice, Adversario instante ille decernit Causam spectare ad proprium Judicem, ideoque eamdem avocat a Judice, coram quo introducta prius reperiebatur. Facultas enim haec, concessa Auditori Signaturae de competentia judicandi, laudanda quippe est, nam a ratione alienum esset, ut sibimet de competenti jurisdictione jus dicerent Tribunalia; hinc *Accursius* glossatoris munus ge-

gerens in *leg.*2. *Digest. si quis in jus vocatus*, dum eam proposuit quaestionem, *sed quomodo erit judex in causa propria, respondetur, non est in sua, quantum ad utilitatem, ut aliquid dicatur esse alicujus, ut infra, quando appellandum sit, leg.* 1. §. *in propria*, ita nos animadvertit, *sed jurisdictio sua pronunciando ampliatur, pronunciabit ergo se Judicem esse, vel non esse*; *Cujacius* vero *Accursium* reprehendit, at perperam, nam recte dixit ille, Judicem in Causa propria jus dicere, ex ea forsan ratione, quia et jurisdictio per eum prorogatur, et jus suum ipsemet tuetur, decisionem nempe ferendi in ea, vel in illa Causa, jus dicendi in istam, vel illam personam; itaut quotidie in aliis Ditionibus Judices in Causis, vulgò competentiae dictis, inter se mirum in modum decertare, et aliquando omni ferme conatu acerrimam agere litem, demonstravimus in adnotationibus ad eruditissimos *Commentarios Francisci Rapolla de Jure Regni Neapolitani* (1). Diximus enim, si Causa introducta sit coram Judice incompetenti, ab Auditore Signaturae eam remitti ad Judicem competentem; at si ea fuerit instructa, et pars incompetentiae exceptione usa non esset, tunc dictus Auditor, remittendo Causam ad competentem Judicem decernere debet refectionem expensarum favore Actoris; ita namque Cardinalis *Argenvillieres* Pro-auditor Pontificis, quum coram eo disputatum fuisset de Competentia Jurisdictionis, avocando Causam, merito jussit refici expensas, ut obviam iret calumniis, et subterfugiis Litigantium.

Ad eumdem Auditorem pertinet decernere, quaenam Causae, vel Commissiones dignae sint judicio plenae Signaturae, cui ab eodem remittuntur, concedendo interim Recurrentibus supersessoriam, usque ad primam, vel respectivè secundam Signaturam. Non omnes enim, ut etiam advertit *De Luca* (2), commissiones in plena Signatura proponuntur, sed solum illae, super quibus dubium emergat, an admitti, vel reiici debeant; eapropter si Adversarius exoptet justa de causa impedire commissionis transmissae propositionem, recursum habere debet ad Auditorem, citando partem alteram, ut suo loco diximus.

Adversus Decreta dicti Signaturae Auditoris tam remissionis

(1) *Part.* 1. *cap.* 7. (2) *In Relat. Curiæ disc.* 32. *n.* 6.

nis causarum ad Judices competentes, quam denegationis supersessoriae ad effectum adeundi plenam Signaturam, si quis eam adeat, et experiri velit ejusdem resolutionem, quod in Curia dicitur *propositio contra Decretum*, et plena Signatura Decretum approbando rescribat: *Nihil et servetur Decretum*, tenetur qui recurrit solvere Parti adversae scuta quatuor loco poenae. Dubitatum aliquando fuit, an dictae solutioni locus esset non accedente decreto confirmatorio Eminentissimi Praefectimet. Et quamvis ad omne dubium tollendum eadem Signatura sub die 17. septembris anni 1750. declaravisset, solutionem dictorum scutorum quatuor faciendam esse etiamsi non intercesserit decretum Eminentissimi Praefectimet, confirmans decretum Auditoris Signaturae. Nihilominus quum *Jacobus Guglielmi*, qui a decreto dicti Auditoris remissionis causae ad *A. C.* recursum habuisset ad plenam Signaturam, et resolutio prodiisset: *Nihil, et servetur Decretum*, detrectaret ea solvere, ex quo, ut ipse contendebat, dicta declaratio non erat nota Curiae, nec usu recepta, et idcirco porrexisset Memoriale in plena Signatura pro solutionis, demandatae ab Auditore Signaturae, remissione; obtinuit Rescriptum: *Nihil, et servetur Decretum, et amplius*. Hac arrepta occasione Votantes demandarunt praedictam declarationem, factam anno 1750., omnino in posterum servandam; itaut anno 1755. non obstante quod Memoriale pro obtinenda condonatione dictae poenae *Fratres de Bilanginis* porrexissent Eminentissimo Praefectomet; in Tribunali Signaturae non fuit relatum, sed rescriptum: *Moneantur Fratres de Bilanginis*, quia Memoriale distributum fuerat Votantibus inaudito Auditore, ad quem privativè pertinet relatio memorialium; coacti idcirco fuerunt solvere dicta scuta quatuor Parti adversae. Et Auditor suo peculiari edicto de supradicta declaratione monuit Curiam, ut in posterum nota esset.

Quando cautiones recipiendae sunt praesertim in judicio suspicionis fugae, quod frequentissimè in usu est in Romana Curia, etiam fit citatio coram Auditore ad videndum recipi cautionem, et interim inhiberi; nam praxis docet in eo judicio Reum conventum non audiri, nisi, vel judicium securum reddat, prout in foro dicitur, praestita cautione, vel facta solutio-

tio-

tione; hinc debitores ita conventi, ut temporis beneficio utantur, citationes faciunt coram Auditore Signaturae, qui jubet per totam audientiae diem recipi cautionem; qua citatione pendente, ejusque decreti termino non elapso, mandatum aliquod expediri non potest, alias attentatum omnino esset.

Item ad tollendas omnes, et quascumque inhibitiones, quae in omnibus causis fieri contingunt, recursus fit coram eodem Auditore, qui si agnoverit eas esse tollendas, decernit non afficere ad effectum impediendi actum de quo agitur; qua declaratione sequuta inhibitiones illae non possunt amplius causare attentata, uti sublatae a Papa supremo Principe, cujus nomine Cardinalis Praefectus, illiusque Auditor rescribit; prout ex *Decisione Celsi* (1) adnotat *Constantinus ad Statuta Urbis* (2).

Aliquando rabulae forenses lites in longum protrahere student, et nè decreti ipsis contrarii exequutio petatur, citationes factas pro repositione ad effectum impediendi non producunt in Judicum audientia, ut manus liberas (in Curia dicitur) non habeat litigans victor; eo enim casu fit citatio coram dicto Auditore ad videndum declarari, citationes factas, et faciendas, amplius non recipi, et justissimae instantiae passim assentitur Auditor, ut dilationibus occurratur; et quamvis edicto Reformationis Curiae caveatur, tertiam citationem non reproductam in audientia posse impunè sperni, tamen, ut securius agatur, et nè deinceps in aliis ejusdem Causae actibus id fiat, jam dicta agendi methodus servatur.

Ad eumdem Auditorem pertinet, novam audientiam sive licentiam *de redeundo* ad Signaturam concedere, quum, nempe, Pars, illam petens, habuerit in prima propositione votum aliquod favorabile, vel si ostendat novum aliquod motivum in facto, vel in jure, adeò subsistens, ut possit sperare recessum a prima resolutione (3); et eo casu fit citatio, prout sequitur.

Emo S. I. P. sive etc.

Citetur N. N. ex adverso Procurator assertus N. N. ex adverso Principalis, ad videndum sibi impartiri licentiam de redeundo ad

(1) *Decis.* 281. *num.* 4.
(2) *Sect.* 1. *Adn.* 52. *art.* 1.
(3) *Constantin. Adnot.* 52. *art.* 1. *sect.* 2. *num.* 48.

ad primam post proximam Signaturam , et inhiberi , et decretum etc. instante N. N. Principali , sive etc.

Archivium .

Nec supersessoria, concessa ab Auditore Eminentissimi Praefectimet ad effectum redeundi ad Signaturam,et in ea idcirco causam reproponendi, satis est ut ea reproponatur nulla praecunte Auditoris Signaturae licentia . Eapropter in *Romana* pro *Josepho Cosman* contra *R. P. D. Carolum Cerri* , concessa a dicto Auditore hujusmodi supersessoria , et proposita Causa in Signatura rescriptum fuit , *Dilata , et ad D. Auditorem ad mentem* , et mens fuit , ut prius obtineretur Rescriptum ab ipso Eminentissimo Praefectomet , et deinde juxta morem vigore dicti Rescripti licentia de redeundo ab eodem Signaturae Auditore .

Et in Causis , in quibus per dictum Auditorem conceditur licentia redeundi ad plenam Signaturam , addit ille clausulam , *facto deposito* ; quando verò in prima resolutione Signatura rescripserit praecisè addendo *et amplius non proponatur* ; hoc casu debebant olim Procuratores adire cum memoriali plenam Signaturam , vel recurrere ad Summum Pontificem , ejusve Auditorem ; qui tamen adversus Signaturae plenae resolutiones non ita facile manus apponere solebat , sed tantummodo in casu manifesti gravaminis novam causae cognitionem demandabat eidem Signaturae Justitiae , ac perrarò , et nonnisi consulto Pontifice talem remissionem dirigebat Signaturae Gratiae ; nostris vero temporibus aliter cautum reperitur *in decretis anni* 1742. quae in Appendice hujusce operis leguntur .

In Causis non excedentibus summam scutorum quinquaginta monetae , ad parcendum litigantium expensis , et coercendos insurgentes abusus , facto verbo cum Pontifice , Emus *Spada* Signaturae Praefectus praecepit , quod nemo in posterum audeat illas proponi facere in plena Signatura , sed pro impetrandis et signandis Commissionibus , cum clausulis opportunis instent partes coram praedicto Auditore praevia citatione Partis adversae , facienda per acta Notarii Archivii cum insertione commissionum signandarum ad formam decretorum ejusdem Auditoris ; cujus decreta jussit , ut habeant vim rescripti plenae Signaturae , et perinde , ac si ex illa emanassent ; quibus tamen Partes non adquiescentes , tunc possint recurrere ad Eminentissimum Prae-

Praefectum, et docto de gravamine, eorumdem indemnitati consulendum curabit.

Omnes, et quascumque citationes, respicientes Signaturam, primo loco faciendas esse coram dicto Signaturae Auditore, nisi agatur de Causa Criminali Tribunalium Urbis; itaut si prima vice fiat coram Praefecto possint impunè sperni, et non afficiant; imo vetitum esse Notariis, ne audeant illas recipere, aut receptas legere, nisi coram Auditore prius citatum fuerit, sub pœnis eidem Auditori benevisis, adparet ex Edicto Eminentissimi *Scotti*.

In Causis non appellabilibus ratione parvae summae, hoc est, non excedentibus, ut supra diximus, summam scutorum quinquaginta monetae Romanae, admittitur tantum recursus, ideoque in foro recurribiles appellantur. Qui quidem Recursus, an admittendus, vel reiiciendus sit, ab Auditore Signaturae cognosci debet, quando partes non acquiescant decreto Auditoris Camerae, ex eo quia licet Auditor Camerae in facultate etiam habeat admittendi recursum in similibus Causis, definitis a Locumtenentibus, et Auditore ejusdem A. C., cognitio verò super justitia, vel injustitia admissionis, vel rejectionis earumdem spectat quoque ad Eminentissimum Praefectum Signaturae, sive ad ejus Auditorem. Et quamvis Auditor Camerae acerrimè contenderet, ad ipsum pertinere in dictis Causis recursum admittere, si decisae essent per suos Locumtenentes, suumque Auditorem, privativè etiam quoad Cardinalem Praefectum Signaturae Justitiae, ac ejus Auditorem; itaut hi non possent aliquo modo se ingerere super talibus recursibus admissis, vel rejectis per ipsum A. C., ac super justitia, et injustitia admissionis, et rejectionis; id tamen quum esset contra antiquam observantiam Curiae, laederetque nimis jurisdictionem, et amplissimas facultates, circa concernentia justitiam, Cardinalis Praefecti, ac ejus Auditoris, eapropter Summus Pontifex de anno 1703. hanc controversiam mandavit dirimendam a particulari Congregatione sex insignium Praelatorum, nempe *Caprarae*, *Lancettae*, *Ansaldi*, *Caffarelli*, *Grimaldi*, *et Corradini*; et post binam Causae discussionem sub die 27. *iulii* 1705. fuit responsum: competere Jurisdictionem Eminentissimo Praefecto, sive ejus Auditori. In qua quidem Causa favore Cardinalis Praefecti

scripserunt *Marcellus Severolus*, Signaturae Justitiae Decanus, magni nominis Jurisconsultus, et *Prosper Lambertinus*, tunc Sacrae Consistorialis Aulae Advocatus disertissimus, deinde Pontifex Benedictus XIV. Et quia, instante *Carolo Cerro* Signaturae Auditore, plurima motiva, et jura extrajudicialiter dedit *Franciscus Maria Constantinus*, idcircò deinde peculiare votum in hac controversia exaravit, editum in *volumine tertio Votorum decisivorum* (1); et inter caetera argumenta refert, non obstare quod Signatura plena Justitiae non rescribat in Causis solum recurribilibus, ex eo quia non procedit ex defectu jurisdictionis, sed ex peculiari Summorum Pontificum jussione, qua litigantium utilitati potissimum consulitur, nè graventur expensis in causis modicae summae, et illae valorem rei, de qua agitur, absorbeant; nec inferri ex eo potest, quod si A. C. in admittendo, vel denegando recursum, in praefatis Causis gravaverit, non possint litigantes recurrere ad Eminentissimum Praefectum Signaturae Justitiae, illiusve Auditorem.

Et quamvis Innocent. XII. Constitutione 67. decreverit, Causas recurribiles, quando non excedant scuta 50., definiendas esse a Judice recursus; attamen *Constantinus* non obstare contendit, quia deduci ex ea non potest, quod Papa Cardinali Praefecto, ac sibi ipsi voluerit adimere jurisdictionem super recursus admissione, vel rejectione, non jure facta

Observantiam prae caeteris validum fundamentum constituere, ait laudatus Auctor, ac eam ex actibus publicis, et citationibus judiciariis, factis occasione hujusmodi recursuum ab anno 1655. usque ad tempus motae litis coram Cardinalibus *Sacchetto* seniore, *Chisio*, *et Cavallerino* Praefectis, ac eorum Auditoribus, satis comprobatam fuisse; e dictis enim actibus dignoscebatur apertissimè, ipsos Praefectos, eorumque Auditores super recursibus processisse non modo in Causis Tribunalium Vicarii, et Gubernatoris Urbis, verum et in illis dicti Auditoris Camerae.

At quia hic sermo habetur de Causis recurribilibus, et appellabilibus, videndum porrò existimamus, an ulla intercedat differentia quoad actus judiciales; equidem appellationem inter, et

(1) *Vot.* 351.

et recursum nullam reperiri in substantia differentiam, certum est, quum recursus in appellationis locum succedat, ex dictis per *Menochium* (1), et *Lancellottum* (2); attamen ea differentia dignoscitur, quod illae terminari debent per acta ejusdem Notarii, sine solutione regesti, et propinae, secus vero est in appellatione.

Quoad hujusmodi Causas recurribiles sancitum itidem reperitur, ut in iis, si tam a Capite Tribunalis, a quo recurritur, quam ab Auditore Signaturae fuerit denegatus recursus, seu tantum admissus in devolutivo, citationes factae, et faciendae coram quocumque alio, habente etiam superiorem potestatem impunè sperni possint, absque vitio attentatorum, itaut ulterior recursus in praedictis Causis intelligatur denegatus; ut legitur in confirmatione *decretorum Reformationis Tribunalium Urbis, habitae sub die* 13. *novembris*, *extensorum sub die* 15. *ejusdem mensis anni* 1732. §. 18.

Antiquitus quando Pars aliqua conquerebatur de Judice retardante expeditionem Causae, recursus habebatur ad Auditorem, a quo demandabatur signari Commissionem appellationis a denegata justitia, et Causa alteri Judici delegabatur; attamen *de anno* 1608. *die* 17. *novembris*, ex *adnotationibus decisionis Joannis Baptistae Coccini* (3) habemus in Rota statutum fuisse, *quod adnotaretur in libro, quod die* 13. *ejusdem mensis in Signatura Justitiae ordinatum fuit R. P. D. Alexandro Justo Auditore tunc ibi assistenti, ut commissiones occurrentes, in quibus Procuratores sub praetextu appellationis a denegata justitia obtinent, alteri Auditori directae, absque voto totius Signaturae non attendantur, sed procedatur in Causa ad ulteriora juxta formam priorum commissionum, et regulam Cancellariae* 35., *quae incipit, Item Dominus noster.*

Apostolica Sede vacante, ex eo quia jurisdictio illius, qui munus Auditoris Pontificis gerebat, plane extinguitur, ac idcircò plurium Causarum forensium audientia, ac justitiae cursus non sine ingenti litigantium jactura impediuntur; ideo pro tempore existenti Auditori Signaturae Justitiae Clemens XII. in Con-

(1) *De Arbitr. Judic. lib.* 1. *q.* 70. *n.* 20.

(2) *De Attentatis Tit. de Attent. pendente recursu cap.* 19. *num.* 17.

(3) *Adnot.* 184.

Constitutione, quae incipit *Apostolatus, officium*, *sub die* 15. *octobris* 1732., §. 19., edita pro recto Conclavis regimine, commisit, et mandavit, eidem concedendo necessarias, et opportunas facultates, ut citationes, ac recursus omnes, qui coram dicto Auditore Pontificis defuncti tunc pendere reperiantur, prout Juris fuerit, expediat.

Item quando agitur de communicatione facultatum Auditoris Camerae vetitum est adire plenam Signaturam, nisi Partes prius insteterint coram Auditore Signaturae, cujus decreta vim rescriptorum plenae Signaturae habere praescribitur in edicto Eminentissimi *Salviati* Praefecti; itaut, si non acquieverint, recursum ad plenam Signaturam habere possunt; attamen, si iterum succubuerint, Parti victrici, ut alibi diximus, solitas expensas scutorum quatuor Procuratores in poenam reficere tenentur.

Ejusdem Auditoris praecipua cura esse debet, nè Commissiones transmittantur in plena Signatura pro simplici sententiarum et decretorum circumscriptione, nisi in eisdem commissionibus alternativa petitio apponatur, quod nempe quatenus circumscriptioni locus non sit, Causa appellationis committatur cum clausulis opportunis; prout liquet ex laudato Edicto Eminentissimi *Salviati*.

Antequam propositio Causae fiat in plena Signatura, quum fit distributio Scripturarum, sive informationum in scriptis, illarum exemplar distribuendum etiam est eidem Auditori, et ita observandum in distributione responsionum statuit Eminentissimus *Salviatus n.* IX:, et ante illum Eminentissimus *Scotti sub die* 3. *iunii* 1726. Et folium originale propositionis, vulgò *il Proponam*, omninò eidem Auditori tradendum est per integram diem mercurii, subsequentem diem Veneris, in qua transmittitur commissio.

In Causis Mercedum, quae revera privilegiatissimae sunt, caeterisque aliis non excedentibus scuta vigintiduo monetae, citationes omnes fieri debent coram Auditore, et ab ejusdem decretis reclamari non potest, nec etiam in gradu recursus; et Notarii hujusmodi citationes recipere, ac receptas legere nequeunt sub poenis eidem Auditori, et Eminentissimo Praefecto bene visis; quamvis ex edicto Eminentissimi *Scotti* appareat, ita servandum in Causis excedentibus scuta undecim.

In

In Causis illis, respicientibus attentata, moderationes inhibitionum, praefixiones terminorum, admissiones, vel denegationes recursus, ac deputationes alterius Judicis, si decreto superioris, sive Capitis alicujus Tribunalis uniforme accesserit illud Auditoris, tam si admissa, quam si rejecta instantia fuerit, citationes non afficere, ac impunè sperni posse, cautum fuit laudato *Edicto anni* 1718. Nec mirum profectò est, quia tanta gaudet auctoritate Auditor Signaturae, ut si quis contra decretum ab ipso emanatum adire velit Signaturam plenam, et deinde succubuerit solvere debeat Procuratori Partis adversae, non autem Parti, scuta quatuor pro refectione expensarum; quae summa solvenda est non a Cliente, sed a Procuratore, sive Defensore, qui pervicaciter ausus fuit plenam Signaturam adire, et ab illa adversantem reportavit resolutionem; ut ex edicto Eminentissimi *Spada* 18. *Januarii* 1701. evidentissimè patet, quod renovatum fuit ab eodem *sub die* 12. *junii* 1706., et deinde etiam ab Eminentissimo *Scotti sub die* 19. *januarii* 1719.

Ut autem citationes illae, quae fiunt ad dicendum contra memoriale cum rescripto Eminentissimi Praefecti, afficiant, prius subscribendae sunt a dicto Auditore; eapropter, si absque dicta subscriptione transmittantur, nullam pariunt inhibitionem, immo possunt impune sperni; ut cavetur *cap.* XXI. *decretorum anni* 1742.

Et ex eo quia copiae citationum, jam per Cursores transmissarum, legi a Notariis non possunt; quando necessitas id expostulet, Auditoris Signaturae jus est, licentiam concedendi, ut absque poenarum incursu eas legere valeant; prout etiamsi in decreto apposuerit ille clausulam, *et amplius*, et Pars denuo citationes facere vellet, subscribendae sunt ab eodem Auditore.

Cura Auditoris etiam est, ut Notarii eas tantum citationes legant, et recipiant, quae respiciunt Causas vertentes in eorum Officiis; in Causis vero illis, quae in partibus vertuntur coram Judicibus delegatis, et aliis quibuscumque, ut fiant per acta Archivii Notarii; quod si secus factum fuerit de nullitatis vitio redarguuntur, una cum decretis in illis emanatis; et Notarii, illas audentes, vel legere, vel recipere, subiiciuntnr poenis, Eminentissimo Praefecto, eidemque Auditori benevisis, juxta edictum Praefecti *Salviati sub numero* XXVII.

No-

Novissimis Decretis, a Collegio Votantium Signaturae editis, jam supra diximus, praescriptum fuisse, quod in quacumque Signatura aestiva proponi haud possunt plusquam quadraginta Commissiones, illis etiam comprehensis, quae redeunt, et quae unica tantum parte informantur. Et ut debitus ordo servetur, iisdem cautum etiam fuit, quod Signaturae Auditor, sequuta Commissionum distributione, separabit illas, quae numerum quadragenarium excedunt, et eas adnotari curabit in folio, cum expressione tituli commissionis, et nominis Referendarii, ad cujus relationem quaelibet Causa proponenda venit, deindeque illud statim transmittere debet Votantibus, ac etiam Referendariis Ponentibus earumdem commissionum, quae non proponuntur; quod optima ratione fit, ut ab earum studio illi se abstinere possint; et nè Procuratores, Partesve litigantes hujusmodi separationem ignorent, idem Auditor in aula ejus solitae audientiae folium antedictum affiggere debet, idemque dicti Votantes, et Referendarii servare tenentur; ita namque certiores Procuratores redduntur de non propositione suarum commissionum in plena Signatura.

Quae autem Commissiones proponendae erunt, quae vero non, dijudicare debet Auditor, qui praesertim eam methodum ex *num.* VIII. dictorum decretorum servare debet, ut illas separet, et ad alteram Signaturam reservet, quae a Referendariis quarto, vel novissimo loco subscriptae reperiantur; attamen, quando inter dictas commissiones extet aliqua, quae celeriorem expeditionem exigere videatur, suo judicio, et prudentiae commissum est, ut eam, quatenus ita sit, caeteris anteponat.

Inter praecipuas vero sui muneris partes non immerito collocamus illam, judicium nempe suum proferendi in omnibus instantiis, quae directe non respiciunt Commissiones appellationum super negotio principali, sive circumscriptionis sententiae, et decreti ex defectu jurisdictionis, et mandati, quae revera incidentia, et emergentia appellantur, et in caeteris aliis, quas infra enumerabimus; in iis enim antiquitus Signaturae Auditores, ut decernendi, ac judicandi angustia se sublevarent, consueverunt remissionem decernere ad plenam Signaturam; at diversa sane his nostris temporibus res est, quum neu-

neutiquam licitum sit eidem Auditori hujusmodi instantias ad plenam Signaturam remittere pro resolutione, sed pro suo judicio decretum omnino edere tenetur; itaut si Partes non adquiescant, vel recursum habeant ad Eminentissimum Praefectummet, ille se abstinebit etiam a simplici remissione instantiae ad plenam Signaturam; et servatur omne id quod recensuimus in priori hujuscé capitis parte.

Quae namque sint instantiae, emergentia, sive incidentia Causae respicientes, recensentur in *capite* XII. novissimae reformationis, attentatorum nempe, pertinentiae Causarum, jurisdictionis competentiae, declinatoriae fori, avocationis, et unionis Causarum, remissiónis earumdem ad partes, judicum recusationis, remissionis ad eumdem Judicem, qui iterum audiat, declarationis Causarum, num videlicet recurribiles sint, vel appellabiles, Rotales, sive Praelatitiae, communicationis facultatum AC., moderationis, sive reintegrationis monitorii, seu inhibitionis, circumscriptionis actorum, et possessionum ex capite nullitatis, provenientis ex alio titulo, quam ex nullitate ipsius sententiae, omnesque aliae instantiae similes super quocumque incidenti, et emergenti, quae negotium principale non tangunt.

Et ex eo quia saepissime contingit, Reos, plures uno, eodemque tempore exequi facere citationes coram diversis Judicibus, ut Actore ad plura Tribunalia vocato, et distracto, adeoque non valente ad omnia recurrere, facilius possint coram uno Judice, coram quo Actor non comparuerit, contumaciale obtinere decretum, et sic sub praetextu attentatorum innumeras in praejudicium Justitiae quaestiones excitare, et optatam dilationem obtinere; eapropter ad arcendam industriam hanc, quæ dolo non caret, in posterum illa sola citatio ex pluribus eodem tempore exequutis attendi debeat, quæ fiat coram Judice superiore, videlicet si coram Auditore Signaturae, sive coram Auditore Pontificis; verba hæc quippe sunt Congregationis reformationis Tribunalium sub Clemente XII. *die* 9. *augusti* 1731.

In Causis criminalibus, quando agitur de cognitione illa an criminalis, vel civilis Causa sit, coram eodem Auditore fit citatio, a quo si decretum obtineatur, Causam civilem esse, talis ab omnibus Judicibus est habenda, et avocatur a Judice crimina-

li, si verò criminalis reputatur a dicto Auditore, avocatur a Judice civili, et remittitur ad criminalem, vel si instructa sit coram Judice criminali, coram eo ad ulteriora procedendum est. Quae quidem facultas privativa est Auditoris, vel Eminentissimi Praefecti quoad Tribunal ipsum Signaturae plenae. Attamen videnda quae diximus in capite primo hujusce Commentarii.

Demum ejusdem Auditoris munus est, in omnibus judicialibus actis, praecedentibus propositionem in plena Signatura jus dicere; quum nempe legitimè facta non sint, sive ad formam praxis, et decretorum ejusdem Signaturae, itaut nullitatis vitio illa laborare decernat, aut si Pars legitimè processerit, in contradictoriis, quae coram ipso fiunt, valida esse declarat; ac etiam praescribit, quid, et quomodo agendum sit in omnibus instantiis, quae coram ipso fiunt; qua de re habet ille audientiam qualibet die Lunae, et qualibet die Jovis post meridiem pro causis civilibus, die autem Veneris horis pomeridianis pro Causis criminalibus, Capitolinis, et Gubernii; et quidem in Palatio Montis Citatorii in Aulis sibi designatis; nam tempore Innocentii XII., facta eo in loco Tribunalium unione, ibidem cepit etiam haberi audientia ab Auditore Signaturae, et potissimum sub die 4. *Julii* 1695., ut apparet ex Edicto notificationis, eodemmet anno evulgato, in quo haec praecipua verba leguntur: *Il Lunedì appresso, che sarà il dì 4. del mese di Luglio Monsignor Illustrissimo Auditore della Segnatura di Giustizia nel dopo pranzo, terminato, che sarà il suono della Campana della Curia darà immediatamente principio a far leggere nelle stanze, che gli saranno asseguate, le citazioni, che riguardano la sua carica, ed il simile alla medesima ora farà il Giovedì dopo pranzo; per le citazioni poi concernenti il foro Capitolino, ed il Criminale terrà l' audienza il Venerdì dopo pranzo alla predetta ora, per continovare in appresso ne' prefati giorni, ed ora.*

Et quia quamplures Notarii coram eo citationes legunt, videndum modo, qui sint, et quo ordine legere debeant; et illum profectò praescriptum esse legimus primò in Edicto Eminentissimi *Salviati*, deinde verò novissimis decretis, prout sequitur.

Audien-

Audientia erit diebus Lunae, et Jovis, hora solita, et consueta, et legent infrascripti Notarii.

Scriptor Archivii.	*Notarii Eminentissimi Vicarii.*
Notarii Auditoris Camerae.	*Notarii Gubernatoris Urbis.*
Notarii Rotae.	*Notarii Curiae Burgi.*

Die autem Veneris hora praedicta legent.

Scriptor Archivii in Criminalibus.
Notarii A. C. in Criminalibus.
Notarii Eminentissimi Vicarii in Criminalibus.
Notarii Curiae Burgi in Criminalibus.
Notarii Eminentissimi Camerarii.
Notarii Curiae Capitolinae.
Et omnes Notarii aliorum Tribunalium.

Inter hos omnes ne controversia suboriatur, qui primo loco, vel secundo suas citationes legere debeat, ibidem statuitur, ut, excepto Scriptore Archivii, primo venientes legant.

In caeteris diebus habetur etiam ab Auditore alia Audientia, quae extraordinaria appellari potest, quando, nempe fit a litigantibus citatio aliqua, quae dicitur, pro hora certa. Et evenit potissimum cum agitur de provisionibus, capiendis pro descriptionibus mercium, pro recollectione fructuum, de aliquo è carceribus educendo, et caeteris hujusmodi, quae nempe dilationem non patiuntur, ac celerem exigunt expeditionem. Tunc enim, nè Partes cogantur expectare solitas Audientiae dies, citatur pro die certa, et nè Pars adversa in incerto sit, quanam hora illius diei apud Auditorem se sistere debeat, hora certa proinde in citatione designatur. Quia verò Notarius Causae extra solitam Audientiam legere debet hujusmodi citationes coram Auditore, et ejusdem Decretum in contradictorio latum in acta referre, ideo *viaticum* exigit à Parte citante, julios nempe tres mercedis loco, quae eidem debetur pro hujusmodi accessu extraordinario, *viatico* in Curia appellato. Si verò plena Signatura die Jovis non habeatur, tunc Auditor, ex eo quia occasione adeundi Signaturam non detinetur, audientiam, de qua supra verba fecimus, habere solet in dicta die de mane, nam aliàs, si tunc Signatura plena habeatur, solitam audientiam praestat post meridiem.

Et quamvis pro jure certo habeatur in foro, Auditorem

 men-

mentem Signaturae plenae, ac rescripta in illa exarata destruere, et immutare non posse, prout testantur quamplures decisiones Sacrae Rotae (1); attamen éa declarare utique valet, juxta tamen juris dispositionem, ex eo quia illorum naturam tunc non immutat, sed ad mentem juris reducit (3); nam quum Signatura Justitiae non possit rescribere, nisi prout de jure, meritò Cardinalis Praefectus, uti ejusdem Signaturae caput, illiusque Auditor, uti Signaturae organum, tales declarationes faciendo ad formam juris, non immutant rescripta Signaturae, nec illa destruunt, sed illius mentem servata forma juris declarant, ut firmat *Rota*, et post eam *Constantinus* (3). Hinc est, quod ad petendam simplicem declarationem rescripti plenae Signaturae hodie recursus haberi non potest ad eamdem Signaturam, juxta Decreta Collegii Votantium, promulgata anno 1742., sed ea quaerenda est a dicto Auditore, qui in qualibet Signatura intervenit; ille namque dubii rescripti sensum, si ei satis innotuerit, Partibus aperiet; quum verò ipsi non liqueat, terminum *pro servato* habebit, ut in proxima Signatura Votantes interroget. idque servandum etiam esse, non obstante quod Auditor Eminentissimi Praefectimet decreverit, *instantes uti jure suo super declaratione Rescripti in plena Signatura*. Eapropter in Congregatione diei 8.augusti 1754. monitu Auditoris Signaturae inhibita fuit relatio duplicis Memorialis super declaratione Rescripti in *Urbevetana*, nempe, et *Romana*; nam idem Auditor antea certiores fecit omnes Ponentes, ne praedicta Memorialia referrent.

Censent aliqui, in facultate ejusdem Auditoris haud esse, jus dicendi in Causis illis, in quibus commissio Sacrae Rotae directa a plena Signatura reperiatur, ideoque eum nec posse in oppositum decernere, juxta assertionem *Rotae coram Celso decis.* 218. *num* 7.; hac in re distinguendum omnino est, aut nempe agitur de rescribendo, sive decernendo adversus rescriptum plenae Signaturae, et utique id nullo pacto facere valet; secus vero dicendum, si Commissionem plenae Signaturae

(1) *Coram Celso decis.* 218. *num.* 7. *coram Ninos decis.* 23. *num.* 4.
(2) *Dict. decis.* 23. *num.* 5.
(3) *Coram Pauluccio Bononien prædii* 12. *Januari* 1680. §. *nec audiendum*.

rae suo decreto parte instante explicare vellet, quod jure, meritoque facere potest; prout praesertim evenit, quando dubium est, an Commissio, a plena Signatura expedita, comprehendat Causas haud expressas, attamen ab expressa dependentes. Exemplum proinde non immerito hic subnectimus, *Hercules a Clerico* vendidit praedium per libras argenti 18000, *Thomae Mariae de Cianis*, *et Barbarae Magnanae* ejus Matri, et libras 6000. debebant hi intra quinquennium solvere, et interim praestare quotannis libras 140., tanquam fructus compensativos; vigore instrumenti impetratum coram A. C. ab *Hercule* fuit mandatum exequutivum pro fructibus, eo usque decursis, et non solutis; Parte altera opponente sibi restituendum immò pretium solutum; ex eo quod subjectum erat fideicommisso, ordinato per *Gasparem de Magnanis*, nec A. C. hujusmodi exceptioni annuente, eadem Pars a mandato appellavit, et a plena Signatura obtinuit, signari Commissionem cum clausula, *sine praejudicio*; maturatis deinde novis terminis solutionum fructuum egit *Hercules* coram A. C. pro illarum exactione, et opponente *Thoma de Cianis*, integram Causam ad Rotam praevia antedicta commissione, signata cum clausula *quam*, *et quas*, devolutam fuisse; ab Auditore Tribunalis Signaturae semel, et iterum declaratum fuit Causam spectare in hac parte ad A.C., ad quem eam pluries remisit; *Thomas* antedictus non adquiescens, de attentatis querelam proposuit, et dubium in Rota definiri instetit, *an constaret de attentatis*; et *non constare* fuit resolutum, quia in annuis praestationibus quot labuntur termini, totidem inducuntur obligationes, et debita, per *leg. scire debemus*, *Digest. de Verborum obligationibus*, unde saepius ex stipulatu agi potest, ut inquit ad eumdem textum *Cujacius*; et tot sunt Causae quot sunt termini excursi. Commissaque Causae tantum in devolutivo cum clausula *absque praejudicio*, potuit mandatum exequutivum impetrari pro subsequentibus terminis post devolutionem ad Rotam, nulla habita attentatorum ratione. Postremo *Thomas* strenuè in ea objectione pedem figebat, quod Auditor Signaturae non poterat se ingerere in ea Causa, in qua Commissio ad Rotam directa fuerat a plena Signatura, ideoque nec poterat in oppositum decernere; demum Rota hujusmodi exceptiones rejecit, ac pro vero habuit, Auditorem in dicta Causa non signasse, sive com-

Commissionem dedisse contra rescriptum plenae Signaturae, sed ejusdem Commissionem declarasse, non comprehendere nempe novos terminos decursos, et tantum primum terminum, a cujus exigendi mandato fuit commissa appellatio, idque jure, et de stilo facere posse; prout videre est in decisione *Bononien. praedii coram Pauluccio*, quae extat apud *Constantinum* (1).

Diximus supra, attributam fuisse Auditori facultatem in XII. *Decreto die* 3. *aprilis* remittendi Causas appellabiles ad eumdem Judicem, ut iterum audiat; declaratum tamen fuit sub *die* 26. *septembris* ejusdem anni, id intelligi debere quoad judicata illa emanata per *contradictas*, dummodo non transierint in auctoritatem rei judicatae, nec mutata sit persona Judicis. Itidem quoad illas facultates, respicientes appellationes in quibusdam Causis admittendas, in quibus de stilo a Signatura concedi solent, statutum fuit, firmas existere, praeterquam in Causis liquidationis fructuum, damnorum, et expensarum, et redditionis rationum, in quibus moderatas, et abrogatas censeri.

Summam denique peritiam habere Auditor debet omnium privilegiorum, et facultatum, quibus gaudent, vel jure, vel statuto, vel consuetudine Judices de partibus; quoad Causas nempe non avocandas, quoad res judicatas, ordinemque servandae appellationis, et caetera hujusmodi: quae omnia eidem notissima esse debent, si demandatae sibi provinciae, ut par est, satisfacere velit.

Hinc ordine alphabetico recensere duximus, quae hactenus nobis hac de re innotuerunt. Exordimur idcirco a *Mercenariorum Judice*, qui ab auctoris nomine *Abbas Sacco* nuncupatur. Ejus jurisdictio versatur in causis mercedum, et pro mercede campestrium procedit ille oeconomicè. SS D.N. Pius VI. feliciter regnans, suo Chirographo sub die 3. februarii 1777. injunxit jurisdictionem eidem *Abbati Sacco* procedendi etiam oeconomice in Urbe, atque districtu inter *Agricolas*, et eos, qui *Caporales* in arte agraria appellantur, inter hos, eorumque homines pro adimplemento obligationum, quas contraxerunt, et in causis fraudum, et contraventionum; dummodo tamen non fuerit alibi actum judicialiter (2). *Ab-*

---

(1) *Tom. 3. decis. 179. ad Statuta Urbis.* (2) *Append. pag. 167.*

Abbatiae S. Mariae Claravallis, *de Fiastra nuncupatae*, *Sarocciani*, et *S. Mariae in Silva* bona omnia stabilia, cum eorum annexis, et connexis, existentia in territorio *Urbisaliae*, *Lori*, *Tolentini*, *Montis Ulmi*, *Monticuli*, *Maceratae*, *Montis Milonis*, aliorumque locorum *Marchiae* in emphyteusim perpetuam a Reverenda Camera in vim Chirographi *Clementis* XIV. concessa fuerunt *Marchioni Alexandro Bandini* civitatis *Camerini* pro se, suisque filiis, et descendentibus masculis. Et, confirmatis privilegiis, quibus gaudebant prisci possessores, nova dictus Marchio obtinuit a D. N. Pio VI. suo *motu proprio* diei 10. *maii* 1775., in appendice transcribendo, praerogativam nempe habendi Judicem privativum deputatum, et deputandum a Thesaurario generali, ejusque successoribus pro tempore, pro omnibus causis civilibus, criminalibus, et mixtis, respicientibus tam ipsum Emphyteutam, ejusque successores, quam Administros Conductores, Colonos, aliosque inservientes dictis Abbatiis, necnon Bona, redditus, et proventus, ac caetera alia, quae ad eas pertinent. Qua de re idem Summus Pontifex inhibuit cuicumque Judici, et Tribunali, ac etiam Cardinalium Congregationibus, ne in cognitione praedictarum Causarum ullo modo se intromittant: neque audeant perturbare privativam jurisdictionem, ut supra diximus, attributam Thesaurario, suisque successoribus, et Judici, ab iisdem in partibus delegato, et delegando. Quae tamen omnia intelligenda, et servanda esse jussit praeservato semper jure, competenti Communitatibus *Tolentini*, et *Urbisaliae* praesidendi per earumdem *Consules* Nundinis, quae fieri solent in dictis Abbatiis.

Auditor Camerae, sive *A. C.* est Judex privativus in causis *Curialium*, juxta praescriptum *Constitutionis Eugenianae*; prout legitur apud *Ridolphinum* (1), illiusque privativa jurisdictio habet locum etiam in criminalibus, ut asserit *Gratianus* (2). Hinc 9. januarii 1784. Auditor Signaturae, et Praefectus circumscripserunt querelam, et acta gesta in *Curia Episcopali Albani* contra Curialem in Urbe, licet deliquerit *Albani* morans; prout legitur in

(1) *In Praxi pag.* 611. (2) *Discept. forens. cap.* 421. *n.* 1. 4. *et* 6.

in Actis Notarii Archivii . Excipiuntur vero Causae civiles, excedentes scuta 50. : item si Curialis sit Actor, aut Reus voluntarius in re, cujus possessione careat; quemadmodum etiam Causae *liberationis a molestiis*, *redditionis rationis*, *et quando Partes in alium Judicem consenserint*. Itidem excipiuntur Barones Romani, quos dictâ *Eugeniana* non gaudere, rescripsit Signatura in Praenestina contra Principem ejusdem Civitatis 8. maii 1783.; nec non quum concurrat privilegium *Legis unicae Cod. quando Imperator*, eligendi, nempe, forum quo gaudent, nedum Virgines, Viduae, Pupillae, sed etiam Nuptae, viventes seorsim a viro ex culpa viri, et auctore Praetore; prout animadvertit *Calcagninus*, et decreverunt Auditor, et Praefectus mense septembris 1781. per Acta *Paliani*; quo etiam privilegio, Signatura gaudere censuit, in Causa *Ferrariensi* 6. julii 1775., Senes continuo morbo laborantes. Hisce in casibus locum non habet privativa jurisdictio A. C. in dictis causis *Curialium* in vim *Eugenianae*. Praeterea cessat hujusmodi jurisdictio quando agitur de obligatione Camerali. Nam nec extra locum domicilii, nec coram Judice incompetente, nempe Laicus coram Ecclesiastico trahi potest obligatus in forma Camerae, sed aut coram Judice de jure competente, aut A.C.; quicquid sentiant Doctores, quos inter *Zacchias*, *de Luca*, *Scaccia*, *Calcagninus*, innixi clausulae in contractu appositae, nempe, *omnium*, *et singularum Curiarum etc. ubilibet* se submisit. Quibus omnibus adversatur praxis servata a Signatura tam ab Auditore, quam a Praefectomet, praesertim *anno* 1778. 22. *augusti*; et 12. *septembris* per *acta Archivii*, 10. *julii* 1779. 14. *maii* 1781. mense *julii* 1785. per eadem Acta.

Idem A. C. litteras Monitoriales ad relaxandum, et exequendum mandatum in loco immuni decernere nequit.

Est executor litterarum Apostolicarum tam generalium, quam particularium, privativus in litteris, carentibus executore designato, et cumulativus in habentibus executores deputatos. Eapropter in quadam Causa *Retractus*, competentis in vim Bullae particularis, excitata disputatione super pertinentia ejusdem Causae ad A.C. potiusquam ad partes, Resolutio plenae Signaturae in *Balneoregien. Retractus* 4. decembris 1760. fuit pro

per-

pertinentia Causae ad A. C. Et idem decrevit in *Viterbien.* 14. martii 1778. per acta *Archivii*.

Privativus etiam Judex est in *Causis Simoniae*, *et Confidentiarum* ex Constitutione Benedicti XIII. anni 1728.

A. C. in Criminalibus in materia usurarum nequit ex officio procedere, quando debitor contractus usurarii pervenerit Creditorem coram Judice civili proponendo Contractus nullitatem ob usuram; eo magis quia in Edicto *Falconerii Gubernatoris Urbis* casus de procedendo ex officio non est expressus. Hinc Praefectus, scribente etiam Fisco remisit Causam in civilibus, confirmando decretum Auditoris in mense *februario*, et *julio* 1779. per *acta Brunelli*.

Pertinentia alicujus Causae criminalis ad A. C. non est personalis; itaut non spectat tantùm ad ipsam personam A. C. sed ad ejus Congregationem. Et proinde quum Eminentissimus Praefectus sub die 19. novembris 1781. a judicato *A. C. in criminalibus* remiserit Causam ad dictam Congregationem etiam cum facultate circumscribendi, et petita fuerit deinde repositio a praedicto remissionis decreto, ex quo Defensor Causae contendebat, pertinentiam pro A. C. privativam, esse personalem, non extensivam ad ejus Congregationem, in audientia diei 22. junii 1782. idem Prafectus stetit in decretis.

In Causis *Truffae* habet facultatem procedendi oeconomicè ex rescripto D. N. Pii VI. 9. *martii* 1785., quae quidem facultas intelligitur pro fraudibus, seu *truffis* admissis in permutatione cedularum tantum; ex declaratione emissa in decreto Auditoris Pontificii 9. *maii* 1086. in Causa *inter Josephum de Rubeis*, *et Sanctem Piccioli*. Quapropter ab Auditore Signaturae fuit circumscriptum praeceptum oeconomicè factum ab A. C. Cursori de non accedendo ad Curiam Innocentianam. Et quum *Procurator Fiscalis A. C.* petierit circumscribi decreta dicti Auditoris coram Auditore Pontificis, fuerunt tamen confirmata decretis *dierum* 6. *ac* 20. *martii* 1787.

Æsii Civitas habet officium *Consulatus*, jamdiu erectum, et confirmatum a Benedicto XIV. (1). Ejusque facultas est cogno-

R scen-

(1) *Append. pag.* 132. *ad* 134.

scendi privativè summariè, et de plano civiles Causas inter Homines et incolas Civitatis praedictae, ac Terrarum, Oppidorumque totius *Comitatus Æsini*, non excedentes summam viginti quinque scutorum. Et in casu gravaminis admittitur appellatio, et recursus a judicatis Consulum, seu Officii dicti Consulatus ad Judicem Civitatis praedictae dumtaxat; qui si suspectus allegetur, coram uno nobile Cive, utriusque juris Doctore, a Magistratu Nobilium ejusdem Civitatis toties quoties opus fuerit, vel semel eligendo, appellatio, et recursus hujusmodi proponi debeat. Itaut Causae praedictae nullo modo, tam in prima, quam in secunda instantia etiam de consensu partium cognosci possint a Gubernatore dictae Civitatis, ejusdem Locumtenente, et quolibet Judice Ordinario sub poena praesertim nullitatis actorum.

Quoad jurisdictionem *Consulum Agriculturae*, praeter Statuta peculiaria ejusdem Artis, de ea loquuntur *Scannarola* (1), *Constantinus* (2), *Zaulus* (3), *et Cardinalis de Luca* (4). Et nedum Curiales, Romanam, nempe, Curiam sequentes, sed etiam Clerici illis subjiciuntur, et jurisdictioni praedictae ex *Motu proprio* S. Pii V., edito post eadem statuta (5). Privilegiati etiam subsunt eisdem Statutis. Attamen quoad privilegiatos Palatii Apostolici aliter a Signatura resolutum fuit in Causa *Albanen.*, in qua, non obstante decreto Eminentissimi Praefecti pro pertinentia Causae ad Agriculturam, rescripsit sub die 22. aprilis 1779. *serventur acta coram Sacri Palatii Ap. Praefecto*. Hujusmodi jurisdictioni nihil detrahit si contractus sit munitus obligatione Camerali; prout legitur in *Bando sopra il buon regolamento dell' Arte Agraria*, impresso anno 1765. Causae vero super observatione, et executione hujusmodi contractus definiri quoque possunt coram A. C., ex eo quia haec *Agriculturae Consulum* jurisdictio, quum agatur de obligatione Camerali, est cumulativa; et ideo datur locus praeventioni; quemadmodum censuit Eminentissimus Praefectus mense julii 1786. in Causa *Thomae Rossi* contra *de Maggis*.

Anco-

(1) *In Append. cap.* 5. *pag.* 59., *cap.* 10. *n.* 1. *par.* 2.
(2) *Ad Stat. Urb. ann.* 60. *art.* 1.
(3) *Ad Statut. Favent. rubr.* 17.
(4) *De jurisd. in supplem. disc.* 108.
(5) *Pag.* 240. §. 4.

Anconae Civitas è summorum Pontificum privilegiis id peculiare habuit, ut controversiae litesque excitatae inter Mercatores, ejus portum appellentes, sive alios quoslibet incolas occasione mercaturae, negotiationis, tam in prima, quam in secunda instantia, in ipsa tantum Anconitana Civitate definirentur. At deinde Commercii amplificandi causa, Clemens VIII. 1584. non modo confirmavit eadem privilegia, sed etiam erexit, et instituit *Tribunal, Consulatus* nomine nuncupatum; pro cujus regimine praescripsit, ut quotannis ex numero Mercatorum, in dicta Civitate commorantium, tres Consules eligerentur, quorum, vel duorum ex eis judicio, Causae omnes inter Mercatores invicem, vel inter eos, aut alias quaslibet personas occasione Mercaturae excitatae, vel excitandae quomodolibet, summariè, de plano, et sine strepitu, et figura judicii definirentur. Postmodum idem Pontifex anno 1595. alia sua Constitutione, ad tollendas quasdam disputationes exortas, facultates ejusdem Tribunalis ampliavit, declarando, et decernendo, quod nomine *Mercatorum* intelligerentur etiam ii, qui merces suas dietim, et minutatim venderent, necnon tam Mercatores, quam omnes eorum debitores, etiam Cives Anconitani, et quantumcumque privilegiati, et exempti, tam vigore instrumentorum, quam *partitarum librorum Mercantilium*, et aliarum quarumcumque scripturarum, coram dictis Consulibus, et Judicibus appellationis respectivè conveniri debere privativè quoad alios quoscumque Judices, et Tribunalia, Episcopi etiam, Gubernatoris *Anconae*, et Provinciae *Marchiae Anconitanae* Rotae *Maceraten sis*, Rotae Romanae, Eminentissimi Camerarii, Thesaurarii generalis, et Camerae Apostolicae; qua de re inhibuit omnibus praedictis Judicibus, et Tribunalibus, ne sub gravissimis poenis quoquomodo in dictis Causis se intromitterent.

Accesserunt etiam quaedam Capitula, a *Cardinali Camerario Aldobrandino* edita pro bono regimine dicti Consulatus; quae inter est illud, facultatis nempe Consulibus tributae, capiendi necessarias provisiones quoad naves, naufragium passas, auxilium, subsidiumque praestando, atque merces in illis contentas recuperando, et conservando, necnon cogendo quem de jure ad solutionem expensarum; itidemque Causas decoctionis Mercatorum cognoscendi. Et quamvis haec omnia confirmata

fuissent ab aliis Pontificibus, novissimè summus pontifex Pius VI. ut votis supplicantium Consulum, et Universitatis Mercatorum dictae Civitatis obsecundaret, nedum confirmavit omnia jam dicta privilegia ejusdem *Consulatus* super privativa cognitione *Causarum di Mercatura*, *Naufragii*, *e Fallimenti*, sed etiam jussit, ampliando dicta privilegia, quod Consulatus utatur sua privativa jurisdictione contra quoscumque *Patentatos Congregationis universalis Inquisitionis*, omnesque alios, speciali mentione dignos; prout videre est in pontificio *Brevi diei* 5. *martii* 1757. (1).

Annonae Praefectus est iudex privativus *Pistorum* in Causis, eorum artem respicientibus, prout patet è Brevi Urbani *VIII*. At illius jurisdictio non porrigitur ad Causas *Pistorum*, qui sunt in Urbis districtu. Ita enim censuit *Rota coram Herrera* (2), et *coram Molines* (3); et *Costantinus* (4) in id consentit. Pro Creditis ab eorum arte provenientibus D. N. Pius *PP. VI.* suo Chirographo diei 2. octobris 1782. concessit *Pistoribus Cameralibus*, qui nempe tantum ab Annona deputati sunt, *Manum Regiam* more Camerali, praevia tamen intimatione per tres dies ante, nulla attenta inhibitione, nec admissa appellatione ad eam retardandam. Et Judicem privativum declaravit eumdem Praefectum.

Apoca, *Camerali obligatione* munita, gaudet praerogativa actionis via exequutiva. Dubitatum aliquando fuit, an idem locum haberet in Apoca hujusmodi, non subscripta ab obligato, sed ab alio nomine ipsius, forsan scribere nescientis. At Signatura in *Tolentina Contractus* 27. *augusti* 1778. rescripsit affirmativè.

Appellatio non semper, nec in omnibus Causis admittitur; ideo Causae dividuntur inter appellabiles, non appellabiles, et inrecurribiles. A laudo voluntario ante emologationem locum non habet appellatio; secus a necessario, praescripto a lege, vel statuto. Ab extrajudiciali gravamine, illato nempe per Edictum, vel Rescriptum, sicut citari potest revocari Edictum, vel Rescri-

(1) *Append. pag.* 69. *ad* 171.
(2) *Decis.* 24.
(3) *Decis.* 1276.
(4) *Vot. decis.* 509.

scriptum, ita appellari nequit non praemissis hujusmodi judicialibus diligentiis. Et sic censuit Signatura in *Melevitana moderationis* 4. *februarii* 1779. In illis quae respiciunt Divinum cultum, et decreta Concilii Tridentini non datur appellatio nisi in devolutivo, ex Constitutione Benedicti XIV. *Ad militantis* 3. *Kal. aprilis* 1742. A sententia sindicatoria Magistratuum admittitur etiam in devolutivo tantum, et instantia remittitur ad *Sacram Consultam*, vel *Congregationem Boni Regiminis* respectivè. Ad hoc ut Causa mereatur Appellationem non autem Recursum in *Retractu*, non habetur ratio pretii emptionis tempore, quo petitur *Retractus*, sed tempore contractus; prout resolutum fuit in Signatura diei 17. *junii* 1787. in *Urbinaten. Appellationis*, et in *Aquipendien. Retractus* 26. *junii* 1788. Quatuor termini, qui juxta praxim servantur ad docendum de Appellatione, servandi non sunt, quando aliunde constet succumbentem habuisse notitiam de prolatione sententiae, juxta Rotae decisionem *coram Nunez* (1). Post appellationem interpositam datur terminus unius mensis ad incapsandam Commissionem. At si interposita appellatione citetur eam servari, praedictus terminus decurrere incipit a die interpositae Appellationis non a die decreti, exarati pro illa servanda; ita praescripsit Signatura in *Faventina diei* 26. *junii* 1683.

Asculana Civitas habet secundam instantiam, et in Causis Villarum ultra summam scutorum quinque etiam primam instantiam.

In Assecurationis judiciis solent aliquando Causidici obtinere mandata de describendis bonis, rebusque ob metum occultationis, absque citatione. Et Signatura censuit ea esse circumscribenda, praesertim in *Feretrana Nullitatis Mandati* 26. *augusti*, et 23. *septembris* 1762.

Attentata dicuntur omnia gesta in spretum inhibitionis factae a Signatura. Nam quaevis ejus inhibitio, sive justa, sive injusta, ac etiam irregularis est observanda, juxta Decisionem Rotae coram Eminentissimo Riminaldo (2). Et innovata in parti-

(1) *Romana bonorum* 19. *januarii* 1728.

(2) *Pisauren. Circumscript. et Attent.* 5. *maii* 1775.

tibus pendente inhibitione exequuta, sive intimata Procuratori in Urbe, censentur quoque attentata, purganda tamen per viam nullitatis; prout decrevit *Rota coram Bichio*, et *Cerro*, et demum Signatura in *Sabinen. pecuniaria mense novembri* 1786., et in *Ravennaten. diei* 10. *julii* 1788. Immo etiam citatione ad inhibendum non reproducta usque ad tempus Audientiae, in quo erat reproducenda, ea operatur, ut omnia gesta illo medio tempore habeantur pro attentatis; ut animadvertunt *Calcagninus* (1), et *Constantinus* (2), atque *Rota* firmavit in dicta Causa *Pisauren.*

Animadvertendum tamen est, quod aliter servatur, quando elapso decendio, ad appellandum a jure praescripto, executoriales Litterae expeditae fuerint, et appellatio tunc interponatur in actis; eo in casu si Pars collitigans citaverit coram Auditore Signaturae, *servari appellationem*, et notitia hujusce citationis non devenerit, vel devenire potuerit per solitum cursum *Postae* in partibus, antequam praedictae litterae exequutioni demandarentur, tunc quae interim gesta sunt, pro attentatis non habentur. Et idcircò Signatura *die* 18. *decembris* 1788. in *Causa Hortana Testamenti super Re judicata* rescripsit: *de Causis Restitutionis in integrum sine praejudicio rei judicatae*, et in altera super attentatis rescripsit: *Nihil*. Eademque Causa reproposita die 29. *januarii* hoc currenti anno rescribere censuit: *in decisis*.

Quoad purgationem Attentatorum solet Signatura rescribere: *Purgari per viam nullitatis*, et aliquando *per viam rigorosam*. Discrimen inter unam, et alteram clausulam est, quod prior clausula apponitur quando agitur de Attentatis non reiteratis, et de levibus rebus, neque notabilis culpa intercesserit illius qui attentata commisit; et vi hujusce clausulae quaecumque acta habentur tamquam non facta, et tantummodo Parti collitiganti reficiendae sunt judiciales expensae. Quum vero aut alicujus in carcerem conjectio facta sit, aut ablata alicui possessio, vel notoria et gravis culpa accesserit, altera clausula locum habet; ejusque effectus est, ut non modo acta sint nulla, sed omnes expensae tam judiciales, quam extrajudiciales reficiendae sunt; quinimò damna, quae passa fuit ob dicta Attentata Pars collitigans, sunt ei reparanda.

---

(1) *Prax. Signat. cap.* 1. *num.* 10. (2) *Ad stat. Urbis annot.* 52. *n.* 41.

Barbitonsores Urbis peculiaria habent statuta, quorum Executor est Eminentissimus Vicarius, ejusve Vicesgerens; et proinde in Causa *Romana Tonstrinae inter Universitatem Barbitonsorum*, et *Angelum Rojani*, quum petita fuisset circumscriptio judicati praedicti Vicesgerentis super clausura *Tonstrinae*, in alium locum translatae, Signatura sub die 5. *junii* 1788. rescripsit: *Nihil de circumscriptione, in reliquis de appellatione, et amplius*.

Beneventana Civitas habet secundam instantiam in Causis temporalibus ex privilegio Urbani VIII. confirmato a Clemente XII. (1). Excipitur casus, in quo proceditur in prima instantia ex delegatione Signaturae, prout evenit in Causa *Beneventana Appellationis* 15. decembris 1785., quae ab Auditore delegata fuerat ad Curiam laicalem dictae Civitatis cum facultate purgandi, et circumscribendi; ac in secunda instantia exorta disputatione super pertinentia an ad Judicem secundae instantiae ejusdem Civitatis, vel ad A. C., ex rescripto Signaturae, nulla habita ratione praedicti privilegii, fuit remissa *ad A. C. quoad omnes, et omnia cum facultate circumscribendi. et capiendi quamcumque provisionem*.

Bononia sua quoque habet privilegia; primum est illud, quo Curia ecclesiastica gaudet, jurisdictio, nempe, cumulativa, quando actor sit Clericus, ut patet è Brevi Gregorii XV. Alterum ex prescripto Constitutionis Benedicti XIV. est, quod in Causis executivis Bononiensibus prohibita sit appellatio. Quod intelligi debet, dummodo non appelletur ad Curiam Principis, quae numquam compraehensa censetur, nisi exprimatur. Et ita censuit Eminentissimus Praefectus in Causa *Bononien.* mense januarii 1787. reintegrando Appellationem coram *A. C.* Et ita Judicato, lato in secunda instantia ab Auditore Camerae Eminentissimi Legati, et confirmatorio alterius primae instantiae servata fuit appellatio, expedita coram A.C. in Causa *Bononien. pecuniaria* 14. *februarii* 1788.

Burgi Notarius scribit in Causis merè laicalibus, quatenus Rei conventi sint Incolae vel habitatores *Burgi* dumtaxat; et

---

(1) *Bullar. Rom. novis. to.* 14. *const.* 231.

quatenus non agatur de obligatione Camerali, seu de mercede, aut de miserabilibus personis (1).

Eminentissimus Camerarius habet cumulativam cum omnibus Judicibus Cameralibus, et Conservatoribus Urbis, etiam, quoad Universitates Artificum, et Dohanam Studii, *ex motu proprio* Benedicti XIV. *diei* 12. *augusti* 1741. Est Judex privativus Collegii Medicorum; prout resolutum apparet a Signatura in *Camerinen.* die 7. martii 1776. Privativa etiam pollet jurisdictione quoad vias publicas, et vicinales extra districtum Urbis, in vim Chirographi ejusdem Pontificis diei 3. augusti 1750. Qua de re Judices Commissarios deputat super controversiis, an via sit publica, vel vicinalis, et super earum resarcitione tantùm. In Causis, privatas vias respicientibus, nullam habet jurisdictionem; hinc die 17. junii 1780. Eminentissimus Praefectus circumscripsit acta, exarata coram Commissario Viarum *Cinguli* per acta Archivii. Quoad Causas *Retractus praelativi* pro praediis rusticis, non expressis in *Constitutione Gregoriana de retractu coactivo* in Vineis, eam habere decrevit Auditor Signaturae die 12. *junii* 1761. per acta *Orsini*; idque confirmavit Auditor Pontificis 4. augusti ejusdem anni per acta *Vagnolini*. Hinc Eminentissimus Praefectus Causam *Retractus praelativi*, jam ceptam in Curia Capitolina remisit ad Eminentissimum Camerarium decreto diei 28. julii 1781. per acta supradicti *Orsini*. Demum in Causis *Affidatorum*, non solum gaudet privativa jurisdictione, sed etiam habet *Signaturam in ventre*, ex *motu proprio* D.N. Pii VI. *anni* 1776., itaut citationum coram Signatura nulla habetur ratio; et, si instantia in ea promoveatur, Auditor se abstinet, decernendo, quod instans *U. J. S.* hoc est, *Utatur jure suo coram Emo Camerario, etiam cum facultate etc.*

Camerales Causae, illae nempe, in quibus Camera habeat aliquod interesse, spectant ad Judices Camerales ex Constitutione Benedicti XIV. Et quatenus inter privatas personas controversia oriatur super dominio utili alicujus fundi, ad Cameram spectantis ratione dominii directi, Camera non comparente in Judicio, privilegium *fori Cameralis* locum non habet.

Et

(1) *Reg. pag.* 131. *n.* 8.

Et ita censuit Signatura in *Causa Senogallien. die* 27. *Januarii* 1780.

Camerales Officiales, Notarii, nempe, seu Secretarii Camerae, Subcollectores Spoliorum, aliique Ministri gaudent privilegio fori, quamvis non agatur de re spectante ad eorum Officium. Et ita rescripsit Signatura in *Causa Recineten.* 20. *julii* 1747., et in *Imolen.* 9. *aprilis* 1778.

Capitolii Tribunal habet jurisdictionem etiam extra Urbem per omnia, et singula loca districtus, intra, nempe, quadragesimum lapidem, ab Urbe dissitum, sed ad unicum effectum citandi, et procedendi in Causis merè laicalibus, ad ejus forum competentibus contra Cives Romanos, vel Incolas, vel qui aliter, juxta dispositionem *Statuti* (1), ejusdem Curiae jurisdictioni subjecti sunt; prout praescriptum legitur in *Constitutione* Benedicti XIV. (2). Quinam verò dicantur Cives, et Incolae declaravit Benedictus XIII. *suo motu proprio diei* 24.*octobris* 1728. Quando agitur de obligatione Camerali, cumulativam jurisdictionem habet cum A. C. si debitor sit subjectus, ut supra, ejus foro (3). Et quamvis in Causis Clericorum, eorumque bonorum, nullam habeat jurisdictionem; nihilominus in Causis *Concursus* super bonis Laici debitoris competit eidem jurisdictio, etiamsi bona in concursum deducta, in totum, vel in parte sint de proprietate, seu dominio Clericorum, pro eo tantum, quod pertinet ad deputationem Œconomi, graduationem Creditorum, distributionem, seu consignationem pretii, ex deliberatione retrahendi. Quoad verò subhastationem ipsorum bonorum procedere nequit dicta Curia, sed A. C. aut Cardinalis Vicarius, aliave Curia Ecclesiastica; ita tamen, ut Cedula depositi pecuniae, a subhastatione bonorum retractae, immediatè deferatur a Cursore, seu Mandatario ad Judicem Concursus nempe ad ipsam Curiam (4). Contra *Hebraeos*, etsi incolae Urbis sint, nulla tamen pollet jurisdictione, utpotè subjectos Curiae Vicariatus ex Constitutione Julii III.; potest verò in Causis Criminalibus adversus eos procedere, ex officio tamen, non ad querelam;

(1) *Lib.* I. *cap.* 41.
(2) *Roman.Cur. præst.* §.*Curiæ vero.*
(3) *Loc. cit.* §. *item.*
(4) *Loc. cit.* §. *in Causis.*

lam; et quando illis commixti sunt delinquentes Christiani, habet locum praeventio ex Constitutione Pauli v. Demum Notarii ejusdem Curiae in omnibus Causis tam ratione Officiorum, quam aliàs quomodocumque contra eos, eorumque familias conveniendi sunt in ipsa Curia ex Constitutione Sixti v. confirmata a Paulo v.; excepto casu cautionis, quam praestant risico Officii, pro qua conveniendi sunt coram Judice Causae; prout rescripsit Signatura *in Romana pertinentiae Causae* 15. *septembris* 1612.

Captura Rei id efficit, ut qui eam praevenerit, is iudex esse debeat, licet alter prævenerit etiam ad sententiam contumacialem ut tradit *Ferdinandus de Valentibus*; et ita Praefectus decrevit pro *Fiscali Promotore Curiae Episcopalis Alatrinae anno* 1779. per *acta Archivii*. Et pro *Curia Capitolina* ob praeventionem in captura contra *Curiam Gubernii*, non obstantibus ejus privilegiis Auditor, itidemque Praefectus inter respectivos Fiscos 17. *aprilis* 1779. per *acta Berardi* censuerunt.

Castri S. Angeli Praefectus jurisdictione pollet quoad *Balistarios*, et *Auxiliatores* in iis rebus, quae respiciunt eorum officia, atque privilegia exemptionis a taxis, et oneribus personalibus tantum, et quoad illos solummodo, qui descripti sunt in matricula, sive *Rollo*, ex *Motu proprio* Clementis xiii. diei 26. *maii* 1762. Sub hujusmodi tamen iurisdictione non comprehenduntur *Balistarii* addicti aliis castris, sive *Fortalitiis*; ex eo quia Chirographum supradictum de primis tantummodo loquitur. Et ita decrevit Emus Praefectus contra quemdam, addictum *Fortalitio Senogalliae*, die 18. *iulii* 1778 per *acta Camerae*.

Cautio loco appositionis Custodis non habet locum, quando ex pacto conventa fuerit manus injectio super rebus, vel reservatum dominium super fructibus. Et ita censuit Signatura in *Causa Albanen*. 23. *iunii* 1768.

Cautela Angeli, quae nempe proponitur pro dotis assicuratione, est alleganda coram iudice mandati, ex *Reformatione* Innocentii xii. anni 1692. (1). Vi tamen *legis unicae* potest declinari forum mandati, quia dicto privilegio non censetur derogatum, prout

(1) *Penes Ansald. adnot. ad decis.* 105. *num.* 26.

prout animadvertit *Constantinus* (1), et decrevit Emus Praefectus pro *Vidua Palmisani* mense *iunio* 1732.

Centum Cellarum Civitas subiicitur statuto Urbis; et extat Votum Signaturae, exaratum a *Fattinello*, et enunciatum a *Pacichello*. Contraria vero est *Decisio coram Vicecomite diei* 8. *junii* 1753.; quae censetur non attendenda.

In *Causis Censurarum* coram Ordinariis, etsi citationes, juxta constitutionem pontificiam, editam anno 1742., admittendae non sint ad effectum retardandi censuras praedictas; nihilominus quum id intelligi debeat de illis tantum citationibus, quae respiciunt appellationem, et quidem in solo casu censurae latae a jure, vel sententiae jam emanatae in censura ferendae sententiae; aliae citationes factae coram Signatura in hujusmodi causis, respicientes pertinentiam earumdem, vel alia incidentia, admittendae omnino sunt, etiamsi sint citationes, camerales nuncupatae, non subscriptae. Et ita servatum fuit in causa *Civitatis Castellanae*, in qua Signaturae Auditor mandavit lacerari cedulones, publicatos in spretum citationis coram Signatura super circumscriptione, et pertinentia causae; et decretum hujusmodi confirmatum fuit ab Auditore Pontificis sub die 18. *februarii* 1752. adiecta condemnatione Partis attentantis in expensas reficiendas alteri Parti; quarum taxatio facta fuit per acta *Notarii Monti*. Idemque accidit in simili casu censurarum, quas relaxavit anno 1756. *Curia Episcopalis Urbevetana* contra quemdam *Curatum*, et in alio Censurarum, quas *Curia Episcopalis Lauretana* relaxavit contra Gubernatorem *Castri Fidardi*, atque in aliquibus aliis casibus, quos omnes videre est in Regesto Actorum ejusdem Tribunalis Signaturae.

Citationes, quarum una intimata fuerit eadem die coram Auditore Signaturae, altera ad sententiam coram Judice Causae, non officiunt, quin valide pronuncietur sententia. Ita censuit Signatura in *Causa Alatrina Manutentionis* 23. *augusti* 1709. Et eadem Signatura in *Causa Civitatis Plebis Circumscriptionis* 20. *decembris* 1787. declaravit, citationem in quolibet judicio

 ne-

(1) *Discurs. unic. de Cautela Angeli*.

necessariam esse, non obstante consuetudine in contrarium. Dubitatum aliquando fuit, an *Coheredes* citandi sint in actione personali, et pro mandato contra bona hereditaria; et Signatura in *Romana Circumscriptionis* 27. *augusti* 1778. censuit sufficere, quod citetur unus tantum ex illis, qui possideat, nisi et alii doceant, se pariter possidere.

Camerales Citationes in Causis de partibus, ubi adhuc sententia lata non sit, non attenduntur ex *Constitutione* Benedicti XIV. (1); nec secundae, vel ulteriores continentes eamdem instantiam post protestationem emissam in Urbe, quae dicitur: *Nihil fieri* (2), factam adversus primam, quamvis aliqua variatio intersit inter primam, et secundam, dummodò non sit substantialis; ita in *Firmana* 27. *septembris* 1787. Confectae absque expressione nominis alicujus ex Locumtenentibus *A. C.*, intelligitur lis contestata coram *A. C. met* iuxta Signaturae resolutionem in *Causa Interamnen. Attentatorum* 28. *maii* 1759. Quae intimatae sunt extra Urbem, reproduci debent infra mensem (3). In Causis Beneficialibus in quibus datus est certus Executor, citationes coram Signatura sunt attendendae; ita ea decrevit in *Asculana*, seu *Aprutina* 8. *aprilis* 1778., in qua, designato Executore, exequuta Camerali citatione coram Signatura, eaque pendente Executor processit ad ulteriora; et ab ea rescriptum fuit: *alteri ex integro cum facultate exequendi litteras Apostolicas*. Non attenduntur ubi praeventum fuerit in *Signatura Legationum* (4). Et demum quoad alios casus, in quibus attendendae vel ne sint Camerales citationes, prae oculis habenda est pluries laudata Benedicti XIV. Constitutio; qua praescribitur, *Citationes Camerales*, quae juxta stilum Curiae impressae tantum sunt, et non subscriptae a Cardinale Praefecto, vel Auditore, aut eorum Notario, in partibus transmittuntur, attendendas esse, tam in Causis summae appellabilis, quatenus citetur *ad videndum supersederi*, quam in recurribilibus, quum citatur *ad videndum subdelegari Judicem in partibus* in gradu recursus, quoties nondum a Judice de partibus

(1) *Romanae Curiae praestantiam §. Citationes.*

(2) *Loc. cit. §. postremo.*

(3) *Reformatio Pauli V. sub tit. A. C. §. citationes.*

(4) *Loc. cit. §. at vero.*

bus pronunciatum sit, vel per sententiam, vel decretum definitivum, aut saltem gravamen inferens, per definitivam haud reparabile; attamen si Judex in partibus jam decreverit ut supra, mandavit, dictas citationes omninò esse attendendas, et illas inhibere, etiamsi contra Juris ordinem in Causis appellabilibus citatum fuerit ad videndum subdelegari alium Judicem in gradu recursus, et in illis recurribilibus ad videndum supersederi; tunc enim, et tantummodo in eo casu Praefectus Signaturae, ejusve Auditor supplere tenetur defectum Partium, vel Defensorum, mandando supersederi in Causis summae appellabilis, et respectivè subdelegando Judicem in gradu recursus, non obstantibus decretis, et reformationibus Signaturae.

Qnando agitur de summa, scuta quinque non excedente monetae, in regione currentis, vel existentibus in Causa duobus judicatis consequutivis, et conformibus, vel de mercede diurna, aut menstrua, aut de alimentis futuris quaestione emergente, vel de restitutione depositi etiam irregularis contra depositarium, aut de solutione schedulae, vulgò *Pagherò per altrettanti*; aut litterarum cambii, vel onerum Cameralium, et Communitativorum; ac demum de solutione Canonum, aut Pensionum domus, nullum recursum admitti voluit in suspensivo a Cardinale Praefecto Signaturae, vel ejus Auditore; et in praedictis casibus, postquam verificati fuerunt coram Judice subdelegato, statuit subdelegationem non afficere, nisi in solo devolutivo, et sine praejudicio legitimae exequutionis.

Exceptis Causis privilegiatis, in quibus A. C. est Judex competens in prima instantia, vel propter obligationem Cameralem, aut habentem vim illius, vel propter privilegium *leg. unicae*, quoad reliquas Causas extra districtum Urbis, quae sint summae dumtaxat recurribilis, idest non attingentes summam scutorum centum, inhibuit, ne in Curia retinerentur, aut committerentur, sed semper, praecepit, subdelegari alium Judicem, quatenus adsit in eadem Civitate, seu loco, in quo pronunciatum fuit primum judicatum; cum solita clausula, *ad effectum cognoscendi de gravamine pro admissione, vel denegarione recursus, per acta ejusdem Notarii, et sine solutione Propinae, et Regesti, et quatenus Partes in eum non consenserint, ad effeetum deputandi alium Judicem in sui locum cum iisdem facultatibus de con-*

consensu ipsarum Partium, *sin minus ex Officio*; et aliter factas subdelegationes nullius esse roboris, declaravit.

Demum si una ex Partibus collitigantibus hujusmodi citationem impressam, et non subscriptam exequi fecerit coram Eminentissimo Signaturae Justitiae Praefecto, vel Auditore, et altera Pars ita citata comparuerit in actis emissa consueta protestatione, quae dicitur *Nihil fieri*, ex praescripto laudatae Constitutionis nulla alia similis citatio, eamdem continens instantiam, quae in partibus fiat, est attendenda, immò impunè, et absque spolii, vel attentatorum vitio sperni potest.

Civitas Nova, et Oppidum *Montis Causarii*, feuda Familiae *de Sfortiis* habent secundam instantiam ab uno loco ad alium esclusive ad *Rotam Maceratensem*; prout declaravit Signatura in *Causa Firmana jurisdictionis* 17. *martii* 1763.

Clerici quoad forum eo non gaudent, si non habeant requisita, praescripta *a Concilio Tridentino*, delationis nempe habitus Clericalis, et adscriptionis servitio alicujus Ecclesiae; quae eo magis requiruntur in *Clericis Conjugatis*. Nec eisdem suffragari potest reassumptio habitus post motam litem, prout animadvertunt *Ciarlinus* (1), et *Ricciiis* (2). Et proinde Em̃us Praefectus sub die 27. septembris 1769. in Causa *Recineten.* seu *Anconitana Clerici Angeli Pasini* rei conventi, eam ad forum laicale spectare mandavit. Cui decreto non acquiescens dictus Clericus, experiri voluit resolutionem plenae Signaturae, a qua rescriptum fuit: *Nihil*, *et servetur decretum Eminentissimimet*, *et amplius*. Eamdem instantiam instauravit in alia Causa, etiam *Recinaten.*, adversus *Natalem Luciani*, petiit, acta curiæ laicalis circumscribi, et remitti Causam ad Curiam ecclesiasticam, probando assumpsisse habitum laicalem, et allegando decretum Vicarii generalis, quo hic declaraverat gaudere illum privilegiis clericalibus. His non obstantibus Auditor Signaturae rejecit instantiam. Huic decreto nec acquievit, ex eo quod is etsi Conjugatus, attamen cum unica, et virgine, gaudere debebat fori privilegio, etiam post reassumptionem habitus, et non obstante negotiationis exercitio, fretus Rotae decisione (3), et auctoritate *Barbosae* (4).

Al-

(1) *Controv. forens. cap.* 53. *n.* 24.
(2) *Decis.* 168. *n.* 4. *et seq.*
(3) *Recent.* 353. *n.* 5. *par.* 19.
(4) *De offic. et potest. Episcop. par.* 2. *alleg.* 12. *n.* 30.

Altera Parte opponente, Clericos Conjugatos non gaudere praesertim in civilibus Causis privilegio fori, etsi etiam deferant habitum, et tonsuram, juxta sententiam *Covarruviae* (1), *Fagnani* (2), *et Cardinalis de Luca* (3). Attamen Eminentissimus Praefectus per acta *Archivii* decrevit: *attenta resolutione contra instantem de anno* 1769. *in alia tamen Causa, remisit instantiam ad eamdem Signaturam, et supersederi mandavit ad primam*. Proposita deinde in Signatura dicta Causa *die* 17. *decembris* 1778. resolutio prodiit: *Nihil, et servetur decretum Eminentissimi*. Disputatum aliquando fuit, an in *Causa liberationis a Molestiis* inter laicos, et coram Judice laico unus ex iis laudaverit in ejus auctorem Clericum, quem idcirco citaverit pro *liberatione a Molestiis* coram ipso Judice laico, debeat idem Clericus, objiciendo declinatoriam fori, conveniri coram Judice Ecclesiastico. Auditor Signaturae *in Causa Faventina anni* 1778. ob regulam, quod dum agitur de dicta *liberatione a Molestiis*, Judex idem esse debeat ac *ille Molestiarum*, non admisit petitam declinatoriam, eamque omninò rejecit. At Eminentissimus Praefectus ad examen revocatis auctoritatibus *Antonelli* (4), et *Constantini* (5) censuit avocandam esse Causam a Judice laico, et remittendam ad ecclesiasticum. Nam ita, hoc eodem articulo ad unguem discusso, tenuit *Squillante* quoad Clericum successorem laici, adversus quem ceptum fuit judicium in foro laicali; ex eo quia Clericus sive universalis, sive particularis successor sit laici, semper Clericus est, et idcirco coram Judice Ecclesiastico citandus, juxta notata per *Paxiordanum* (6), et *Sabellum* (7); et hinc iterum decrevit Eminentissimus Praefectus *die* 18. *julii* 1778. *per acta Archivii*, avocandam esse Causam, et remittendam ad forum Ecclesiasticum. Reliquum est, ut videamus quid Signatura censuerit in casu *Manus Regiae* Judicis laici, exequutae contra Clericos cum *Exequatur Episcopi*; quo obtento facta deinde fuit coram eodem Judice laico subhastatio bonorum exequutorum absque novo *Exequatur*; Signaturae Auditor decrevit circumscri-

(1) *Pract. qu. cap.* 31. *n.* 7.
(2) *Cap. proposuisti* 19. *de foro comp. num.* 54. *et Vot.* 297. *to.* 2.
(3) *Miscell. disc.* 2. *n.* 21.
(4) *De Jur. Clericor. lib.* 1. *cap.* 20.
(5) *Ad Stat. Urb. tom.* 1. *ad num.* 7.
(6) *De Priv. Cleric. c.* 7. *n.* 78. *et seqq.*
(7) *Tom.* 2. *pag.* 166., *et* 167.

scriptionem; Pars altera reclamavit a dicto decreto, innixa auctoritati *De Vecchis*, qui docuit, Judicem Ecclesiasticum de jure contentum esse debere sola *Manus Regiae* subscriptione. At quia idem Auctor non probavit actus novos executorios posse fieri coram Judice laico, Eñus Praefectus mandavit *servari decretum Auditoris diei* 3. *Junii* 1780. *per acta Archivii*.

Columna Familia gaudet ex privilegio, concesso *Laurentio Columna*, ejusque Filiis, et Descendentibus primogenitis masculis in perpetuum a D. N. Pio VI., feliciter regnante, plena, et ampla facultate, admittendi, vel denegandi per se, vel per alios, ab ipsis legitimè delegandos, recursum, itemque Judices in secunda, tertia, et alia qualibet ulteriori instantia subdelegandi in omnibus Causis suorum Vassallorum, degentium in ejus *Feudis, positis in Provinciis Maritimae, Campaniae, et Latii, non excedentibus tamen valorem scutorum quinquaginta*; prout patet è *pontificio Brevi*, sub *datum die* 12. *aprilis* 1777., impresso *typis R. Camerae*.

Competentia fori quoad Ecclesiasticos, querelantes Laicos, decreta fuit favore Curiae Ecclesiasticae ab Auditore, et Praefecto in *Tyburtina querelae*, in Curia Ecclesiastica propositae contra *Joannem Baptistam Mazza laicum*, *mense martio* 1784. *per acta Archivii*.

Congregationes Cardinalium nequeunt jus dicere in Causis verè contentiosis ex decreto Innocentii XII., et Clementis XII., confirmato a Benedicto XIV.. Causae contentiosae ex dicto decreto dicuntur omnes illae, in quibus necesse est, processum conficere judicialem, vel fieri debeant probationes parte citata, aut per Testium examen in Curia, aut per jurium productionem, atque reproductionem, sive per expeditionem litterarum compulsorialium, vel remissorialium, aut interponendum esset aliquod decretum judiciale. Quatenus verò Partes etiam in dictis Causis judicialibus velint concorditer subire judicium dictarum Congregationum, consensus praestandus est in scriptis; et nihilominus processus probatorius conficiendus est ab Ordinariis, a quibus ad eas remittendus est, consensu tamen in scriptis non praestito, jurisdictio non est prorogabilis; ut patet è superius laudato decreto. Hinc in *Causa Setina pertinentiae Causae*, quum ageretur de controversia expensarum in reædifica-

ficatione Ecclesiae, quamvis ea instructa esset in Congregatione Concilii, a Signatura remissa fuit ad *A. C. mense junii* 1779. Itidem in *Asculana Obsequii* inter Episcopum, et Canonicos quoad jus deferendi Cappas, ab Eminentissimo Praefecto remissa fuit cognitio Causae ad A. C. quo vero ad associationem Episcopi, ad Sacram Congregationem *Rituum*. Ejusque decretum confirmavit plena Signatura *die* 15. *septembris* 1785.

Congregatio Aquarum caret jurisdictione inter Privatas personas, licet de materia Aquarum agatur, nisi tamen res sit de bono, vel damno publico; ita legitur in *libro Resolutionum Signaturae anni* 1757. et in *Spoletana* 28. *iulii* ejusdem anni. Tunc enim non levis excitata fuit controversia inter *Promotorem Fiscalem* dictae Congregationis, et *Pacificum* de *Pacificis*. Contendebat Promotor praedictus, jurisdictionem Congregationis adeo praestantem esse, ut Signatura in ejus Causis se ingerere nequeat. At decisum fuit ab eadem Signatura *die* 5. *maii* anni superius recensiti, praedictam jurisdictionem habere locum in iis Causis, in quibus Congregatio, vel ejus Deputati procedunt ex officio, vel pro coercendo aquarum cursu, ne damnum proximis praediis irrogetur, vel pro remotione repagulorum, ac pro refectione, vel aestimatione damni, ab alluvione illati; secus vero quando agatur de controversiis inter privatas personas, quamvis obiter inundationis materiae discutiantur, et similia, quae pertinent ad Judices Ordinarios. Et reproposita deinde ipsamet Causa die 28. *iulii* rescriptum fuit: *in decisis, et amplius*.

Congregatio Boni Regiminis pollet jurisdictione juxta *Constitutionem* Benedicti XIV. in his, quae sequuntur Causis, et non aliis. I. Si Communitas, vel Affictuarius agat pro solutione introituum, et redditaum Communitatis, in Tabella descriptorum, contra debitores. II. Secus quoad Tertios non obligatos, vel mulieres allegantes inhibitiones dotales. III. Ubi de natura onerum, an Cameralia, vel Communitativa sint, agatur. IV. Super electionibus Depositariorum, Exactorum, Administratorum Communitatis, eorumque redditionum rationis. V. Super locationibus bonorum, atque proventuum, in Tabella descriptorum, inter Communitatem, Conductores, seu inter istos, et plures oblatores., et super solutione sive responsione Affictuum.

Quoad hanc quintam classem disputatum fuit inter *Artis Suinae Curatores, Conductores Communitatis Vetrallae*, uti *adscriptos Arti Agrariae*, praetendentes jus pascendi liberum in Agris, sub locatione comprehensis, et in Tabella descriptis, utrum ad *A.C.*, vel ad Congregationem Boni Regiminis Causa pertineret. Et quamvis de Arte Agraria non essent Conductores, neque fuissent ex Licitatoribus; attamen decretis Auditoris, et Eminentissimi Praefecti Causa remissa fuit ad Secretarium Congregationis Boni Regiminis; et plena Signatura in *Viterbien*. 30. *januarii* 1777. rescripsit: *Nihil, et servetur decretum Eminentissimi*.

Quaestiones *finium territorialium regundorum* ad dictam Congregationem non pertinent. Ita definivit plena Signatura in *Causa Nursina* 17. *junii* 1784. rescribendo: *Nihil, et servetur decretum Eminentissimi*, qui Causam remiserat *ad partes*. Immo Auditor Pontificis sub *die* 10. *julii* 1787. in Causa Communitatis *Fianelli* circumscripsit omnia gesta in dicta Congregatione, non obstante quod Partes in eam consenserint.

Quoad *jus restringendi*, nec etiam ad dictam Congregationem pertinet cognitio. Et proinde in Causa *Civitatis Castellanae juris restringendi* inter Communitatem *Corchiani*, et *Capitaneum Eugenium Forlani* 10. *julii* 1783. Signatura rescripsit: *Nihil, et servetur decretum Eminentissimi*; qui nempe Causam ad *A.C.* remiserat.

Itidem in Causis inter Affictuarium Communitatis, et particulares personas, dicta Congregatio jus dicere nequit. Ita in *Alatrina*, seu *Verulana pertinentiae Causae* inter Affictuarium *Fidae*, et eos, qui contendebant illam non solvere, rescripsit Signatura die 23. *septembris* 1780. *Ad A. C. Gavotti*.

In controversiis, quae excitantur pro publicis operibus, confectis a personis, *Deliberatariis* Communitatis nuncupatis, ac pro eorumdem pretii solutionibus, nec etiam jurisdictio praedictae Congregationis ad eas se porrigitur; quapropter in Causa *Maceraten.* inter *Marchiae Communitates*, et *Ventani*, operum redemptorem pro constituendis Moeniis Castri *Belforte*, qui instabat, solutionem petendo, Signatura 28. *januarii* 1779. rescripsit: *servetur Appellatio coram A. C.*

Quum Communitates agere debent adversus earum Consilia-

liarios pro reposcendis expensis, erogatis in sustinendis litibus, juxta Benedicti XIV. Constitutionem, ad hoc ut eas indemnes reddant, ad supradictam Congregationem non pertinet in hujusmodi Causis jus dicere. Hinc in *Firmana Pecuniaria* inter *Communitatem Torchiani*, et *Ferrini*, Signatura 22. *martii* 1787. rescripsit propositae Commissioni: *ad Rotam de Causis*.

Quoad *Tabellam privilegiatam*, et exactionem *manu Regia* onerum, sive vectigalium in ea descriptorum, eadem Congregatio est Judex privativus; itaut nec attendantur inhibitiones, juxta Edictum, evulgatum cum oraculo Clementis XIV. die 23. *aprilis* 1773. Signatura tamen nullam hujusmodi Edicti rationem unquam habuit; et in casu spretae inhibitionis statuit, remittendam purgationem attentatotum, et circumscriptionem ad eamdem Congregationem, rescribendo: *ad Congregationem Boni Regiminis cum facultate purgandi etc. et circumscribendi*; et ita rescripsit in *Firmana* diei 17. decembris 1778., in qua spreta fuerat citatio coram ipsa Signatura. E contra vero in Causa *Sabinen. 6. martii* 1788. in qua Communitas *Collis veteris* egerat contra Pistorem *Manu Regia* pro restitutione *imprestantiae*, sive mutuationis, transmisso Pistori sequestro ab uno è Creditoribus Communitatis coram A. C., Communitas inhibita fuit coram Signatura, et intimata eidem inhibitione, Congregatio supradicta, in vim Edicti anni 1775. mandavit procedi ad ulteriora non attenta inhibitione. Auditor Signaturae, et Emus Praefectus purgationem Attentatorum demandarunt. Edicto, et Congregationis Rescripto innixa Communitas, recursum habuit ad Auditorem Pontificis, edictum, et Rescriptum hujusmodi enuncians, et ab eo remissa fuit instantia ad plenam Signaturam; quae rescripsit: *Nihil, et servetur decretum Eminentissimimet*, purgationis nempe Attentatorum *per viam nullitatis*.

Congregationis Inquisitionis universalis, vulgo *S. Officio*, quaenam sit jurisdictio in ejus Officiales, et Privilegiatos, et quinam eo sub nomine veniant, patet è constitutione Benedicti XIV. (1). Et ea exercetur ab Assessore, tam uti judice ordinario, quam in figura Signaturae; itaut ille agit id omne quod ab Auditore Signaturae fieri solet; et ab ejusdem decre-

 tis

(1) *Ad supremum justitiae Solium Bull. edit. Ven. tom. 4. pag. 116.*

tis recurritur tantummodo ad Congregationem praepositam dictae Inquisitioni ; quae si appellationem impertiatur, pertinet ad ipsummet Assessorem deputare alium judicem, unum nempe e Praelatis Consultoribus ejusdem Congregationis.

Conservatores Urbis in Causis, respicientibus Vassallos Feudorum, quae ipsi possident, gaudent privilegio eas cognoscendi, et definiendi in secunda instantia per ipsosmet, seu eorumdem Assessorem, juxta Statutum Urbis, et *Chirographum* Clementis XII. (1) Carent verò jure subdelegandi Judices in partibus. Eapropter hujusmodi subdelegationes circumscripsit tam Auditor Signaturae, quam Eñus Praefectus in *mense augusti* 1787.

Consuetudo, quando est contra jus nunquam attenditur. Et ita declaravit Auditor Pontificis decreto diei 5. *julii* 1785., quo abrogata fuit consuetudo agendi in judicio sine citatione. Idemque resolutum fuit a plena Signatura 20. *decembris* 1787. in Causa *Civitatis plebis Circumscriptionis*.

Et quamvis, ut diximus ab Auditore Pontificis saepius decretum fuerit non obstare quamlibet consuetudinem, quae juri contraria sit, et proinde acta quaecumque judicialia semper nulla, et irrita habenda esse, si praeviam Partis collitigantis citationem, omissam esse ex consuetudine Pars altera contendat. Attamen non ideo infrequentes sunt hac de re judiciales disputationes, quas inter celebris fuit illa, excitata in Causa *Avenionen.* anno 1788. in qua ille idem *Mongolfier*, qui novo excitato itinere per sinuosos aeris vortices, cuidam folli, aere inflammabili repleto, atque distento inhaerens, per aethera volitare cepit, maximam Populorum Orbis partem in admirationem rapiendo; judicium instruxit adversus heredes *Advocati Joannis Willelmi de Villeles* in *Tribunale Consulatus*, *Avenioni* existente, ob societatem initam super impressione, et respectivè venditione quorumdam Operum, seu librorum, et nulla prius citatione oblata dictis heredibus, sententiam obtinuit; a qua ii appellarunt coram *Pro-legato Avenionense*, et ab eodem admissa appellatio tamquam in prima, et proinde circumducta fuit Consulatus sententia. In hoc rerum statu *Mongolfier*, qui strenue contendebat, antiquissimam esse dicti Consulatus consuetudinem ita procedendi, eam-

(1) *Append. pag.* 79. *ad* 80.

eamque multis fere testibus comprobare conabatur, quum adversus admissam appellationem reclamaverit coram Auditore Pontificis, ab eo obtinuit remissionem Causae ad Signaturam Justitiae loco Signaturae Gratiae. Et haec in prima propositione sub *die* 17. *januarii*, nulla habita ratione dictae consuetudinis, rescripsit: *Alteri ex integro*; et in altera sub *die* 10. *aprilis*: *In decisis*.

Contractus illiciti, vulgo *Ciavanzi*, *Affitti franchi*, *Barocchi* etc. subjiciuntur judicio criminali, ex epistolio Auditoris Pontificis, jussu D. N. Pii VI. sub *die* 22. *aprilis* 1681.

Contradictae. Quoad has servandum est decretum editum ab *Emo de Luca* Pro-Auditore Pontificis anno 1677. (1). Praeterea animadvertendum est, quod defuncto Procuratore post contestatam litem prosequi nequit judicium per *Contradictas*, prout resolutum fuit a Signatura in *Tyburtina* 20. *junii* 1776. Quum agatur de processu validè cepto per *Contradictas* non est necesse ulterius Acta perquirere, sed comparens extra terminum debet comparitionem intimare, et ad notitiam Collitigantis eam deducere juxta adnotata ab *Uberto* (2); ac ita decrevit Eminentissimusmet in casu, quo, post ceptum processum, factum fuit *Nihil fieri* ante expeditionem Mandati, et illo non obstante fuit expeditum; cujus validitatem sustinuit dictus Eminentissimusmet *die* 6. *martii* 1779. *per acta Amati*. In citationibus, in Urbe faciendis, ad eligendum domicilium, perquiri etiam debet *Broliardus*, sive Regestum *Contradictarum*, alias nulliter proceditur per *Contradictas*; qua de re videndus *Seraphinus* (3). Et quamvis sub unica Camerali citatione plura judicia introduci possint, ex intervallo tamen procedere non licet; ideo in *Verulana Circumscriptionis* Auditor Signaturae 14 *decembris* 1785. circumscripsit Acta, confecta per *Contradictas* mense *majo*, repetita Camerali citatione, producta mense *aprili* in alio judicio për *Contradictas*.

Corneti in Causis, Agriculturam respicientibus, adest Judex privativus, ex *Motu proprio* Pauli V. anni 1608.; et eligitur a Praeside Annonae Urbis.

Cumulativa jurisdictio Curiarum Episcopalium in Causis con-

(1) In *Append pag* 40.
(2) *De citat. cap.* 11. *num.* 409.
(3) *Selectar. concl.* 26. *to.* 4.

contra Laicos, an, et quando locum habeat, patet e constitutione Clementis XIII.; edita VIII. Kal. septembris anno IX. pro esclusiva dictae jurisdictionis (1).

Curiae Episcopales, *et Ecclesiasticae* nequeunt ad se trahere cognitionem criminum contra laicos, non obstante qualibet consuetudine; quatenus haec non sit quadragenaria, et perpetuo constans, nunquam contradicta, aut interrupta; ut praescripsit idem Pontifex Clemens XIII. in superius laudata Constitutione. Qui etiam addidit, hujusmodi consuetudinem, ita praescriptam, comprobandam esse multiplicitate, ac frequentia actuum, non levium, sed gravium, quos constet factos fuisse non ex gratia, vel conniventia judicum saecularium, et tales haud esse, qui fortasse fieri potuissent, nec scientibus, nec acquiescentibus Pontificibus, et Romanae Curiae Magistratibus; itaut nulla habenda sit ratio, scientiae, et patientiae Rectorum localium, et quorumlibet Magistratuum inferiorum, ad hoc ut legitima dici queat consuetudo, supradictis conditionibus, et circumstantiis destituta.

In *Criminalibus Causis* decreta tam Emi Praefecti, quam Auditoris Signaturae tantam vim habent, ut non liceat adversus ea Commissionem recursus proponere in plena Signatura. Ita enim declaratum fuit in Signatura Gratiae coram Benedicto XIV. 12. *maii* 1750. in Causa, inter caeteras proposita, cui titulus erat *Alatrina*.

Criminalis Jurisdictio an quibusdam in casibus competeret Auditori Signaturae, aliquando dubitatum fuit, ex eo quia ejus facultas non porrigeretur ad eam coercitionem, quae inhaeret muneri aliorum judicum. Attamen dubium omne evanuit animadvertendo, quod ejus auctoritas tueri nequit absque coercitione. Hinc quum Affictuarius *Terrae Malleani Pecudaritii* sub *die* 10. *novembris* 1759. injuriis, ac verberibus in dicta Terra affeciſſet publicum Bajulivum *Terrae Calcate* dum intimaret citationem Tribunalis Signaturae super pertinentia ad Tribunal Auditoris Camerae cujusdam Causae civilis inter eumdem Affictuarium, et *Dominicum Legaccioni* Terrae praedictae, ac die ejusdem

(1) *Append. pag.* 136. *ad* 138.

dem mensis minis deterruisset *Jacobum Gadioli*, dicti Tribunalis A. C. Cursorem, ne similem citationem exequeretur. *Legaccionus* recursum habuit ad Pontificem, a quo rescriptum fuit: *Utatur jure suo*. Hinc adiit Auditorem Signaturae, qui 17. novembris praedicti anni rescripsit, quod *recipiatur loco querelae per acta Archivii*, ac deinde deputavit Praesulem *Franciscum Dentice* tunc Gubernatorem *Sabinae* cum facultate subdelegandi pro conficiendo Processu contra dictum Affictuarium, et complices. Quo Processu, confecto a *Francisco Maria Cortesi*, ab eodem Gubernatore deputato, ac transmisso ad Urbem, Signaturae Auditor designavit particularem Congregationem, coram se habendam, nempe *Joannis Philippi Toppi* Fiscalis generalis, *Caesaris Mocci* Locumtenentis A. C. in Criminalibus, *Ægidii Ludovisii* Locumtenentis in Criminalibus Tribunalis Emi Vicarii, et *Augustini Sabatucci* Locumtenentis in Criminalibus Gubernii Urbis cum voto eorumdem consultivo. Habita autem hac Congregatione die 27. februarii 1755. in mansionibus ejusdem Auditoris, nemine discrepante resolutum fuit, quod *Affictuarius, et complices monerentur in poenam ultimi supplicii, et confiscationis omnium bonorum*, quia agebatur de casu comprehenso in *Bannimentis generalibus Tribunalium Gubernii, et Consultae* contra impedientes *liberum justitiae exercitium, quo verò ad Angelum N. Fabrum Ferrarium esse pro nunc procurandam illius capturam*, quia repertus minus culpabilis. Facta ab Auditore hujus Resolutionis relatione Pontifici, fuit ea approbata hoc Pontificio Rescripto: *die 1. martii 1755. Ex Audientia Sanctissimi SSmus approbavit, et exequi mandavit*.

Ne autem Auditor, omnesque alii in hac Causa qui agere debuissent, se Criminalibus immiscendo irregularitatem incurrerent, a Pontifice super ea dispensati jam fuerant. Et ne unquam dubitari posset tam de validitate actorum in dicta Causa, ac de jurisdictione ordinaria Auditoris Signaturae in hisce, et similibus Causis Criminalibus procedendi usque ad poenam ultimi supplicii etiam inposterum, Pontifex id declaravit cum Rescripto propria manu exarato; prout legitur in folio, quod authographum extat in actis dictae Causae in libro Processuum Criminalium Signaturae, et exhibitum reperitur sub die 21. aprilis 1755. in *Broliardo Notarii Archivii*.

Vi

Vi cujus Rescripti ab Auditore Signaturae, Locumtenens A. C. in Criminalibus *Stephanus Mocci*, deputatus fuit sub die 10. martii, tam pro causa praedicta, quam pro omnibus, et aliis quibuscumque necessariis, et opportunis exequendis, in Judicem usque ad Sententiam inclusive. Et deinde fuerunt relaxata consueta Monitoria juxta resolutionem jam dictam; eaque affixa fuerunt in locis, consuetis Urbis, et in Terra *Calcatae*, atque intimatà in domibus Reorum,

Post quatuor, et ultra menses contumaciae, supplicantibus Reis, Pontifex per organum Eminentissimi Cardinalis Praefecti cum intelligentia Auditoris benignè annuit, ut idem Auditor admitteret Reos, constito prius sibi de consensu Partis damnum passae, ad gratiam compositionis pro scutis sexcentum, erogandis juxta Pontificis mentem.

Habito dicto consensu, fuerunt admissi dicti Rei ad compositionem praevio deposito praedictorum scutorum sexcentum, facto in Sacro Monte Pietatis ad liberam dispositionem Eminentissimi Praefecti; et poena ultimi supplicii, atque confiscationis bonorum fuit remissa; itaut Rei plenariè absoluti, et Processus cassati fuerunt.

E dictis scutis 600. Auditor tradi mandavit *Joanni Philippo Toppi* Fiscali scuta 30. *Januario Pizzi* Substituto Fiscali scuta 15. pro eorumdem rata, et scuta 35 in remunerationem operae praestitae, et functionum factarum in dicta Causa *Administratori Archivii*, et Notario Signaturae scuta 30. Reliqua vero scuta 490. Pontifex largitus fuit *Monialibus Pueri Jesu* de Urbe pro solvenda aliqua parte æris alieni, cui erant obnoxiae.

Nec desunt alia exempla, in quibus dictam jurisdictionem Criminalem exercuit Signaturae Auditor. Eodem enim anno 1755. *Bonaventura*, et *Felicianus Rota Fulginatenses* in spretum remissionis Causae ad *A. C. Zelada*, modo meritissimum Cardinalem, factae a praedicto Auditore, obtinuerunt in Curia Capitolina mandatum de resignando quaedam loca Montium, quae exinde vendita, et resignata fuerunt; comparuit coram Auditore Procurator Partis adversae pro purgatione Attentatorum, et pendentibus hac de re citationibus, minis, et terroribus exagitatus fuit a dictis de *Rota*, etiam per medium cujus-

dam

dam Juvenis cujusdam Curialis,eorumdem Procuratoris; supplicem libellum idcirco porrexit Auditori dictus Procurator alterius Partis, et idem Auditor rescripsit: *Recipiatur loco querelae, et ad D. Locumtenentem Mocci, quem ad hunc effectum deputamus cum facultate subdelegandi, et assumendi Notarium A. C.* Deinde *D. Mocci* mancipavit carceribus Juvenem Curialis ad dispositionem Auditoris, qui tamen ex gratia obtento consensu Partis illum relaxari mandavit, et quoad mandatum de capiendo praedictos de Rota supersederi non retardata interim contra eosdem prosecutione judicii civilis super attentatis ad formam Decretorum ipsius Auditoris, dummodo infra triduum discederent ab Urbe, nec ad eamdem redirent absque expressa licentia in scriptis, danda ab eodem Auditore; prout patet ex Processu per acta Notarii *Erasmi*.

Damni dati Causarum pertinentia declaratur in *Motu proprio* Clementis XIII. *die* 4. *januarii* 1767., et D. N. Pii VI. *diei* 29. *novembris* 1776.; necnon in *Bandimentis* Eminentissimi Camerarii super *Affidatis* 30. *novembris* 1767. Quum verò pro damno dato agendum sit in judicio criminali, patet ex *Encyclica* Clementis XIV. *die* 7. *julii* 1773. Et notandum est, quod damnificante condamnato, vel absoluto intra 40. dies ratione consensus praestiti a Damnificato, etiam post lapsum temporis datur actio ad poenam, et solutionem damni, quia Causa super damno dato jam terminata censetur per declarationem existentiae damni, et damnificantis, ac solum actio poenae, ac emendationis damni respicit exequutionem. Ita in casu absolutionis ob consensum decrevit Eminentissimus Praefectus *die* 27. *augusti* 1778. Pro *Animalium occisione in actu damni dati* agitur civiliter; prout patet è rescripto in Causa *Sublacen. anni* 1770.; et ex *epistola Sacrae Consultae ad Gubernatorem Sublaci* 24. *martii* ejusdem anni.

Pro damnis, illatis in bonis, et animalibus Ecclesiasticorum, quando illorum cognitio ad forum Ecclesiasticum spectet, et quaenam bona, et animalia reputentur Ecclesiasticorum, et quae non, patet è Constitutione Benedicti XIV. anni 1750. (1).

V Quoad

---

(1) *In Appendice pag.* 124. *ad* 132.

Quoad *Damna, data* in bonis propriis emphyteuticis, et livellariis Reverendae Camerae, existentibus in ditione, sive *Statu Castri*, et *Roncilionis, atque in Terris Onani, et Proceni*, ad tollendas disputationes, et controversias, quae antea vigebant super pertinentia hujusmodi Causarum, nonnulla statuit D.N. Pius VI. *Motu proprio* 24. *maii* 1775. (1). Et primum praemissa distinctione dictorum bonorum, in ea nempe, quorum dominium directum aeque ac utile pertineat ad ipsam Cameram, et proindè eorumdem cultura fiat nomine, et ratione Camerae, ab iis quibus haec ea locaverit, vel ab aliis quibus Camerales conductores eadem sublocaverint; et in ea bona, quae emphyteutica, et livellaria sunt ipsiusmet Camerae, praescripsit deinde, quod cognitio quorumcumque damnorum in bonis propriis Reverendae Camerae privativè spectet ad ipsam Cameram, ejusque Judices Camerales. Ratione verò damnorum datorum in dictis bonis Emphyteuticis livellariis privativa etiam cognitio pertineat ad *Assessores, Castellanos*, aliosque *Judices Camerales*; dummodo tamen hujusmodi concessiones in *Emphyteusim*, et *Canonem*, sive *Livellum* non sint perpetuae, sed temporaneae, pro quibus solutio Canonum non in pecunia fiat, sed juxta majorem, vel minorem collectionem fructuum; itaut incerta sit, et varia. Hoc enim in casu ob damna, quae patiuntur hujusmodi bona, decrescunt Canones, et Livellarii census in detrimentum Camerae, et *Affictuarii*, sive *Conductoris* ejus bonorum. In reliquis bonis *emphyteuticis*, et *livellariis in perpetuum concessis* privativam facultatem coercendi, damna inferentes, tribuit *Gubernatoribus, Potestatibus, et Commissariis*, quos *Tribunal Consultae* deputare solet in dictis locis *Status Castri, Roncilionis*, et *Terrarum Onani*, et *Proceni*.

Praeterea, quia in eisdem locis sunt quaedam bona, quorum possessio ratione fructuum, sive reddituum ad diversos dominos pertinet; itaut in aliquibus è dictis bonis pascua spectant ad Cameram, eorumdemque fundus in *emphyteusim*, et *livellum* aliis concessus reperiatur; in aliquibus, etsi fundus aliique redditus ad Cameram pertineant, pascua tamen ad eorumdem locorum

---

(1) *In Append. pag.* 153. *ad* 157.

rum *Communitates*; statuit idem summus Pontifex, Cameralis Judicis jus esse cognoscendi de damnis, datis in ea fructuum, et reddituum parte, quae Camerae est, ac suorum *Conductorum*, et *Subconductorum*; et quoad damna illata fructibus, et redditibus, ad dictas Communitates pertinentibus, cognitionem spectare ad praedictos Gubernatores, Potestates, et Commissarios locorum.

Poenarum, quae deinde irrogantur pro dictis damnis, exactiones fieri nequeunt quocumque in casu a locorum Jusdicentibus supradictis, quum illae omnino pertineant ad Cameram, et proinde ad ejusdem Affictuarios, et *Subaffictuarios*; itaut absque horum consensu, et conventione quoad quantitatem poenae non possunt omnino decreta absolutoria, vel poenalia interponere.

Deputatio Judicis in locum alterius fieri debet sub unica citatione, ad hoc ut decerni possit, *dari listam* judicum, qui non sint Parti suspecti. Et petenda est infra triduum a die reproductionis Monitorii, vel citationis *ad dicendum contra jura*; quoad vero Judices novos a die captae possessionis Officii; juxta decreta anni 1730. sub Clemente XII. §. 4. quae quidem *Deputatio* non habet locum in Causis privilegiatis, nempe, *Pagherò* etiam cum obligatione Camerali, *Mercedum*, *Litterarum Cambii*, *Depositi*, *Pensionis domorum*, per Apocam conventae, *Alimentorum futurorum*, ac in aliis *non attingentibus scuta vigintiquinque*; ex decretis Reformationis, insertis in Constitutione Benedicti XIV. (1). Demum in caeteris Causis, exceptis Commissariis, unica tantum admittitur Judicis recusatio; et quoad ulteriores recusationes quaelibet citatio non attenditur, juxta eadem Decreta (2).

Districtus Urbis. Ut dici queant loca in eo comprehensa, habenda est ratio antiquae mensurae, qua ab Urbe distent, non autem lapidum milliarium appositio, facta tempore Benedicti XIV., qui hoc idem praescripsit in ejus *Chirographo diei* 22. *decembris* 1742. apud *Acta Notarii Tribunalis Viarum*. Hinc loca, quae a *Cardinali De Luca* recensentur sub titulo de *Statutariis Successionibus*, esse de Districtu reputantur. Haec inter enumeratur *Centum*

V 2

(1) *Incip. Romanae Curiae §. Recusationes.* (2) *Ibidem §. In caeteris.*

tum Cellarum Civitas, quicquid in contrarium dixerit Rota (1) in quadam Decisione contumaciali.

Episcopi, juxta sanctionem *Concilii Tridentini*, sunt etiam uti delegati Apostolici Judices privativi in materia *Legatorum piorum*. Hinc in Causa *Spoletana* inter *Donatum*, et *Benedictum Amici* contra *Promotorem Fiscalem* Curiae Episcopalis, quamvis illi fuissent domiciliares Urbis, et ideo contenderent, Episcopum non esse legitimum Judicem contra forenses, attamen Eminentissimus Praefectus in Audientia *diei* 18. *julii* 1778. per *acta Archivii* decrevit: Causam spectare ad dictam Curiam Episcopalem, praefixo termino dictis *Amici* ad eligendum domicilium in dicta Civitate, aliàs procedatur contra eos per affixionem.

Expensae quoad Causas Criminales, tam judiciales, quam extrajudiciales reficiendae sunt etiam a Fisco in casu calumniae vel expressae, vel praesumptae, juxta *Farinacium*. Hinc judiciales expensae in casu victoriae sunt victori reficiendae; prout firmavit *Votum Fiscalis*, editum jussu *Congregationis A. C.*; et ipsa etiam Congregatio suo decreto sub *die* 29. *septembris* 1784. condemnationis in expensas judiciales, quod emanavit praevio rescripto: *aboletis praeceptis*, *et fidejussione*, *Nicolaum Castronesi*, et *Petrum Pucci non esse ulterius molestandos*. Quod quidem decretum approbavit Auditor Signaturae, et confirmavit Praefectus *die* 11. *martii* 1785., ac Auditor Pontificis 14. *junii* ejusdem anni.

Quando verò captura personae non intercesserit, in mera circumscriptione actorum, expensarum extrajudicialium refectioni non esse locum, Signatura censuit suo rescripto: *Nihil*, *et amplius* in Causa proposita 18. augusti 1776. *Terrae Olibani* inter *Curiam Baronalem*, *et Felicem Fortunati*, licet *Congregatio Criminalis A. C.* per acta *Vagnolini* 30. *aprilis* 1764. decrevisset, nulliter Curiam Baronalem processisse.

Fabriani Civitas habet Judicem appellationis ex *Brevi* Alexandri VI. et Gregorii XI.

Falsitatis exceptio si data sit in judicio civili, locus non est que-

(1) *Civitatis Vetulae*, *seu Viterbien. Nullitatis obligationis* 8. *junii* 1753. §. 6. *coram Vicecomite*.

querelae in judicio criminali; prout censuit *Rota in Romana, seu Trojana redditionis rationis coram Cornelio* (1). Et idcircò Auditor, et Praefectus in hujusmodi causis querelas porrectas remiserunt ad Judicem civilem, praesertim 4. *julii* 1778. per *acta Archivii* inter *Franciscum*, et *Felicem de Felicibus*, et *Stephanum Hortensi*.

Fatalia. Horum decursus biennio absolvitur. Prior annus datur ad effectum committendi, et sat est, eo pendente, citatio ad *dicendum contra Commissionem*, licet tempore exequutionis Commissio non pervenerit ad Bancum Cursorum; prout docet *Ridolphinus* (2). Alter annus servatur ad transportandum Acta, eoque pendente necessaria omninò est transportatio, nec sufficit citatio *ad dicendum contra jura*. Ita decreverunt Auditor Signaturae, et Eminentissimus Praefectus *mense januarii* 1779. per *Acta Archivii*; ubi intra secundum fatale fuit citatum *contra jura*, ac post ferias reproducta citatio in mense novembri absque actorum transportatione; et proinde Causa fuit declarata deserta, quia transportatio requiritur, et fieri etiam solet feriis decurrentibus.

Ferentilli Abbatia, Nullius Dioecesis, gaudet cumulativa inter laicos, ex *instrumento Concordiae* cum Curia laicali, rogato 1. *octobris* 1755. per acta *Monti* Notarii *Eminentissimi Vicarii*. Qua de re Praefectus mandavit servari acta Curiae Abbatialis inter laicos, in audientia *diei* 20. *julii* 1788. per *Acta Archivii*.

Ferrariae Ducatus. Ex Constitutione Clementis VIII., ejusque Brevi declaratorio, non avocantur a Legatione *Ferrariae* Causae omnes civiles, merae, mixtae, et criminales inter Cives, et Incolas Districtuales, ac Collegia, et Agricolas. Quae quidem Constitutio una cum dicto Brevi legitur apud *Calcagninum* (3). Excipitur tamen casus in quo agitur de *interesse Camerae*, sive atrix, sive rea fuerit; prout patet ex eodem Brevi declaratorio. Hinc respectu *Montis Bentivoli* Constitutionem Clementinam non afficere, decrevit Eminentissimus Praefectus mense *novembri* 1784., vel *januario* 1785. per *acta Selli*. Et in *Ferrarien. pertinentiae* Cau-

(1) 28. *junii* 1765. §. 12.
(2) *In praxi part.* 1. *cap.* 13. *n.* 552.
(3) *Observ. pract. legal.*

Causae, inter Defensores Montis praedicti, et *Marchionem Bentivoli* die 7. *augusti* 1788. Signatura rescripsit: *servetur Monitorium coram R. P. D. Thesaurario*. Nec habet locum contra Clericos, et Ecclesiasticas personas, quatenus sint Rei conventi, ut liquet ex eodem Brevi declaratorio.

Clericos Bigamos, qui de jure privilegio fori non gaudent exemptos esse a dispositione dictae Constitutionis *Clementinae*, decrevit Eminentissimus Praefectus; quia etsi Bigami, Clerici tamen sunt, et ea quae a jure communi statuta sunt quoad amissionem privilegii fori, censuit, non procedere quoad forum jure municipali, in quo non decernitur hujusmodi privatio. Et decretum Emi Praefecti, emanatum anno 1782., fuit confirmatum ab Auditore Pontificis.

Quoad bona de directo dominio Ecclesiasticorum variè censuit Signatura; superioribus enim annis quum disputaretur de fundo directi dominii Ecclesiasticorum, locum non esse Constitutioni *Clementinae*, decrevit. At postremis temporibus in contrariam ivit sententiam; et quatenus Ecclesiastici non sint in Causa, quamvis agatur de fundo, jure dominii ad ipsos pertinente, si inter laicos tantum disputetur, *Clementinae* rationem habendam esse, decisum fuit a Signatura in *Ferrarien. Appellationis* 2. *maii* 1782., et 12. *maii* 1785.

Privilegiati privilegio legis unicae sub dicta *Clementina* non comprehenduntur; ita in *Ferrarien. Pertinentiae Causae die* 9. *septembris* 1779.

Itidem non procedit *Clementina* in Causa Universitatis Pontificiae Studiorum dictae Civitatis. Nam ex *Motu proprio* Clementis XIV., confirmato a D.N. Pio VI. *die* 23. *novembris* 1777. exempta fuit a jurisdictione Judicum *Ferrariensium*, et sub patrocinio Sanctae Sedis immediatè recepta. Atque ideo ad A. C. remissa fuit quaestio inter Universitatem, et Fenestrarios a Signatura Justitiae loco Signaturae Gratiae *die* 21. *julii* 1781.

Forenses, sive exteri, nec subiiciuntur *Clementinæ*, utpote locum obtinenti inter cives, et incolas, nec officit an Actor, sive Reus sit Forensis; ita in *Faventina restitutionis dotis* 17. *iunii* 1784., in qua Actor Forensis traxit ad A. C. Reum, civem Ferrariensem. Idipsum obtinet quamvis agatur de cive ex privilegio, quia *Clemen-*

mentina loquitur de civibus, et incolis, quorum nomine non veniunt cives ex privilegio. Eapropter mense *aprili* 1780. per acta *Vagnolini*, et mense *januario* 1784. per *acta Brunelli* ab Eminentissimo Praefecto remissa fuit Causa ad A. C. Nec aliter censuit Signatura quoad Civem originarium, qui paucis ab inde diebus alibi transtulerit domicilium, et potissimum in Causà *Ferrarien.* 21. *augusti* 1788. inter patrem, et filium Ferrarienses, in qua agebatur de praestatione alimentorum in Civitate *Forolivii*, ubi filius se transtulerat in domum soceri. Et decretum Eminentissimi Praefecti approbatum fuit a plena Signatura praevio rescripto: *Nihil, et servetur decretum Eminentissimi*. Non obstante alio ejusdem Signaturae rescripto in Causa itidem *Ferrarien.* inter Communitatem *Villae Corbularum*, *et Comitem Zinanni* 11. augusti 1774. ex eo quia doctum fuit de incolatu dicti Comitis pro majori parte anni.

Demum inhibitiones A. C. aliorumque Judicum non attenduntur in Causis *Ferrariae* exequutivis, ac post duo judicata, in quibus vetitum est appellare, ex Brevi Urbani VIII., relato a *Calcagnino*. Excipiuntur inhibitiones Signaturae, quae attendi debent, dummodo praeventum non fuerit in Signatura Legationis.

Fida, et *Affidati*, quorum nomine veniunt ii, qui, pro pascuis eorum gregis ovium, herbas conducunt agrorum Romanae Ditionis, quique ita dicuntur a fiducia, quam locatores praestant, ne pecori, pascendo dictas herbas, damnum aliquod inferatur; quo jure regantur, patet ex *Motu proprio* D. N. Pii VI., confirmante *Appaltum Dohanarum* sub *die* 29. *septembris* 1776.; in quo plura leguntur praescripta quoad hujusmodi materiam.

Firmana Civitas habet Judicem appellationis in secunda instantia, ex Statuto confirmato in forma specifica, et ex Brevi Eugenii IV. anni 1445.

Fiscus appellare nequit, nisi appellandi facultatem habeat a Signaturae Tribunali, prout legitur in Constitutionibus Pontificiis, editis pro reformatione Tribunalium Urbis; ideoque de *Fisco Urbis* eas intelligendas esse censuit Praefectus *anno* 1779. in quadam *Causa Verulana*, in qua A. C. in Criminalibus infirmaverat sententiam de partibus, pro illo Fisco latam; qui idcircò appellavit, et appellatio admissa fuit. Animadvertendum id tamen

men est,quod *Fiscus* quando adsit illi adhaerens,sive secretus, sive notus, nequit Causam prosequi in gradu appellationis, nisi praestita cautione de reficiendis expensis tam prioris, quam ulterioris instantiae in eventum succumbentiae ex *Bulla* Pii IV. (1), et Pauli V. (2). Quaestio aliquando fuit, an dicta cautio danda sit in ipso appellationis initio, vel in ejusdem prosequutione. Et fuit declaratum ab Auditore Pontificis in decreto lato in *Ferentina anno* 1745., et a Praefecto mense *julio* 1778. *per acta criminalia Gubernii*, quod satis sit dari in appellationis prosequutione, ex rationibus allegatis a *Galluccio* ad *de Ameno* (3). Quae siquidem cautio, a Fisco appellante præstanda, habet locum tantummodo in appellationibus a judicatis Urbis, non autem a judicatis de Partibus; quia dicta *Paulina Constitutio* loquitur tantum de *Procuratore Fisci Urbis*. Et idcirco Praefectus ita decrevit contra *Lucam Gasparini* 17. *aprilis* 1779. per *acta Vaguelini*.

Fugae suspicionis Mandatum, quod expediri solet contra debitorem, fugam capere meditantem, ne expediatur, potest debitor quando praecesserit citatio ad solvendum, recurrere, quatenus aliquod privilegium, vel causam habeat, ad Auditorem Signaturae, citando Creditorem *ad videndum mandari procedi in Causa servatis sesvandis, et inhiberi*. Deficiente privilegio, vel causa praedicta, non destituitur debitor alio remedio pro impedienda expeditione hujusmodi Mandati. Offerre potest coram judice mandati cautionem solvendi debitum. Et quia Judices, hujusmodi cautionem nunquam approbare, et admittere solent, nisi sit Locorum Montium vel Censuum cum Locis piis, et Communitatibus ditionis pontificiae; invaluit idcirco praxis recurrendi ad Signaturae Auditorem, et citandi Creditorem *ad videndum mandari recipi cautionem per acta cujusvis Notarii, proprium Officium habentis, seque obligare valentis*; sed oportet, quod Notarius deinde adeo approbet cautionem praestandam, ut in defectum Fidejussoris, ipse debitum solvere teneatur.

Demum hujusmodi Mandata contra socium debitorem, vel pendente dilatione ad solvendum, non admittuntur juxta Signaturae

(1) 68. (2) *Super Reformatione Tribunal. §. de Fisci processu.*
(3) *To.* 2. *Observ.* 18. *num.* 23. *et seq.*

rae resolutionem *diei* 10. *junii* 1779. in *Romana Circumscriptionis*. Item contra Clericum etiam non dantur, nisi sit in actu fugae; prout ait *Scannarola* (1), qui refert rationem hujusce praxis; et enumerat personas, contra quas dari non soleant praedicta Mandata.

Grasciae Praeses quoad ea, quae suum munus respiciunt suam habet jurisdictionem. Subjiciuntur eidem, tam in civilibus, quam in criminalibus causis *Opifices Phydium armonicarum*, eorumque Universitas, vi statutorum ejusdem artis anni 1739., de quibus actum fuit in Signatura *diei* 23. *augusti* 1787. Praeterea animadvertendum est, quod etsi *Salsamentariae*, *Lanienae*, sive *Macella* etc. in locis, et sitibus, in quibus reperiuntur, sint dicenda ex destinatione Principis, quem repraesentat Grasciae Praeses; attamen non exinde sequitur, Causas exfractationis ab Apotecis ad ipsum Praesidem spectare; immo contrarium statuit Signatura, eas remittendo ad A. C.; prout decrevit in *Romana Exfractationis* 6. *maii* 1779., et in *Romana pertinentiae causae* 13. *decembris* 1783.

Gubernii Urbis Tribunal in Causis Criminalibus indistinctam habet jurisdictionem etiam contra Ecclesiasticos seculares, et regulares, atque Hebraeos in Urbe, et districtu. Procedit oeconomicè in Causis excedentibus scuta quinque.

In aliis Causis, non excedentibus scuta vigintiquinque, procedit etiam contra Clericos. In vim obligationis Cameralis, etsi nullam habeat jurisdictionem, ex decreto tamen Auditoris Pontificis inter Tribunal ipsum, et A. C. mense decembri 1788. declaratum fuit per *modum provisionis* legi posse Citationes in utroque Tribunali etiam in vim dictae obligationis. In Causis appellabilibus Districtus nulliter procedit; ita resolutum fuit a Signatura sub *die* 28. *aprilis* 1757. rescribendo: *Alteri ex integro a judicato de partibus, et amplius*; non obstante quod Partes consensissent in praedicto Tribunale usque ad expeditionem sententiae.

Theatrorum Causae privativè ad ipsum spectant ex *Chirographo* Clementis XII. 30 *aprilis* 1739., idque intelligitur quando non

(1) *De Visitat. Carcerat. lib.3. cap.2 n.27.*

agatur de intereſse particulari inter tertias personas, de quibus Chirographum non loquitur. Hinc orta quaestione super pretio pulpiti, sive cellulae, vulgo *Palchetto* in *Theatro Aliberti mense martii* 1780. per acta *Pace*, Eminentissimus Praefectus remisit Causam ad A. C. Et super retentione mansionum, vulgo *Botteghini Theatri Vallis* in vico prope Theatrum inter Confraternitatem Sanctissimae Annuntiatae, et *Impressarium*, a Signatura remissa fuit Causa ad A. C. sub *die* 26. *junii* 1788.

In caeteris Causis, respicientibus dicta *Theatra Urbis,* definitis a Gubernatore, potest Auditor concedere supersessoriam ad plenam Signaturam pro obtinenda appellationis Commissione. Et ita servatum fuit, tum in *Romana* pro *Comite Francisco Maria Alborghetti* contra *Cajetanum Ottavi* Musicum, 24. *aprilis* 1755., tum in alia *Romana* 27. *novembris* dicti anni pro eodem *Alborghetti* contra *Josephum Mercati* mercenarium; in quibus Signatura rescripsit pro Commissionibus. Nam ad examen revocato supradicto *Chirographo* Clementis XII. Gubernator Urbis, etsi Judex sit in prima Instantia privativus in materiis Theatralibus, nequit tamen procedere appellatione remota; quae clausula fuit in *Chirographo* adjecta tantummodo pro *Theatro Turris Nonae,* quod eo anno tenebatur nomine Camerae. Et idcircò *Eminentissimus Argenvellieres,* Pro-Auditor Pontificis, Signaturae Resolutiones approbavit, qui deinde hujusmodi instantias remisit ad Auditorem Signaturae cum facultatibus Auditoris Pontificis.

Eadem Curia Gubernii Urbis non solum in Causis recurribilibus, quae sunt intra districtum ejusdem Urbis, sed etiam in aliis, quae sunt summae appellabilis judicare ceperat. Quoad istas Causas abusum jurisdictionis agnovit Signatura, eumque Auditor pluries sustulit suis decretis; quae eadem Signatura confirmavit, potissimum in Causa *Sabinensi* 28. aprilis 1757. per rescriptum: *Alteri ex integro a Judicato de partibus*, non obstante quod Partes in dicta *Curia Gubernii* consensissent usque ad expeditionem Causae.

Alter abusus irrepserat in eadem Curia. Nam licet Judex Mercenariorum, qui nuncupatur *Abbas Sacco*, limitatas habeat ſacultates, judicandi nempe in causis mercedis campestris, non excedentibus summam scutorum quinque. Nihilominus praevio

vio Gubernatoris rescripto, quo eidem judici fieri solebat remissio Causarum dictam summam excedentium, et cujuscumque generis mercedis, in illis postea judex prædictus sententiam ferebat consueto juris ordine non servato, ferme ac ageretur de causis dictæ modicæ summæ. Signatura igitur ad improbandum hujusmodi abusum in Causa *Romana*, proposita die 14. *julii* 1757. non obstante consensu a Partibus coram dicto Judice præstito, rescripsit. *Circumscriptis omnibus gestis coram Judice Mercenariorum, Partes utantur jure suo, et amplius*.

Hebraei ex constitutione, seu *motu proprio* Julii III. subijciuntur Curiae Emi Vicarii pro Causis tam civilibus, quam criminalibus, tam Universitatis, quam particularium inter ipsos tam active, quam passive, inter alios passive tantum. Die Sabbati, ac reliquo tempore, quo eorum cultui servando addicti sunt, nequeunt conveniri, neque alios convenire; juxta *leg. Sabbato* 12. *Cod. de Judaeis* et ex *Motu proprio* Sixti V. *diei* 22. *novembris* 1586. Hinc in Curia Vicarii ex stilo Citationes Hebraeorum tam activae, quam passivae, licet incidant die sabati leguntur in sequenti audientia. Limitatur tamen quando citentur, vel adsint procuratores ab iisdem constituti. Ita Signatura in *Anconitana diei* 9. *septembris* 1779. rejecit circumscriptionem citationis, et decreti facti die Sabati ad instantiam procuratoris Hebrei forensis coram A. C.

Jurisdictionis exercitium. Hoc sub titulo adnotare duximus nonnullas controversias, quae excitari solent quoad res judicatas, et expensas in prorogationibus jurisdictionum. Sententia igitur lata in favorem mortui substinetur; ita Signatura in *Tridentina praetensae circumscriptionis* 9. *iunii* 1768. Positiones non possunt dari, nec admitti nisi super solutione tantum, prout censuit eadem Signatura in *Sabinen.* 16. *martii* 1780. Adversus rem judicatam alterius Tribunalis, licet inter diversas personas, nulliter decretum aliquod pronunciatur, juxta Signaturae resolutionem in *Romana Circumscriptionis* 18. *septembris* 1777. in qua rescriptum fuit: *Circumscripta sententia A. C. Partes utantur jure suo*, et 18. *decembris* ejusdem anni reproposita causa rescriptum prodiit: *in decisis*. Ob defectum transportationis acto-

rum nulliter quoque proceditur; ita decisum fuit in *Ferrarien. 6. iulii* 1778. . At docto de communicatione actorum, attenta bona fide, reficiendae sunt a petente circumscriptionem omnes expensae, tam judiciales, quam extrajudiciales; prout decreverunt Auditor Signaturae, et Praefectus 20. *aprilis* 1780. *per acta Vagnolini*. Quoad expensas, factas coram judice carente jurisdictione; in pœnam consensus, eæ reficiendae sunt ab eo, qui traxit ad judicem, non autem a tracto; ita in *Firmana circumscriptionis* 15. *Julii* 1770., et in *Matelicana* 20. *septembris ejusdem* anni Signatura decrevit.

Lauretana Civitas, et *S. Domus* exemptæ sunt in temporalibus a jurisdictione Episcopi, et subsunt *Congregationi Lauretanae*, sive Gubernatori, in ea civitate existenti. Qua in re observare oportet *Constitutionem*, *et Synopsim Benedicti* XIV. (1), quoad Ministros etiam S. Domus, eorumque famulos, milites, confluentes devotionis causa, aliosque ejusdem servitio addictos. Animadvertendum tamen est, quod in causis familiarium, sive *Patentatorum* dictae *Almae Domus* dubium etiam aliquando intercessit, an ejusdem Almae Domus familiares, sive Patentati gauderent privilegio fori, itaut Signatura careret facultate in dictis Causis rescribendi. Et declaratum fuit in Causis, quae ad eorum officium non pertinent non gaudere dicto privilegio Fori. Nam in Causa *Æsina*, proposita in plena Signatura die 21. *aprilis* 1757., quamvis rescriptum fuerit: *Nihil, et servetur decretum Eminentissimimet*, qui Causam remiserat ad Judicem Patentatorum; attamen, a Parte reclamante habito recursu ad Pontificem, et concessa ab ejus Auditore nova Audientia, vi cujus reproposita in Signatura Causa 15. *decembris* ejusdem anni, rescriptum fuit: *Circumscriptis omnibus gestis coram Judice Patentatorum P. U. J. S.* (hoc est, Partes utantur jure suo), *et amplius*; non obstante quod exhibitum fuisset Epistolium quoddam *Secretariae Status*, quo declarabatur per Constitutionem Benedicti XIV., tunc viventis, nihil derogatum fuisse privilegiis Patentatorum ejusdem *Almae Domus*.

Ex *motu proprio Clementis* XIII. et declaratione *Clementis* XIV.

(1) *Bullar. edit. Venet. to. 1. pag. 276.*

xiv., ex decreto ejusdem Auditoris 25. *septembris* 1770. ex resolutione *Congregationis particularis* anni praedicti, et rescripto Signaturae sub die 17. *iunii* 1779. in *Faventina*, et 15. *iulii* ejusdem anni in *Ferrarien*. pro dicta S. Domo *Quaestuatores* gaudent privilegiis fori, etiam in non respicientibus officium, *dummodo tamen exerceant dictum munus*.

Secunda instantia Gubernatori dictae Civitatis non competit; prout censuerunt Auditor, et Praefectus 30. *maii* 1778. *per acta Archivii*. Nec potest ille subdelegare, ut 26. *februarii* 1780. decrevit Praefectus per eadem *Acta*.

Demum dicta S. Domus ex praerogativa eidem concessa suo motu proprio a Clemente xiv. (1) gaudet ampla, et libera facultate procedendi in exactione omnium, et quorumcumque reddituum proventuum, emolumentorum, existentium tum in Civitate Lauretana, ejusque districtu, tum in aliis locis ditionis Ecclesiasticae, adversus quascumque personas, et loca pia, *manu Regia*, *more Camerali*; excepta tamen *Urbe Roma*, et cum conditionibus, quod exequutio dictae *manus Regiae* fieri nequeat nisi praemissa intimatione facienda debitoribus per quinque dies antea, et data tantum eisdem facultate adversus eam recursum proponendi coram *Emo Praefecto Congregationis Lauretanae*, *vel Gubernatore pro tempore Civitatis Lauretanae*.

Legationes Provinciarum Pontificiae Ditionis habent Signaturam in ventre, ut ajunt Forenses Romani. Et idcirco Curiae Legationum procedentes in figura Signaturae admittere solent appellationem in causis, inibi definitis. At quando agitur de Appellationibus, quas collitigantes proponerent in Tribunale *Auditoris Camerae*, carent dictae Curiae facultate moderandi dictas appellationes, et eo magis nequeunt aliquid decernere super pertinentia Causarum ad Judices competentes. Hinc quum anno 1757. a judicato Locumtenentis *Ravennae* fuisset in actis Causae *Ariminensis* inter *Alexandrum Lancellotti*, et *Camillum Pastori*, appellatum ad *A. C.*, et *Curia Legationis* in figura Signaturae moderasset Appellationem, eam admittendo in *devolutivo tantum*, itaut Pars appellata dictum judicatum exequutioni mandaverit; Signatura sub

---

(1) *In Append. pag.* 148. *ad* 150.

sub die 5. *maii* approbando decretum Auditoris, confirmatum ab Eminentissimomet, attendendam esse censuit inhibitionem A. C. et purganda attentata, rescribendo: *purgatis Attentatis ad Congregationem boni regiminis*. Et reproposita causa 22. *iunii* rescripsit. *In decisis, et amplius*, eo magis, quod agebatur de re descripta in Tabella, spectante ad dictam Congregationem, et quod pertinentia Causarum ad eamdem, iuxta constantem praxim, a Signatura in Urbe tantummodo definienda sit.

Inter Signaturae Justitiae Tribunal, et Signaturam dictarum Legationum datur praeventio, juxta Constitutionem Benedicti XIV.; qua sapientissimus Pontifex etiam praescripsit nullo modo auferendam Subditis earumdem Provinciarum libertatem illam; qua semper gavisi fuerunt, recurrendi scilicet pro ipsorum arbitrio, vel ad Signaturam Justitiae, vel ad Signaturam, quam dicuntur habere, in sua quisque Provincia, Eminentissimi Cardinales Legati S. Sedis Apostolicae, eorumque Vicelegati. Et ex eo quia non absurdè agere illos, existimavit, qui potius ad Signaturam Justitiae, quam ad alteram Legatorum recursum habebant, quum nempè Causas illas scutorum 100. valorem non excedentes, nunquam Justitiae Signatura apud se retineat, aut in Curia committat, sed juxta reformationem praesertim Benedicti XIII. ad partes remittit mediante subdelegatione Judicis in eadem Civitate, seu loco, ubi primus pronunciavit, ad effectum procedendi in gradu recursus per acta ejusdem Notarii, absque ulla transportatione actorum, et propinae solutione; e contra verò Legatorum Signatura, et praesertim *Romandiolae*, quoties causae excedant scuta quatuor soleat retinere in ipsa Curia, in qua residet Legatus, vel Vicelegatus, itaut graves expensas, pro re parvi momenti, actorum nempe transportationis, et propinae, litigantes subire cogantur; statuit proinde jam dictum antiquissimum usum servandum esse, recurrendi pro libito cuiuslibet Partis collitigantis ad Signaturam Legati, vel ad Signaturam Justitiae, alteram Partem citando cum citationibus impressis, Cameralibus dictis; et nulli licere earumdem exequutioni impedimentum praestare sub praetextu, quod a Cardinali Praefecto, vel ejus Auditore, aut eorum Notario subscriptae non fuerint.

Ne

Nè tamen earumdem citationum usus undique utilis in abusum, et corruptelam transiret, quosdam casus inferius recensendos excepit, quos inter primus ille est, dum una ex Partibus, praevia citatione legitimè exequuta, aliam praevenerit coram Signatura Legati, vel Vicelegati, qui eam in suis facultatibus habuerit, et rescripserit; tunc enim dictae citationes attendendae non sunt, sed tàntummodo admittitur recursus ad Signaturam Gratiae; et eapropter citationes, ab Auditore Pontificis subscriptae, attendendae sunt.

Legis Unicae Codic. quando Imperator privilegium. De ea, etsi aliqua alibi tetigimus, sunt etiam nonnulla alia animadvertenda. Et primum non habet locum in Causis Virginum, et Infantium, qui legitimum habent Defensorem, nempe Patrem, aut Avum, in cujus sunt potestate; iuxta Signaturae resolutionem in *Maceraten.* 19. *julii* 1787.. Nec in Causis Ecclesiarum; ita in *Fundana* 27. *septembris* ejusdem anni rescriptum legitur. Item non admittitur, quum non agatur de jure singulari privilegiatorum, sed de jure communitativo, sive Collegiativo tam privilegiatorum, quam non privilegiatorum, juxta doctrinam *Cardinalis de Luca* (1), quam præ oculis habuit ita decernendo Emus Praefectus in *Ravennaten. Primitiarum, mense Januario* 1778. per acta *Vagnolini*.

Quod privilegium si proponatur post litem contestatam a non privilegiato, vel interesse privilegiati promanaret ex actu, gesto pendente Lite, et collusionis suspecto, puta ex cessione juris, locum quippe non habet; prout tradunt *Gratianus* (2), et *Afflictus* (3), necnon decrevit Signatura in *Recineten.* 15. *maii* 1781.; quemadmodum etiam si privilegiati sint heredes illius, contra quem Lis contestata fuerit; juxta resolutionem Signaturae *diei* 18. *martii* 1779. in *Sabinen.*, et 2. *maii* 1782. in *Ferrarien. Appellationis*.

Quum dictum privilegium admittendum sit, procedit de loco ad locum, a loco domicilii ad Principem, et e converso, non autem de foro ad forum, nempe a foro laico ad Ecclesiasticum

---

(1) *De empt. et vendit. disc.* 33. *n.* 15. *de jurepatr. disc.* 64. *n.* 8.

(2) *Discept. Forens. cap.* 906. *n.* 15.

(3) *Decis.* 354. *n.* 40.

cum; non obstante igitur opinione Benedicti xiv., in ejus Synodo Dioecesana (1) exposita, tum Auditor Signaturae, tum Emus Praefectus in contrarium decreverunt in Causa inter *Rossi*, et *Rossini* per *acta Archivii die* 29. *aprilis* 1780. Et avocatio Causae e partibus ad *A. C.* facienda in vim hujusmodi privilegii, admittitur in statu, et terminis, transportatis actis; et attento consensu, praestito in priorem Judicem, Litem contestando, refectis expensis.

Semel allegato supradicto privilegio pro obtinenda appellatione in partibus per Breve, amplius allegari nequit eo obtento, et exequuto; ita in *Melevitana* mense *septembri* 1786. per *acta Vagnolini* decrevit Emus Praefectus. Expensae vero expeditionis Brevis subiri debent ab appellato, cujus interest ad ulteriora procedere; prout censuit idem Praefectus *mense julii* 1767. per *acta Jacobutii*, *et* 29. *augusti* 1778. per *acta Pace*.

A Foro ecclesiastico ad Forum Principis, nonnulli conciliando opiniones *Cardinalis de Luca* (2), et *Calcagnini* (3) firmarunt, hujusmodi privilegium declinatoriae fori habere locum in Causis spiritualibus, impropriè dictis, non tamen in Causis merè, propriè, et intrinsecè spiritualibus, in quibus tam civiliter, quam criminaliter non est allegabilis Fori declinatoria; nec aliter decrevit Emus Praefectus anno 1784.

Locus contractus, an *domicilii*, vel *solutionis* eligendus sit, quum in judicio actionem quis instituere velit; animadvertendum proinde est, quod locus, destinatus solutioni, vel domicilii cumulative eligi potest ab Actore; et ita decrevit Emus Praefectus 4. *aprilis* 1778. per *acta Archivii*. Et quamvis locus contractus cedat domicilio, tamen si contractus fuerit gestus Romae, in conflictu diversarum opinionum, pro Romana Curia decretum edidit Emus Praefectus mense *septembri* 1781. per *acta Palleani*. Quum agitur de loco rei sitae, electio procedit eisdem regulis, ut in contractu; id vero notandum est, quod si agatur actione reali etiam absque apprehensione vincit domicilium, et contractum; ita

(1) *Lib. 9. cap. 9. §. 10.* (2) *In supplem. de jurisdict. disc. 105. n. 7.*
(3) *Observ. 7. num. 20.*

ita a Signatura definitum fuit in Causa *Camerinen. de anno* 1780. et 1781.

Maceratae Civitatis Episcopus utitur cumulativa, non tamen cum requisitis *Constitutionis Clementinae.* Ideo Praefectus, et Auditor mense *augusti*, *et septembris* 1785. circumscripserunt acta inter *Caterinam de Sanctis*, *et Mariam Marinelli*, *per acta Archivii*.

Magistri Justitiarii, in Capitolio constituti, ex *Statuto Urbis* (1) jurisdictionem habent decidendi summarie, et de plano quaestiones super sepibus, foveis, limitibus, servitutibus inter vicinos vinearum Urbis tantum, et suburbium; ab eorumque decretis appellatur ad *Capitaneum Appellationis*. Hujusce Tribunalis extant *Bandimenta* Emi Camerarii, edita anno 1756.

Manus Regia pro decimis non datur; ita resolutum fuit in *Fabrianen.* 3. *martii* 1778.

Montis Falisci Episcopus jurisdictionem habere credidit cumulativam in Laicos cum foro laicali, ob decretum latum sub *die* 20. *septembris* 1746. ab Auditore Pontificis ad instantiam *Thomae Argentini* contra *Fiscum laicalem Viterbii*, et ob consuetudinem ex serie Actorum ab anno 1644. ad 1770.. Signatura tamen inspecto alio posteriore decreto ejusdemmet Auditoris, quo in contrariam ivit sententiam in alia Causa dictae Curiae Episcopalis sub *die* 1. *iulii* 1777. per *acta Vagnolini*, et ad examen juxta tramites juris revocata consuetudine praedicta, censuit hanc, perperam desumptam ex actis non contradictis, neque probatis,non devenisse ad scientiam Fori Laicalis; sine qua lapsus temporis, et frequentia actorum satis non sunt ad inducendam consuetudinem. Et proinde Emus Praefectus *mense ianuario* 1782. per *acta Archivii* dictam cumulativam locum non habere decrevit.

Neophiti pluribus fruuntur privilegiis, prout liquet a *Chirographo* Clementis XIII. *diei* 26. *octobris* 1766. (2). Et prae ceteris est illud habendi judicem privativum,nempe Eminentissimi Cardinalis Vicarii *Vicesgerentem*,in causis passivis tum ipsorum, tum eorumdem Hospitii, et locorum piorum annexorum, adver-

(1) *Lib.* 3. *cap.* 40.

(2) *Append. pag.* 139. *ad* 146.

sus quascumque personas privilegiatas; itaut praedictus judex potest avocare hujusmodi Causas, cujuslibet speciei sint, ab omnibus Tribunalibus, Judicibus delegatis, atque ab ipsis etiam Cardinalium Congregationibus, necnon easdem Causas definire omni recursu, et appellatione remota; practerquam si proponatur coram Auditoribus Pontificiis, pro tempore existentibus, tam in secunda, quam in ulterioribus instantiis.

Nihil fieri, quo nomine venit protestatio, emissa in actis Causae, et hisce verbis incipienda, si fiat sub secundo tantum nomine citati, non attenditur; exempli gratia, citato *Joanne Andrea*, *nihil fieri* conficiatur contra *Andream*, sustinetur idcirco Mandatum expeditum per Contradictas, ex resolutione *Collegii Curialium* 8. *augusti* 1729.

Nuncii Pontificii, quum processerint in causis in figura Signaturae, dubitatum aliquando fuit, an agi possit in Tribunali Signaturae de viribus decretorum, quae illi emanarunt. At in *Causa Coloniensi*, *Successionis ab intestato* inter *Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Wirberti*, *et Promotores Fiscales Curiae Archiepiscopalis*, quum *Nuncius Coloniensis* admisisset appellationem interpositam a Capitulo adversus decretum dictae Curiae, et dicti Promotores recursum habuissent ad Signaturam praevia citatione speciali petendo circumscriptionem inhibitionis praedictae, ea remisit, petitioni adhaerens, Causam ad Officialem Coloniensem. Et censuit a decretis Nunciorum quocumque modo se gerant, ritè, recteque recurri posse ad supremum Signaturae Tribunal. In qua quidem sententia perstitit idem Tribunal reproposita causa sub *die* 15. *ianuarii anni* 1756.

Nundinae. Quoad debita solvenda tempore *Nundinarum Senogalliensium* non attenduntur dilationes, eoque minus inhibitiones, nisi signatae manu Pontificis; prout liquet ex *epistolio a Secretis Status diei* 17. *junii* 1768., et edicto *Praesidis Urbini*, jussu Pontificis edito.

Adversus eos, qui se conferunt ad *Nundinas Tyburis* exequi nequeunt Mandata exequutiva, ex Breve Sixti V.; idque locum non habet inter cives, et domiciliarios, ideoque Signaturae Auditor, et Praefectus rejecerunt circumscriptionem exequutionis, factae tempore nundinarum, sub die 29. augusti et 10. septembris inter *Bulgarini*, et alios per *acta Archivii*.

Obli-

Obligatio Cameralis, sive *in forma Camerae*, quum Causa vigore ipsius avocanda sit ad A. C. avocatur transportatis actis, et si Partes in alium judicem consenserint, refectis expensis, juxta Constitutionem Benedicti XIV. superius laudatam. Quid vero sentiant Doctores, et quid pluries rescripserit Signatura quoad facultatem trahendi extra locum domicilii, vel coram judice incompetente debitores in forma Camerae, jam diximus supra, de A. C. facultatibus loquentes.

Pro exequutione Mandati in vim dictæ Obligationis potest variari de re ad personam, et è contra; itaut per subsequentem exequutionem realem non censeatur priori exequutioni renunciatum; et cumulari possunt vigore unici mandati super diversis bonis diversæ exequutiones; dummodo tamen non præcesserit citatio *ad videndum subhastari* unum, vel alterum ex bonis exequutis: Et ita consuluerunt *Patroni Collegii* anno 1695. eorum Voto (1).

Palatii Apostolici Præfectus quam jurisdictionem habeat, præter illam eidem competentem in Causis Familiarium Pontificis, quoad *Castrum Gandulphum*, liquet è Constitutione Benedicti XIII (2)

Perjurium, admissum præsertim in præstatione juramenti litis decisivi, quod in praxi juramentum suppletorium dicitur, in defectum probationis, an pertineat ad materiam criminalem, itaut criminaliter in perjuros agi possit, dubitatum ab aliquibus fuit, ex eo quia opinabantur, sat esse perjuris Deum ultorem habere. Hinc, hoc dubio existente, non defuere, qui in mitiorem partem idcirco se inclinarunt pro abroganda actione criminali. At quum praxis Tribunalium pluribus in casibus aliter docebat, Præfectus in *Setina Circumscriptionis* 31. *januarii* 1778. per *acta Archivii* decrevit pro processu ad ulteriora in Criminalibus; et sic in contemporanea Causa *Albanen. Perjurii* per eadem acta. Pendente vero Criminali causa Perjurii supersederi non potest in causa Civili, juxta constitutionem *Pauli V. super Reformatione Tribunalium* (3).

 Pe-

(1) *In Appen. pag.* 42.

(2) *Bullar. nov. to.* 13. *pag.* 344.

(3) §. 11. *de judicibus in Causis Civilibus num.* 19.

Perusiæ Civitas, *et Gubernator* sibi jus jamdiu asseruerunt cognoscendi, et judicandi causas ad instar Signaturæ Justitiæ, vel quia dum Umbriæ Provinciam moderabantur Cardinales, Perusiam commorantes, eisdem amplissimæ facultates a Pontificibus concessæ fuerunt, et præsertim illa Legati a Latere; itaut judiciaria eorumdem potestas nullis limitibus circumscripta fuerit; vel ex eo quod Cardinalis nuncupatus *Urbinas*, Legatus Perusiæ *Julius Roboreus* anno 1562. jus, quod fuit personale, convertit in reale, erigendo in dicta Civitate Tribunal *Signaturæ Gratiæ*, *et Justitiæ*, cujus ipse et futuri omnes *Cardinales Legati* tanquam Principes se gererent, eique *Vicelegatus seu Gubernator pro tempore*, vel *Locumtenens* præesset, atque adjunxit nonnullos alios, qui jus haberent sententiæ dicendæ; vel demum quia abrogata anno 1647. ab *Innocentio* x. *Umbriae* Legatione, ac immutata forma Regiminis, Præsulem quidem accepit *Perusia* simplici Gubernatoris titulo, et cum potestate, exiguis finibus circumscripta, at verbis illis in Diplomate cujuslibet Gubernatoris appositis, nempe: *cum honoribus*, *jurisdictionibus*, *facultatibus*, *et authoritatibus*, *solitis*, *et consuetis*, sibi persuaserunt, quod *Julius* fundaverat, *Signaturæ Tribunal*, confirmatum, et potestatem Legatorum a Latere, sive datam, sive translatam fuisse in Gubernatores. Edita tandem a Benedicto XIV. Constitutione *de Reformatione Tribunalium*, quæ loquitur de iis, qui *habent in suis facultatibus etiam facultatem Signaturæ*, Romana Curia inquirere cepit, quænam essent Legitimæ Signaturæ, et quinam essent qui haberent in suis facultatibus etiam facultatem Signaturæ; et quia reperiri non potuit aliqua concessio Tribunalis Signaturæ *Gubernatori Perusiæ*; et idcirco compertum fuit, ejus Signaturam illegitimam esse; tunc Signaturæ Romanae Tribunal cepit circumscribere omnia acta, quæ in illa gesta fuerant. In hoc rerum statu *Perusini* postularunt a Clemente XIII. *Motum proprium*, quo eis confirmaretur jus habendæ Signaturæ, et cognoscendi de appellationibus a sententiis latis in Tribunalibus Ecclesiasticis *Provinciæ Umbriæ*. Hujusmodi postulationi sese opposuerunt ejusdem Provinciæ *Episcopi*, *Civitates*, *Dataria*. *Collegium Scriptorum Pontificiorum*, *atque Collegium Patronorum Palatii Apostolici*; et a Summo Pontifice fuit idcirco an-

anno 1761. deputata Congregatio particularis, quae rebus omnibus, hinc inde deductis, ad examen revocatis, definivit, referendam esse Pontifici incompetentiam dictæ jurisdictionis. Hinc idem Pontifex inhærendo resolutioni dictæ Congregationis, suo *Motu proprio sub die* 27. *Septembris* 1761., quod videre est in Appendice (1), decrevit: *non competere Gubernatoribus Perusiæ jus exercendi Signaturam*; eodemque tempore eisdem prohibetur cognitio causarum appellationis tam quoad judicata Curiarum Ecclesiasticarum, quam quoad illa Curiarum Laicalium.

A Poenae pecuniariae condemnatione, si appellari contingat, oritur aliquando disputatio, an appellatio admitti debeat in suspensivo, vel in devolutivo. Nam Julius II. 16. *junii* 1616. sua consitutione (2) statuit eam esse omnino denegandam. Attamen S. Pius V. suo motu proprio (3) hujusmodi legis rigorem temperavit decernendo, ut sequitur: *Nos igitur more pii pastoris praemissis omnibus obviare volentes ne appellationis remedium, ejusque prosequutio pauperibus tolli videatur*; *motu simili, et ex certa nostra scientia dictas literas mitigantes et reformantes tenore praesentium statuimus, ac perpetuo observari mandamus, quod in similibus causis fiscalibus, et aliis, de quibus in litteris, et motu proprio hujusmodi fit mentio, omnes et singulae appellationes, ac quaecumque desuper pro tempore praesentatae, ac praesentandae commissiones per dictum Alexandrum modernum, et pro tempore existentem Curiae Causarum Camerae Apostolicae Auditorem, tamquam judicem talium appellationum, necnon per quemcumque alium judicem, hujusmodi jurisdictionem habentem, admittant, ac recipiant, et admitti, ac recipi libere, et licite possint, valeant, ac debeant, illarumque vigore quascumque inhibitiones, citationes, seu monitoria decernentes, et alia facientes in praemissis necessaria, eisdem Auditori nostro, et Judicibus praefatis, ad id jurisdictionem habentibus, auctoritatem damus, ac licentiam impartimur, praestita tamen prius cautione idonea per Partem, seu Partes appellantes, non tamen confessos, in forma depositi, pro poena in qua condemnata exti-*

(1) *Pag.*135. *ad* 136. (2) *Bullar. Cherubini* 7. (3) *Bullar. Coquelines* 35. §.2.

extitit, et seu respective de se constituendo in carcere, et ibidem remanere in quacumque parte judicii, et quatenus Pars esset dives, facto prius actuali deposito arbitrio judicis ad quem. Hanc *Pianam* sanctionem Pragmatici deinde ita interpretati sunt, ut constanter affirmaverint, eam locum habere, quum agatur de poena pecuniaria solvenda Camerae Pontificiae, secus vero Accusatori, aut Episcopis, locisque piis, quo in casu appellatio admittenda est nec facto deposito, nec praestita cautione. Hinc inter ceteros juris interpretes *Bonfinius* (1) ait. *Quaeres utrum quando condemnatio fit in poenam pecuniariam admittatur appellatio. In hoc clarae sunt Pontificiae Constitutiones, ut nempe appellatio admittatur, dummodo praecedat purum, effectivum, ac integrale depositum ipsius poenae etc. Quod tamen velim intelligas quando poena applicanda venit camerae Apostolicae, non vero si applicanda sit locis piis vel Fisco Baronis, aut Episcopi, quia hoc casu non tenetur appellans facere dictum depositum.* Nec aliter docuerat jam *Guazzinus* (2) hisce verbis: *circa dispositionem Bullae Pii* V. *in faciendo deposito, vel cautione praestanda primo contigit dubitari an in omni condemnatione pecuniaria applicanda cuicumque procedat dicta extravagans. Et resolutive procedenda dicitur, verba ejusdem Bullae esse clara, quae requirant dictam cautionem, vel depositum actuale quando poena applicatur Camerae apostolicae, et ideo si poena sit applicata aliis locis piis, vel alteri Camerae Baronum, seu Episcoporum condemnatus non est adstringendus ad dictam cautionem, vel depositum faciendum.*

Pontinae Paludis bonificationi, ut prospiceret quoad omnia, D. N. Pius VI. suo motu proprio sub *datum* 4. *julii* 1788. (3) praescripsit quod, ubicumque se portendat dicta *bonificatio*, omnes ii, qui aut ex eo quod sua interest eidem aliquid conferre, aut ratione locorum adjacentium aliquod damnum, aut impedimentum afferre possent, subiiciuntur privativae jurisdictioni *Thesaurarii generalis* pro tempore; itaut *Flumina, Cana-*

(1) *Banniment. general. cap.* 31. *n.* 33. *tom.* I.

(2) *Ad defens. Reor. defens.* 36. *cap.* 33. *n.* 1. *et* 2.

(3) *In appendice pag.* 182.

nales, sive *Ductus*, *Foveae*, et *Exitus*, sive *Scoli*, confluentes in *Pontino* ambitu, et Personae omnes, ad quas spectat sarta, tecta tueri, etiamsi sint Ecclesiasticae, et quovis speciali privilegio donatae, subsint idcirco Thesuarario praedicto. Cujus in facultate est procedendi Criminaliter, quatenus opus sit, et etiam utendi *manu Regia*, *more Camerali* adversus omnes Emphyteutas, eorumque ministros, colonos, contribuentes, ac possessores locorum adiacentium pro opportuna, et prompta reparatione damnorum. Et quia pro harum rerum omnium parata, et celere exequutione constitutus est *Commissarius* dictae *bonificationis*, ab eo tantum (in casibus, in quibus permittitur recursus, et appellatio) ad Thesaurarium appellandum, vel recurrendum est, absque ulteriore appellatione, et recursu.

Possessionis in Causis praecipue animadvertendum est, quod si ea capta sit ab Herede, substituto ad Fideicommissum, absque citatione heredis ultimi gravati, est circumscribenda: Nam hoc citato liquidari debent bona fideicommissaria, detractiones etc. et interim successor heredis gravati amoveri nequit; iuxta Rotae decisiones (1). Et ita Signatura rescripsit in *Romana Circumscriptionis* 3. *Aprilis* 1767. et in *Montis Falisci* 17. *septembris* 1778. Nec proprietarius capere potest possessionem mortuo usufructuario, nisi citato hujus herede; prout Signatura decrevit in *Lauretana* 14. *iulii* 1757.

Praenestinus Episcopus, ejusque Curia habet cumulativam jurisdictionem cum Curia laicali in laicos, de qua docuit *Seminarium Praenestinum* mense *decembri* 1770. per *acta Archivii*; eamque impugnante Parte altera, et adeunte Signaturam plenam, haec rescripsit: *Nihil, et servetur decretum Emi*.

Ravennae Magistratus, qui nuncupatur *Sapientum*, habet quoque jurisdictionem, et procedit etiam criminaliter ad poenam in rebus, quae respiciunt exequutionem *Bannimentorum Grasciae*; ex Edicto Cardinalis Legati anni 1779., et *Capitulis Grasciae*; prout Auditor Signaturae decrevit in Audientia criminali diei 11. *aprilis* 1788. per *acta Archivii*.

Re-

(1) *Ravennaten Manutentionis* 27. *iunii* 1768. §. 5. *coram Origo*. *Anagnina Manutentionis* 24. *novembris* 1752. *coram Caprara*.

Reatina Civitas gaudet privilegio privativae jurisdictionis, pertinentis ad ejus *Confalonerium* in Causis *Fraudum* ; ita rescripsit suo decreto Auditor Pontificis 5 *maii* 1767. inter *Conductores Gabellarum Reatis*, *et Fiscum generalem*, ac *Josephum Batuni* (1).

Reatinus Episcopus habet jurisdictionem cumulativam contra Laicos, si tamen actor sit Clericus, vel locus pius; idque probatum fuit in *Reatina Jurisdictionis*, *seu circumscriptionis*, *et pertinentiae causae* 9. *iunii* 1774.

Recurribiles Causae sunt intra Districtum scutorum 50., extra vero scutorum 100. . Excipitur quando res sit de obligatione camerali, et quando agatur de causis districtualibus, quae arbitrio Judicis pro rerum, et personarum circumstantiis committi possunt in Urbe, si excedant summae modicitatem puta scutorum 10.; et ita in praxi servatur. In suspensivo denegatur Recursus in casibus descriptis in Constitutione Benedicti XIV. (2). Et causa appellabilis, si de consensu Partium judicata fuerit in gradu recursus, acta sunt circumscribenda refectis tamen omnibus expensis, tam judicialibus, quam extrajudicialibus; prout decrevit Emus Praefectus 11. *decembris* 1763. *et* 19. *junii* 1779. per *acta Archivii*.

Redditio rationis an facienda sit coram judice, a quo aliquis deputatus fuit Oeconomus, et Administrator, vel coram Judice loci, in quo administratio gesta sit; etsi coram primo docuerunt *Ansaldus* (3), et *Cardinalis de Luca* (4); contrarium tamen, nempe in loco gestae administrationis, decrevit Emus Praefectus *die* 27. *iunii* 1777. per *acta Archivii*.

Religionis Hierosolymitanæ Equites habent Judicem privativum *A. C.*, uti exequutorem Litterarum Apostolicarum, in quibus continentur dictæ Religionis privilegia. In causis inter Religionem, et Religiosos, sive Milites, ac super receptione, et admissione ad habitum, duæ Sententiæ habent vim trium, nisi infra tres menses exequutio suspensa fuerit ab Auditore Pontificis; ex *Breve* Benedicti XIV. *diei* 12. *martii* 1753. In cau-

(1) *In append. pag.* 18.
(2) *Romanae Curiae praestantiam* §. 12.
(3) *De Commercio disc.* 21. *n.* 17.
(4) *De Tutor. disc.* 3. *nu.* 5. *et* 16.

causis passivis, Personæ Ordinis, Milites, scilicet, Capellani, et Inservientes, civiliter conveniri debent coram propriis Judicibus, Conservatoribus privilegiorum; ex eodem Breve.

Ripanae Civitatis Magistratus habet cumulativam jurisdictionem cum Commissario ejusdem civitatis in causis fraudum, quae committuntur contra dispositionem Capitulorum, ad publicos proventus pertinentium; prout patet e Breve Clementis XIV. (1).

Riparum Praeses quoad res, merces, aliaque ad commercium, ac navigationem Fluminis Tiberis quomodolibet spectantia, eorumque connexa, et dependentia, quamvis carro, vel sarcina trasportentur ad Flumen, privativam habet jurisdictionem, etiam in Criminalibus, confirmatam a Benedicto XIII. in sua *constitutione diei* 22. *maii* 1727., et a Benedicto XIV. suo *Chirographo* 29. *novembris* 1743., descripto in *Libro Signaturarum die* 17. *aprilis* 1747. in actis *Castellani, et in Edicto Cardinalis Camerarii* 9. *maii* 1767.

Hinc causam pretii mercium *Ripettae*, excluso judice assecurationis dotis, et dilationis quinquennalis, Emus Praefectus remisit ad Riparum Praesidem *die* 10. *martii* 1778. per acta *Savicelli Notarii Capitolini*. Et ita etiam in causis damni dati a Belluis occasione transportandi, vel post transportatas res, seu merces in reditu; prout Signatura decrevit in *Romana jurisdictionis* 4. *septembris* 1777.

Excipitur vero casus, quando agitur de vectigalibus, et oneribus, descriptis in *Tabella*. Ita in *Nullius*, seu *Farfen. Fraudis*, in qua agebatur de fraude ob non solutum vectigal, *gabellam*, vulgo *dell' uscitura del vino*, a Signatura remissa fuit Causa *ad Congregationem Boni Regiminis* 14. *maii* 1778.

Ripae magnae Camerarius in rebus, quae respiciunt Mercatores, eorumque contractus, vel merces ripales, etsi a Ripa extractas, praelativè etiam ad judicem concursus privativam habet jurisdictionem; prout censuit Signatura diei 23. decembris 1779. in *Albanen. Avocationis concursus*. Idque intelligitur quoque, etiamsi agatur de credito in contractum redacto cum obli-

(1) *Append. pag.* 146. *ad* 148.

obligatione Camerali ; ita in dicta *Albanen.* ,et in *Romana Pertinentiae causae* 21. *augusti* 1788., in qua res erat de credito pro mercibus ripalibus, venditis in proprio promptuario extra Ripam a Mercatore Ripali , redacto ad apocam cum dicta obligatione .

Item eamdem habet jurisdictionem pro delictis, vel commissis in Ripa , vel concernentibus res , aut Mercatores Ripales ; prout decisum fuit a Signatura in *Romana* inter *Fiscum* , *et Gargiuolo* , *et Fiscum Ripae magnae* 23. *januarii* 1780. Id tamen non procedit quoad Gubernatorem Urbis, cum quo in criminalibus datur locus praeventioni ex Constitutione Pauli v.(1).

Roncilionis, et *Terrae Valentani Judices* gaudent praerogativa secundae instantiae ex instructione a Pontifice,per organum Sacrae Consultae, data 15. *junii* 1652., et ex epistolis ejusdem *Consultae* datis die 12. *augusti* 1670. , et *die* 22. *maii* 1760. Ac ita pluries a Signatura resolutum fuit, praesertim in *Roncillionen.* 31. *maii* 1762. Declaratum tamen fuit decreto Auditoris Pontificis *die* 5. *julii* 1785. in Causa inter *Comitem Terrae Fabricae* , *et Collegium Scriptorum Archivii* , non posse judicium ferre omisso medio Signaturae . Et idcirco eodem decreto praescriptum fuit , in hujusmodi Causis procedendum esse ad formam rescripti , editi in *Signatura Gratiae* in Causa *Camerinen.*

Rota Maceratensis erecta fuit a Sixto v. Hinc quae sint ejus facultates leguntur in erectionis Bulla , relata ante Decisiones ejusdem Rotae coram *Thomato* (2) . Exceptis Causis , concernentibus morum correctionem , et decreta visitationis Episcopalis , in quibus non datur appellatio in suspensivo ex constitutione Gregorii xv. declaratoria *Constitutionis Sixtinae*, et relata ab eodem *Thomato* laudato in loco ; in reliquis, ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, declaratum fuit in *Signatura Gratiae die* 19. *julii* 1746. habere jurisdictionem .

Secunda instantia praeservatur in praedicta *Bulla Sixtina* (3) iis locis *Provinciae Maceratensis* , quibus concessa sit ex privilegio ; itaut appellans potest pro libito adire Judicem appellationis , vel Rotam .

In

(1) *Super Reform. Tribun.* §. *de Gubernatore Urbis* .

(2) *Tom.* 1. *par.* 1.

(3) §. 17.

In gradu recursus, quando, nempe, Causa non attingit scuta centum, in praejudicium Rotae nequit deputari Judex in loco emanati primi judicati, nec etiam de consensu Partium, ex Constitutione Clementis XII. et Edicto Emi Signaturae Praefecti. At quia favore *Gubernatoris Maceratae* supponitur, declaratum fuisse per *Epistolium Secretariae Status* ad Auditorem Signaturae sub *die* 16.*iunii* 1779., fas esse eidem judicandi in gradu Recursus a judicatis Gubernatorum Provinciae Marchiae stante Partium consensu; idcirco Emus Praefectus mandavit *servari acta coram eodem Gubernatore in gradu Recursus*, anno 1781. per *acta Archivii*. Nam sicut ex declaratione *Bullae Sixtinae*, facta ab Innocentio XIII., ac notificata per *epistolam Cardinalis S. Agnetis die* 22. *iulii* 1722. de qua mentio fit in supradicto *Epistolio anni* 1779., statutum fuit licere subditis *Provinciae Marchiae* appellare ad *Gubernatorem Maceratae* in secunda instantia de consensu Partium, ejusque judicata non esse circumscribenda; ita nihil mirum, si eadem regula etiam servetur in gradu recursus favore Gubernatoris, Partibus consentientibus.

A dicta Rota avocantur causae in vim privilegii *Legis Unicae Cod. quando Imperator*, quamvis ibidem introductae fuerint etiam in gradu appellationis; ita resolutum fuit in Congregatione particulari, deputata a Clemente XII. 19. *augusti* 1739., et a Signatura in *Anconitana* 23. *augusti* 1764.

In Causis Appellationum cumulativa jurisdictio videtur aliquando admissa; itaut Appellantis sit electio adire vel A. C. vel Rotam. Ita Signatura rescripsit in *Recineten.* 15. *maii* 1781. ac in *Æsina* 17. *augusti* 1786. Manus regia pro propinis, et mercede actorum non competit dictæ Rotæ; iuxta decreta Auditoris, et Praefecti, 2., *et* 19.*augusti* 1779., et *februarii* 1780. per *acta Archivii*. Itidem exequutio personalis pro credito Honorariorum Advocati, et Procuratoris fieri nequit; prout decreverunt Auditor, et Praefectus *anno* 1785. per *acta Archivii*.

Eadem Rota in Criminalibus non potest se ingerere; ut patet ex decreto Auditoris Pontificis 10. *octobris* 1722., *et ex Epistola Sacrae Consultae*, transmissa ad *Gubernatorem Maceratae*, et *Praetorem Montis Ulmi die* 2. *ianuarii* 1779.

Demum quia praedicta *Rota* sibi arrogat facultatem circumscribendi judicata, quae fiunt a Judicibus in prima instantia, et è contrario facultates ei tributae a *Sixtina Constitutione*, versantur circa inhibitiones, ab ipsa dandas in vim recursus, vel appellationis propositae adversus dicta judicata; quod non aliter servatur in *Tribunali A. C.* in *Rota Ferrariensi*, aliove Tribunali, eisdem facultatibus gaudente, et numquam audente absque speciali Commissione supremi Tribunalis Signaturae circumscribere hujusmodi judicata. Hanc agendi methodum Signatura reprobandam esse, censuit.

Itidemque eadem Signatura reprobat etiam praxim illam *Auditorum* dictae *Rotae* decernendi sententiis definitivis, non autem interlocutoriis, moderationes, sive retentiones inhibitionum ab ipsis factarum, non obstante quod Tribunal A. C. eas moderetur, vel retineat decretis interlocutoriis. Et eo magis, quia hoc modo non leve damnum, et gravamen collitigantibus infertur, si altera deinde posteriore sententia eas reintegrare debeant.

Et quamvis Constitutio Benedicti XIV. (1) praescribat, quod in causis simplicis recursus Judex secundae instantiae procedere debeat cum eisdem actis absque solutione propinae, et regesti, ne collitigantes cogantur solvere pro expensis plusquam valeat res controversa; nihilominus praedicta Rota aliter agere consuevit. Hinc Signatura, ne hujusmodi abusus amplius irreperet, intermissam oscitantia illius, qui *Substitutus est Notarii Archivii* in Decretis Subdelegationis, Clausulam praeservativam dictae sanctionis, renovandam esse statuit. Et idcirco in causa *Macera-ten.* anni praesertim nuper elapsi 1778. 21. *aprilis* decrevit Signaturae Auditor, ut sequitur: *Ex tunc Illmus Dñus ad effectum cognoscendi de gravamine pro admissione, vel denegatione recursus subdelegavit in Judicem, alterum ex Auditoribus Rotae Maceratensis, qui in causa non judicaverit, ut procedat per eadem acta Notarii primi Judicati, et absque solutione propinae, et regesti, cum facultatibus desuper necessariis, et opportunis, et praecipue quatenus Partes in eum non consentiant deputandi alium Auditorem in sui locum de earumdem Partium consensu, sin minus ex offi-*

(1) *Romanae Curiae praestantiam.*

officio, et cum suis facultatibus, dummodo tamen in hujusmodi causa non agatur de summa non excedente scuta quinque, et Partes non comparuerint coram Judice Causae, alias declaravit subdelegationem non afficere nisi in devolutivo, et pro hujusmodi effectu mandavit supersederi per quindecim dies etc.

Rota Romana quoad Commissiones attendere debet praeventionem in earumdem praesentatione, juxta Constitutionem Martini v. (1), et Innocentii VIII. (2). Hinc Praefectus, et Auditor Signaturae, quamvis altera Pars praevenerit in citatione contra Commissionem, mandarunt, attendendam esse Commissionem prius praesentatam, *die* 27. *januarii* 1781. per *acta Rotae*. Praeventio namque in citando contra Commissionem habet locum in Judicibus Commissariis, non autem in Rota.

Seraphicae Religionis Syndici sunt exempti a jurisdictione laicali ex Constitutione Clementis VIII., et Benedicti XIV., ac *Resolutione Signaturae in Nepesina* 1. *augusti* 1762.

Spoletanus Episcopus, ejusque Vicarius Generalis habent cumulativam cum Curiis laicalibus, ex Re judicata *A. C. Areosti diei* 17. *decembris* 1663. per *Acta Lolli*, et decreto Auditoris Pontificis 9. *decembris* 1712. per *acta Paparozzi*, et ex Rescripto Signaturae in *Spoletana praetensae Circumscriptionis* 5. *septembris* 1771. Eamdemque jurisdictionem habent *Vicarii Foranei* locorum, Spoletanae Dioecesi subjectorum.

Spoleti Obligationes Archivii nuncupatae, quoad stilum expediendi mandata absque citatione elapso termino, in oblicatione praefinito, extat approbatio Auditoris, et Praefecti 4. *aprilis* 1778. per *acta Archivii*.

Sponsalium in Causis contendebant nonnulli Causidici, in facultate Auditoris Signaturae haud esse supersessorias concedere. At in Causa *Romana Sponsalium* 18. *martii* 1756. quum *Vicesgerens* mandasset *Lacerari nihil transeat*, et Pars adversa citationem emiserit coram Signaturae Auditore ad effectum obtinendi supersessoriam, eamque, altera Parte reclamante, obtinuerit; proposita Causa in Signatura plena, haec factum dicti Auditoris ratum habuit, et rescripsit: *de appellatione*. *Subha-*

(1) *Post praxim Ridolphin.* §. 4. (2) *Loc. cit.* §. 1.

Subhastationis, *et deliberationis* edicta in vim mandati, in Urbe expediti, de bonis in partibus, affigi debent in Urbe, et in loco bonorum, ex constitutione Pauli v. Et debent reproduci in actis, et nisi constet ex eisdem actis de hac reproductione, non attenditur circa illa testimonium, sive fides Notarii, vel Cursoris; prout liquet e Rotae decisione *coram Vicecomite* (1).

Terminus, qui dari, et accipi solet *ad solvendum debitum* est decem, vel triginta dierum, juxta debiti quantitatem; si debitor acceperit jam illum decem dierum, et deinde quatenus debiti quantitas id exigat, instet pro habendo alio termino triginta dierum, et quum a Judice Causae illum obtinuerit, tunc Creditor citare potest coram Auditore Signaturae ad *videndum moderari terminum*, et is suum interponit decretum, *servari terminum per triginta dies*, *decurrendos a die susceptionis primi*. Eodem modo Auditor, quando debitor accepit, et obtinuit terminum triginta dierum, qui non competit debiti quantitati, decernit: *servari per decem a die susceptionis*. Haec praxis servatur exequutoriali mandato non expedito, secus vero si post mandati expeditionem terminus praedictus accipiatur; tunc enim idem Auditor, petente Creditore termini moderationem, súo decreto praescribit: *servari terminum refectis expensis mandati infra tres dies*, *et amplius* (hoc est non audiatur), *sin minus obtinuit moderari*.

Thesaurarius Generalis, praeter privativam jurisdictionem, eidem concessam a Benedicto xiv. suo *Motu proprio* (2) in Causis civilibus activis, passivis, criminalibus, et mixtis, respicientibus interesse Pontificiae Camerae, et Sacri Montis Pietatis, habet etiam privativam jurisdictionem in *Platea Fori piscarii*, et *Cottii ex Chirographo* Clementis xiv. *anni* 1774. per *acta Aurelli*. Et ita a Signatura decisum reperitur contra *Neophitos in Romana* 17. *decembris* 1778. Item in respicientibus *Appaltum Dohanae*, et *Banci Fori Piscium*, ac etiam exactionem *Eleemosynae*, *a Revenditoribus* solvendae *Capellae S. Andreæ*; ita in *Romana* *die*

(1) *In Setina liberationis a molestiis*, 11. *aprilis* 1755.

(2) *In Append. pag.* 124.

die 29. *maii* 1788. fuit resolutio Signaturae. Item quoad bona *Abbatiae Flastrae*, *S. Rocciani*, et *S. Mariae in Silva*, in Emphyteusim concessa *Marchioni Bandini*, causas omnes tam civiles, quam criminales, et mixtas ejusdem Marchionis, uti Emphyteutae, ejusque ministrorum, ac inservientium, eadem privativa pollet jurisdictione, ex *Motu proprio* D. N. Pii VI. 10. *maii* 1775. (1) Item quoad *Montem Bentivoli*; ut in *Ferrarien. die* 7. *augusti* 1788. censuit Signatura.

Tusculanus Episcopus, et *Abbatia Griptae Ferratae* quam habeat jurisdictionem, patet è *Constitutione* Benedicti XIV. anni 1747. (2).

Tyburtinae Civitatis Moniales S. Michaelis Archangeli, et *S. Annae* habent in Judicem privativum Episcopum ejusdem Civitatis quoad Causas exequutivas activas, omni Recursu, et reclamatione remotis, ex *Rescripto* D. N. Pii VI. sub *die* 11. *julii* 1777. per organum Eminentissimi Pro-auditoris (3). Episcopus verò ejusdem Civitatis habet cumulativam jurisdictionem inter laicos in Causis civilibus tantum, ex *Motu proprio* Clementis VIII. anni 1604., approbante Laudum super hac cumulativa editum a *Cardinale Tusco anno* 1603. Et deinde anno 1693. ex Resolutione Congregationis particularis, a Pontifice deputatae in *Causa Tyburtina Jurisdictionis*, edito idcirco voto ab *Ansaldo*.

Veliternus, et *Ostiensis Episcopus*, qui et Decanus est Sacri Collegii Cardinalium, tamquam Gubernator nativus, et Protector exercet in illis Civitatibus ob amplissimas facultates, eidem tributas a Paulo III. *constitutione* 17. *Kal. julii* 1536., et confirmatas ab Innocentio X. sub *die* 2. *octobris* 1652., Jurisdictionem, tam spiritualem, quam temporalem cum mero, et mixto imperio in prima, et secunda instantia privative quoad quoscumque Judices Tribunalium Urbis, tam in civilibus, quam in Criminalibus. Quapropter in causis harum Civitatum Signaturae Justitiae Tribunal nullam habet jurisdictionem. Nam Emus Episcopus habet, ut in Curia dicitur, *Signaturam in ventre*, et avocat Causas, easque committit, de appellatione cognoscit, et caetera omnia exequitur, quae Signatura Justitiae

(1) *In Append. pag.* 150. *ad* 153.
(2) *Bullar. edit. Venet. to.* 2. *pag.* 125.
(3) *In Append. pag.* 172.

tiae agere potest. Ideoque penes se hic Romae peculiarem retinet Auditorem. Et hac in re prae oculis habendus etiam est *Motus proprius* D. N. Pii VI. *diei* 18. *novembris* 1775., transcriptus in Appendice (1).

Viarum Praeses ex *Chirographo* Clementis X. (2) habet privativam jurisdictionem in Causis *retractus*, *praelationis*, *servitutis portarum*, *fenestrarum*, *stillicidii*, *appodiorum*, *et facultatis aedificandi*. Id tamen intelligendum est de Causis illis, quae respiciunt vias, et exteriora domorum, non autem interiora. Hinc super quadam interiore domus mutatione causam remisit Auditor ad A. C., et Praefectus hanc remissionem confirmavit *mense decembri* 1779. per *acta Orsini*, et denuo mense *augusti* in alia Causa per *acta* ejusdem Notarii.

Vicarius Urbis, etsi non habeat inter Laicos jurisdictionem in causis excedentibus scuta 25. neque ex consensu, nisi praestetur servata forma *Constitutionis* Bened. XIV. (3). Attamen secus est in voluntaria jurisdictione, et deletione vinculorum Locorum montium; tunc enim ea pollet, cujuscumque summae sit Causa. Ita in *Romana deletionis Vinculi* rescripsit Signatura 7. *decembris* 1780.

Vicarius Foraneus, si aliquam Causam definiat, an ab eo ad Episcopum appellari possit. Signatura aliquando pro affirmativa, rescripsit, ut in *Viterbien.* 14. *augusti*, et 11. *septembris* 1760., pro negativa in *Nucerina* 21. *iulii*, *et* 15. *septembris* 1768. Affirmativam tamen sequuti sunt Auditor, et Praefectus *mense augusti septembris*, *ac novembris* 1780. per *acta Archivii*.

Causae Sponsalium, quae in ejus Tribunali examinari solent, sunt appellabiles; quemadmodum patet è Rescripto Signaturae, nempe, *de appellatione*, *in Romana* sub *die* 8. *martii* 1756.; in qua causa, quum *Vicesgerens* mandaverit *lacerari Nihil transeat*, et citatum fuerat coram Auditore *supersederi*, objiciebant Defensores, in hujusmodi Causis Sponsalium *supersessoriam* concedi non posse; attamen *supersessoria* concessa fuit, habuitque effectum adeundi nempe plenam Signaturam, ab eaque Appellationis Rescriptum obtinendi.

Vi-

(1) *Pag.* 158. *ad* 163. *Viarum pag.* 117.

(2) *Registrat. in libro divers. Notarii*

(3) *Romanae Curiae praestantiam*

Viterbii Civitas, iuxta Resolutionem Signaturae, extat in districtu Urbis; illiusque Gubernator habet secundam instantiam pro tota *Provincia Patrimonii*, excepto *Statu Valentani*, *et Roncillionis*. Ita resolutum fuit a Signatura 24. *februarii* 1752. in *Viterbien.*, seu *Balneoregien. pertinentiae Causae* inter *Communitatem Viterbii*, *et Capitulum S. Donati Balneoregii*. Episcopus ejusdem Civitatis contendit, exercere in Laicorum Causis jurisdictionem cumulativam cum Gubernatore.

Urbevetana Episcopalis Curia gaudet jurisdictione cumulativa cum Curia laicali ejusdem Civitatis in causis definiendis. Id tamen intelligendum est, quatenus Laico collitiganti arrideat in ea judicio sisti, itaut in Judicem, sive Curiam Ecclesiasticam consentiat. Nam Episcopalis Curia potest tantummodo personas Ecclesiasticas ad suum Tribunal in jus vocare, secus autem Laicos. Et idcirco hos nullo modo ex causa dictae cumulativae coercere valet, ne suum forum Episcopalem declinent. Quoad jurisdictionem, quam sibi arrogare conabatur eadem Curia, cognoscendi nempe tamquam appellationis iudex in secunda instantia causas, in prima instantia definitas in Curia Laicali, non excedentes summam scutorum quinquaginta, Signaturae mens fuit, quod distinguere oporteat facultatem judicandi ab illa committendi causam appellationis; pro prima etsi in medium proferatur *Epistola Cardinalis Aldobrandini* sub *anno* 1597. scripta praevio Pontificis oraculo, exinde tamen non sequitur, quod ejus in facultate sit inhibendi, et committendi; quod idem est ac cognoscendi Causas in gradu appellationis *omisso medio Signaturae*. Et idcirco haec multis ab hinc annis se opposuit omnibus judicatis appellationum, exaratis tam in dicta Civitate, quam in iis locis, in quibus Judices sibi arrogant causarum cognitionem in secunda instantia, inihibitiones concedendo, et absque remissione Causarum, a Signatura ad eosdem facta, procedendo. Eo magis, quia D. N. Pius VI. in *Signatura Gratiae*, coram eo habita *anno* 1783., proposita, et ad examen revocata *Causa Camerinen.*, censuit, et decrevit per organum sui Auditoris, quod ii, qui non ostendant facultates judicandi *omisso medio Signaturae*, expresso privilegio sibi concessas, prout eas *Rota Maceratensis*, et *Urbinatensis* habent, nequeunt judicare absque Commissionibus Signaturae.

Urbini Civitas Rotam, sive *Collegium* Doctorum, habet, institutum a *Guidobaldo Duci Urbinate*, ad hoc ut in eo appellationes quarumlibet Causarum Ecclesiasticarum, et Laicarum totius ditionis, sive *status Urbini*, definirentur. Illudque confirmatum fuit a Julio II., Pio IV. Urbano VIII. Clemente X. et demum ab Innocentio XIII. qui, ut omnem tolleret disputationem super ejusdem Collegii jurisdictione, cognoscendi Causas in secunda, et tertia instantia, definitas etiam a Curia Ecclesiastica, declaravit in sua constitutione, et denuo decrevit atque sancivit: *omnes, et quascumque causas appellationum, interpositarum a sententiis, seu decretis latis a quibuscumque judicibus tam ecclesiasticis, quam laicalibus omnium et quarumcumque Civitatum, Terrarum, Locorum Ducatus, et Legationis Urbinaten.,* (*exceptis tamen Beneficialibus, ac iis, quae juxta Tridentini Concilii dispositionem, vel alias de jure sunt inappellabiles, ac iis insuper exceptis, quae prius in Curia Episcopali Urbinaten., vel ab aliis judicibus Ordinariis appellationum in locis, ubi existunt, ut praemittitur judicandae erunt*) *in secundis, seu tertiis instantiis omnino devolvi debere ad praedictum Collegium Doctorum*. Et ulterius praescripsit, ne appellatio proponeretur in Curia Legationis, in Tribunali A. C. et coram quocumque Judice privilegiato Romanae Curiae; prout patet ex hisce aliis dictae Constitutionis verbis: *Inhibentes, et strictè interdicentes, ne hoc omisso medio appellari possit ad pro tempore existentem Urbini Legatum, seu Vicelegatum; nec etiam ad Auditores nostrae Camerae Apostolicae, vel quodcumque aliud quamtumlibet privilegiatum, ac speciali mentione dignum Romanae Curiae Tribunal, ac Judices. Et si appellari contigerit, nullus judex in ejusmodi Causis se ingerere possit, nisi vigore specialis Commissionis, quae nostra, vel Romani Pontificis, pro tempore existentis, manu signata fuerit.* Itaut aliquis Judex, vel Tribunal nequeat se ingerere in cognitione hujusmodi causarum; aliàs *omnia gesta, et decreta, attentata, nulla, et irrita sint eo ipso*. His positis indubium est, praedictum *Collegium*, sive *Rotam Urbini* gaudere privativa jurisdictione cognoscendi de appellatione adversus judicata Curiarum, et Tribunalium *Ducatus Urbini*. Idque in pra-

xi

xi servatum etiam est; nam anno 1724. A. C. *met*, et Signatura anno 1740. moderationem decreverunt appellationis, propositae coram A. C., et remiserunt Causas ad *Rotam Urbini*.

Ex his omnibus, usque adhuc recensitis quoad amplissimas facultates Auditoris Signaturae, apertissimum cuique fit, non praxis tantummodo, sed Jurisprudentiae summopere peritum eum esse oportere, cui provincia haec demandatur; quum novissimis hisce temporibus Auditor Signaturae eamdem cognitionem in decernendo instituere debeat, quam Tribunal ipsum in rescribendo adhibet; proindeque a vero quippe aberrant nonnulli Forenses, qui Jurisprudentiam consistere omnem opinantur in subterfugiis, et cavillationibus excitandis, dum ajunt Signaturae Auditoris judicandi genus penè diversum à quocumque alio esse debere; itaut, postposita omni legali scientia, fraenum dumtaxat litigantium calumniis injicere ille teneatur. Quod sanè, quantum, ut dicebamus, a vero distet, ipsimet etiam agnoscent, e rerum serie, hactenus expositarum.

CAPUT III.

De Commissionibus juxta diversam negotiorum naturam transmittendis.

Commissionum materia, ait *Quintilianus Mandosius* (1) *licet frequens, et in forensibus judiciis quotidiana existat, parum tamen a pluribus est exquisitè cognita*. Et quum judicia a commissionibus in caeteris post primam instantiis incipiant, illorumque fundamenta sint, unusquisque sat intelligit, plenissimam earum cognitionem habendam esse. Hinc mirum profectò non est, si laudatus *Mandosius* materiam hanc duobus amplissimis voluminibus complexus sit, aeque ac *Marchesanus* alio etiam opere, magnitudine quippe non inaequali. E quibus quidem aliqua in compendium pro Tironum usu tantummodo hic redegimus, adjectis etiam aliquibus observationibus, praesenti

(1) *De Commiss. in proœm.*

ti Curiae stilo accomodatis, et a recenti praxi non alienis. Qui tamen uberiorem Commissionum cognitionem exoptaret, volumina superius laudata, in quibus ex professo de illis agitur, percurrere poterit; ordinem vero hac in re talem servare existimavimus, qui accomodatior sit elencho rescriptorum, inferius capite sequenti proponendo.

Ut autem notitia aliqua de Commissionis nomenclatura, ac significatione habeatur, pauca primum omnium de ea disserere duximus. Commissio namque, quae et libellus etiam antiquitus appellabatur, est supplicatio quaedam, quae Signaturae porrigitur, et gravamina continet, a quibus recurritur, eâdemque, quomodo iis occurrendum sit, expostulatur; ex eo tamen quod in calce ejusdem rescribitur, ac mandatur quid in ulteriori instantia agendum sit, Commissio appellatur; committere idem esse, ac mandare, patet ex titulo *Digestorum de Officio ejus, cui mandata est jurisdictio*. Hinc ea est ratio, quare in Signatura Justitiae proceditur per viam commissionis, et in caeteris Tribunalibus per viam monitorii, prout in A. C., et in Curia vero Capitolina vigore libelli.

Et forsan Commissionis vox in usu fori nostri invaluit a Romano Jure; nam commissum judicium dicebatur lite contestata, nimirum quum Judices dati, susceptumque judicium a litigatoribus esset, praeterea judex per narrationem negotii Causam audire cepisset, sumpta a re militari translatione, in qua bellum commissum pro eo, quod vulgò apertum, atque inceptum eleganter ponimus; *Cicero* ait in *Oratione pro Sexto Roscio : longo intervallo judicium hoc committitur* (1); et *committere*, inter alia pro *initiare* a Romanis nonnunquam usurpatum fuisse, *Nonius Marcellus* auctor est, proferens Virgilianum illud.

Et turba commissos medio canit aggere ludos.

Plura quidem dicenda essent de Commissione in particulari, quando nempe communis fiat, quando det formam specificé adimplendi conditionem; quae a *Marchesano* fusius adnotantur;

(1) *Hott.* §. 1. *Instit. de Actio.*

tur; et nè longiores ultra propositum simus, libenter ea praetermittimus.

Species Commissionum duplex est, vel enim diriguntur extra Romanam Curiam, vel in ea; et ideò aliquae inter ipsas intercedunt differentiae, quas partim enumerat *Marchesanus* (1); et primum ait, illas, quae profanas Causas respiciunt, in terris Ecclesiae vertentes, per Breve, et interdum sub Plumbo expediri, uti etiam extra temporalem, et ecclesiasticam Ditionem, dummodo ecclesiasticam auctoritatem, et interesse animae respiciant; eapropter in calce dictarum Commissionum adijcienda est clausula illa: *et per Breve S.* V. *expediendum*, aliàs signandae non essent; et tunc remanent Commissiones in Officio Brevium, et Brevia extra Curiam transmittuntur; secundò differunt ex eo, quod Commissiones, in Curia directae, non describuntur, eo modo, quo fit in illis, quae ante Brevis expeditionem in Archivio Pontificio adnotantur.

Ut autem Commissiones legitimae dicantur, sive in forma signandi, ut ajunt in Curia, oportet eas a tergo notatas esse Procuratoris nomine, seu Impetrantis, qui notus saltem sit Referendario Ponenti, juxta dispositionem *Reformationis Tribunalium Urbis*, quae Paulum v. Pontificem Maximum habet auctorem. Legitimae etiam dicuntur, quando eas Causas respiciunt, in quibus agatur de summa scutorum quinquaginta monetae Romanae; nam Causae infra dictam summam nullo unquam pacto proponi possunt in plena Signatura; prout apertissimè cautum fuit ab Emo *Salviati* Praefecto ejusdem Signaturae *sub die* 12. *Januarii* 1731. (2), inhaerendo decretis alias latis a suis praedecessoribus sub die *prima Julii*, *et* 4. *decembris anni* 1677., *et* 12. *Januarii* 1716. Nec ex abrupto Commissiones etiam in causis, excedentibus dictam summam, proponi possunt in plena Signatura, quum quaedam sint Causae, quae nullatenus proponi valeant, nisi prius instantia praecesserit coram Auditore, et coram Eminentissimo Praefecto, ut alibi diximus.

Aliquando Commissiones in plena Signatura non proponun-

(1) *Part.* 1. *cap.* 6.

(2) *In Append. pag.* 74. *ad* 79.

nuntur, sed de consensu partium Regenti Cancellariae offeruntur signandae; ut autem illae legitimae sint, hic adnotamus quid statutum fuerit. Renovando enim ordinationes, hac de re factas per *Cardinalem Aldobrandinum*, Eĥus *Salviati* statuit, *quod si quandoque inter Partes, vel eorum Procuratores de Commissione expedienda fuerit concordatum, ut de hujusmodi consensu satis constet, ipsaemet Partes, earumve Procuratores sua cujusque nomina a tergo Commissionum hujusmodi describere debeant*. Pro hujusmodi tamen effectu opus est, ut Procuratores legitimum mandatum Procurae habeant, aliàs absque eo consensum antedictis commissionibus, ut supra, praestantes, alteri Parti lesae teneantur reficere expensas, interesse, et damna, per eumdem Eĥum Praefectum extrajudicialiter taxanda, additis etiam aliis gravioribus poenis, pro culpa, dolique mali mensura, ejusdem arbitrio infligendis; et pro pleniori observantia jussit etiam, ut Commissiones jam dictas, servata forma praescripti consensus, et non secus, Revisor signandas offerre teneatur.

Revisor Commissionum a Pontifice eligitur audito Eĥo Signaturae Praefecto, qui facta relatione meritorum personarum, ad dictum officium assequendum concurrentium, suo Rescripto confecto ex *Audientia Sanctissimi*, enunciat Pontificis voluntatem, cui nempe hujusmodi officium conferre voluit. Deinde Epistolium mittit ad Eĥum Secretarium Brevium, ad hoc ut dignetur, expeditionem consueti Brevis dictae deputationis demandare. Ita servatum fuit in electione *Alexandri Mucciolini*, et Breve, pro sua deputatione expeditum, est id, quod sequitur.

CLEMENS P.P. XIV.

Dilecte Fili salutem, et Apostolicam Benedictionem. Cum Officium Revisoris supplicum libellorum Signaturae nostrae Justitiae, quod quondam Joannes Joseph Smachers, dum viveret obtinebat per obitum dicti Joannis Josephi nuper defuncti vacaverit, et vacet ad praesens. Nos cupientes hujusmodi libellos supplices Signaturae praefatae per personam idoneam, et rerum, quae ad justitiam pertinent peritam, recte, fideliter, ac diligenter recognosci, et revideri, ac sperantes, quod tu tua fide, et experientia omnia, et singula, quae ad hujusmodi Revisoris officium pertinent cumulatae praestabis. Ideo te a quibusvis excommunicationis,

nis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes. Te in eorumdem Libellorum Revisorem, et Familiarem continuum commensalem nostrum, quoad vixeris cum omnibus, et singulis privilegiis, honoribus, oneribus, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, praerogativis, favoribus, gratiis, et indultis, quibus dictus Joannes Joseph, et alii, qui pro tempore fuerunt libellorum praefatorum Revisores de jure, usu, more, privilegio, vel consuetudine, aut alias quomodolibet uti, potiri, et gaudere potuerunt, et debuerunt, ac consueverunt, auctoritate apostolica tenore praesentium constituimus, et deputamus. Teque in locum dicti Joannis Josephi, quoad Officium hujusmodi, ejusque liberum exercitium hujusmodi iuxta earumdem tenorem praesentium recipiant, et admittant, Tibique in omnibus ad idem officium pertinentibus faveant, et assistant. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17 *novembris* 1772. *Pontificatus nostri anno* IV.

Foris: Dilecto Filio Alexandro Mucciolini Romano juris utriusque Doctori.

Vetitum etiam est, Commissiones transmittere pro simplici Sententiarum, vel Decretorum circumscriptione, nisi in eisdem alternativa petitio describatur, quod scilicet, quatenus antedictae circumscriptioni locus non sit, appellationis causa committatur; id namque recta ratione factum fuisse comperimus, nè a Partibus post exitum Commissionis, propositae pro circumscriptione, quum Signatura rescripserit, eidem non esse locum, de-

denuò alia Commissio Appellationis proponenda esset ; ad abolendas igitur hac in re reiteratas propositiones ita censuit, ac decrevit Emus Salviatus *Edicto* superius laudato (1).

Commissiones, quae respiciunt rem judicatam, oriri solitam ob non interpositam, legitimoque tempore prosequutam appellationem, vel adversus judicatum alterius revocatorium, mandatum de consignando uni potius, quam alteri inter diversos Creditores, mandatum relaxatum in Judiciis redditionis rationum, liquidationis fructuum, damnorum, et expensarum, a quibus de stilo Signaturae datur appellatio, non possunt prima fronte proponi in plena Signatura ; quum hujusmodi instantias fieri, cautum sit anno 1742.; coram D. Auditore ejusdem Signaturae.

Diriguntur aliquando Commissiones Cardinalibus, earumque effectus praecipuè est, quod si Cardinalis Judex esse desinat, non debeat propter personae reverentiam alteri inferiori committi absque speciali Papae mandato, ait *Marchesanus* (2). Nam Causa semel effecta Cardinalitia, talis semper remanet (3); et, si ab uno Cardinali Causa avocetur, et alteri committatur, propter honorem usus etiam invaluit, nè Cardinalis ad quem Cardinali à quo inhibeat (4); animadvertit tamen *Marchesanus*, in hujusmodi Causis committendis praedictis Cardinalibus, nisi per Signaturam Papae rescribi solere, ob illorum excellentiam; ideoque nec Signatura Justitiae, neque Vicecancellarius, seu Regens Cancellariae eis rescribit, juxta sententiam *Gomesii*, de Privilegiis Cardinalium pertractantis.

Adnotatis demum, quae legitimam Commissionum transmissionem respiciunt, verba illa, quae de stilo in earumdem formulis apponuntur, recensere, et examinare decrevimus, ut a Tironibus illarum ratio intelligatur. Et primo loco in capite Commissionum apponitur nomen Civitatis Episcopalis, in cujus Dioecesi lis pendet, et, si sub Dioecesi illa adsit Terra, vel Castrum, in quo lis existat, de illo tanquam membro ibidem mentio non fit; in corpore tamen Commissionis apponitur

(1) *In Append. pag. 75. num. IV.*
(2) *Part. 2. cap. 11. de Commiss.*
(3) *Gomes. in Compen. Utr. Signat.*
(4) *Sarnen. privileg. 8.*

tur, ex eo praesertim, ut dignoscatur locus, in quo peculiariter controversia sit; et a *Marchesano* (1) adnotatur, quare in capite earumdem describatur primo loco nomen Civitatis: *ut nempe Civitatis inspectione considerata, in precibus Causa inserta secerni possit, an profana necne, vel ad alium pertineat Principem, sive alio sit privilegio suffulta, contra, quod rescribi non debeat, idque pariter fit, ut considerari possit, quomodo rescribendum sit, a quo, vel a quibus provocatum, an locus exemptus, vel privilegiatus, ut exempli gratia Civitas Anconae in Causis Mercatorum, cui per fel. record. Clementem* VIII. *secundae, et tertiae Instantiae concessae fuerunt*.

Initium vero Commissiones accipiunt a verbis illis, *Beatissime pater*, ex eo potissimum, quod in rebus, ac negotiis, S. Romanae Ecclesiae Jurisdictionem respicientibus, ad solum Papam recursus habetur, utpote fidelium omnium Patrem, ac supremum Sacerdotem, adnotat *Marchesanus*. Attamen quare eo utantur titulo Romani Causidici, luculentissime patet, dum in mentem revocetur, Signaturam Justitiae Pontificem repraesentare, ac illius nomine rescribere; ferme ac Neapolitanum Consilium, supremum Tribunal, et Principis Consistorium, ab Alphonso I. Aragonensi erectum, quod hodiedum sacrum etiam appellatur, tanquam si adstaret eadem sacra Principis persona, secum habens, ut antiquitus, et in primaeva sui institutione erat, prudentes, et sapientes viros in consilio; et idcirco Litigantium petitiones ad formam precum ibidem in scriptis hodie rediguntur Regi directae eademmet ratione, ac si ipsum Regem per supplices libellos ii adirent.

Continere deinde Commissiones debent nomen, et cognomen Appellantis, et Appellati, ac Judicis, à quo, et ad quem appellatur, dum agitur de appellatione, sive instantis, sive illius etiam, adversus quem imploratur. Qualitas facti fideliter quoque, ac brevi methodo exponenda est, et circumstantiae ad unguem narrari debent; si causa nempe Beneficialis erit, annui redditus exprimendi sunt, et caetera, quae passim, dum Commissionum formulas inferius proponemus,

(1) *Part. 1. cap. 6. n. 6.*

adnotare studuimus. Itidem si Causa profana erit, quantitas, sive litis valor, oportet, ut exprimatur, nè Causae, quae ad Curiam trahendae non sunt, in Curia committantur, et alia etiam ratione, ut videatur nempe, an Causa S. Rotae, vel alicui Praelato committenda, appellabilis, vel recurribilis sit. Adversus enim Causidicos illos, qui siccis verbis, ait *Marchesanus* (1), in Causis appellabilibus lucro cupidi, Partes litibus involvendo per fas, et nefas eas componunt, invehitur ipsemet Auctor; et hujusmodi sua aetate ita agentes homines, absque conscientia, ac recto vivendi modo carentes, ut sine materia, et forma, appellavit.

Illud prae caeteris in Commissionibus exarandis observandum est, ut prolixitas evitetur; satis enim erit, rei de qua agitur substantiam enarrare, instrumenta, si quae sint, sententiam, merita Causae, et caetera ejusmodi cum clausula relativa, *et alias*, nempe, *ut plenius in processu Causae, vel Instrumento, vel Sententia latius continetur, cui relatio haberi placeat, ac si in praeinserta exprimeretur*; et omnino Procuratorem cautum esse oportet, nè aliquid in Commissione asserat, vel enunciet quod principali praejudicium afferre possit, quum nulla major probatio in Judiciis censeatur, quam confessio illa, quae fit in precibus, Principi porrectis; juxta sensum *legis cum precum Cod. de liberis Causis*.

Reliquum est, ut videamus an ad Commissiones impetrandas mandatum Procurae requiratur; textus enim in *leg. Universis Cod. de precibus Imperatori offerendis* nos admonet, quod in impetrandis rescriptis, quae a Principe conceduntur, curandum haud est, an sit Procurator, vel ne; et quamvis *Abbas* (2) in contrariam abeat sententiam, quod litterae nempe ad lites sine speciali mandato impetrari nequeant, et impetratae sint nullae; attamen pro jure certo habendum est, quod si casus eveniat, Commissionem expeditam fuisse a non habente mandatum, illa quippe ipso jure nulla haud erit, sed per exceptionem ab Adversario de nullitate redarguenda; et ita, si Pars

(1) *De Commiss. Appell. Cap.* 1. *p.* 1. *n.* 28.

(2) *In Cap. nonnulli v. sunt et alii, de rescriptis*.

Pars non excipiat, Commissio vires suas habebit; proindeque receptum in Curia est, teste *Bellamera* (1), Commissiones impetrari posse a non habente mandatum. Nullum enim praejudicium in hujusmodi earumdem expeditione animadvertitur, nam aut lis agitur in Curia, et Commissionem impetrans agit absque mandato procuratorio, et ab Adversario, ut supra diximus, hujusmodi exceptio proponatur, Commissio nulla erit, et nulla integra acta judicialia, vigore illius facta; vel extra Curiam transmittitur Principali cum Brevi expedito, et tunc Principalis in facultate erit illo utendi, vel non, itaut eidem renunciare libere possit.

Illud hic addendum est, quod in Commissionibus, controversiae, et actionis statu expresso, passim adjicitur, dum petitur, Causam committi, clausula illa, *Quam, et Quas una cum toto negotio principali*; vim, et effectum hujus Clausulae recenset *Mandosius* (2); ea namque praegnantissima est, et id praecipue efficit, ut si quis de aliquo gravamine, ab inferiori Judice sibi illato, conqueratur, et cognitio demandata, ac commissa fuerit alteri Judici ea adjecta Clausula; etiamsi de gravamine non liqueret, itaut Judex pronuntiaret male appellatum, et bene judicatum fuisse, pro definitione negotii principalis adire profecto non debeat priorem Judicem, sed adhuc remanet penes Judicem, cui hujuscemodi Commissio directa est; prout animadvertit *Vestrius* (3).

Evenit aliquando, ut ob loci distantiam, ait idem *Vestrius* in praxi, omnium citandorum nomina, et cognomina ignorentur, et Procurator, in Curia existens, nota dicta nomina non habeat, itaut in Citatione exprimere ea non possit, praxis idcirco inolevit, ut Clausulae: *cum facultate citandi N. N.* adderetur, *omnesque alios in exequutione, praesentium vigore decernenda, nominandos, et cognominandos*. Secus enim, quum vigore Commissionis, absque dicta Clausula expeditae, agere quis deberet, tantum in illa nominati, et non alii citandi essent, ex eo quia Commissio non extenditur ad personam non expres-

(1) *Decis.* 340.
(2) *In Commissione Causae super Beneficio.*
(3) *In Praxi lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 3.

sam, juxta sensum *Cap. Significante* 34. *de rescriptis*. Id vero in Commissionis hujusmodi exequutione cavendum est, ut omnes ii in genere expressi, in specie deinde exprimantur, prout ad rem ait laudatus *Vestrius* (1) de citationibus. Additur etiam clausula: *cum facultate citandi in Curia*, *vel extra*, ex eo quia si Reus aliquis citandus, a Romana Curia absit, tunc opus est, ut Commissio det expressam citandi facultatem, juxta mentem *Vestrii*, et *Marchesani* (2); indubium enim est, extra Curiam neminem citari posse, nisi de Commissione, et mandato Pontificis (3).

Clausulae vero omnes, quae sunt praeter Jus, in Commissionibus proponendis in Signatura Justitiae apponi non debent; inter illas recensentur decretum *irritans*, et clausula: *sublata secus judicandi facultate etc.*. Si enim de illis mentio fieret in Commissionibus, omninò delentur, quia Signatura Justitiae eas non concedit, et tantummodo Signatura Gratiae; idem dicendum de clausula, qua postulatur demandari Judici, ut procedat *summarie*, *simpliciter*, *et de plano*, *sola facti veritate inspecta*. Omnia namque recensita verba omitti debent, praeter verbum *summariè*; et etiam addi potest, et *prout in Beneficialibus*; ita enim restringitur vis., et effectus clausulae *summariè* ad processum in Beneficialibus; et conceditur maximè in causis Pupillorum, Viduarum, et aliorum privilegiatorum à Jure. Datur verò dicta clausula in Beneficialibus, quia in hujusmodi Causis magis summariè proceditur.

Edito rescripto plenae Signaturae, quamquam is, pro quo latum est, illud exequutioni mandaverit, incapsando ad ejus formam Commissionem, attamen si velit ad eamdem plenam Signaturam redire, dummodo in antecedenti Rescripto non extiterit clausula: *et amplius*, ad eam redire non prohibetur; et Causa denuò proponitur; ut evenit in *Fundana*, proposita *die* 14. *februarii* 1788.

Quum in judicio aliquo existat Commissio, signata a Signatura Pontificis, pro certo habetur, Signaturae Justitiae Tribu-

(1) *Loc.cit. tit.2. c. 9. n.228. usq.ad* 239.

(2) *Cap. 2. lib. 4. n. 1. de Commiss.Appellat. cap. 5. p. 2. n. 57.*

(3) *Cassadorus decis. 4. n. 3. de Rescriptis.*

bunal Commissiones in eadem Causa signare non posse, nec aliquid in contrarium rescribere; eapropter, si tunc negotium proponi contingat in Signatura Justitiae, omnino ad ipsummet Pontificem remittendum erit. Excipiuntur tamen Commissiones quaedam tangentes dependentia ejusdem negotii, ut nempe sunt prorogationes fatalium, derogationes feriarum, et alia ejusmodi; solet enim Signatura Justitiae tunc rescribere, quia contra gratiam non est, nec intervertit Papae Signaturam, sed Jurisdictionem coadiuvat.

Nunc ad Commissionum formulas progredimur; et abstinere profectò potuissemus pro unoquoque Causarum genere Commissiones transcribere, quum una tantum pro regula sat esset iis, qui hac in re Tirones sunt, ex eo potissimum, quod praemissis solitis expressionibus, et clausulis, aliquando nihil una ab altera differat, nisi a narratione, juxta qualitatem, et facti contingentiam, conficienda, ut censent quamplurimi; attamen eas inter se diferre ob peculiares petitionum clausulas, non immerito existimamus; ideòque, ut earumdem cognitio habeatur et ut exemplum tot summorum virorum *Ridolphini* nempe, *Mandosii*, *et Marchesani*, qui nihil hac in re intactum reliquerunt, sequeremur, ita agendum duximus.

Rationem denique, si querat aliquis, cur inter Commissiones, inferius collocandas, quasdam transcripsimus, quae vel *sub Banca*, ut vulgò dicitur, signantur, vel in Signatura Gratiae proponuntur, hanc illi damus; id a nobis, ut Tironum utilitati, et commodo consuleretur, actum esse; ac etiam ea de causa, quod aliquando si difficultas aliqua emergat pro illis signandis *sub Banca*, Parte adversa opponente, Judicium plenae Signaturae experiundum est; et quoad illas Signaturae Gratiae evenire solet, ut huic Signaturae Justitiae Tribunali a Pontifice loco Signaturae Gratiae expediendae demandentur. Qua de re passim, et prout occasio fert, non modo adnotabimus ea omnia, quae et retardare valeant earumdem Commissionum expeditionem, et Adversarii objicere possint, verum, et caetera, quae Signaturae Gratiae stilum in illis signandis respiciunt.

Appel-

Appellationis Commissio in Causis Ordinariis.

Fulginaten.

Beatisssimae Pater.

Dignetur S. V. Causam, et Causas appellationis, et appellationum ex tribus iniquitatis, nullitatis, et notoriae injustitiae a sententia, seu decreto, et relaxatione mandati, et mandatorum ad factum, et executivi, relaxatis, et prolatis ab A. C. Simonetto favore Francisci Sersale adversus Dominicum Forti S. V. Oratorem occasione assertae Apocae confessionis, seu recognitionis bonae fidei per ipsum Forte confectae, attentatorum, et innovatorum quorumcumque, ac restitutionis in integrum, prout de Jure, una cum omnibus suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, et connexis, totoque negotio principali, ac clausula quam, et quas alicui ex sacri vestri Palatii Apostolici Auditoribus audiendis, cognoscendis, decidendis, fineque debito terminandis, quos, quibus, quoties, et quando opus fuerit; Constitutionibus Apostolicis, stilo Palatii, et Curiae, caeterisque in contrarium non obstantibus quibuscumque, statum etc. pro plenè etc.

Haec namque est Commissio Appellationis, quae in Curia proponitur; et quamvis Appellationis nomine nullitatem, et omnia gravamina comprehendi, unicuique certississimum sit; at diverso sanè modo nullitatum remedium proponitur, principaliter nempè, vel incidenter; quum enim simplex Appellatio proponitur, remedium nullitatum incidenter propositum intelligitur, principaliter verò dicitur, quando seorsim ab Appellatione petitur Commissio Causae super nullitate, aut in eademmet Commissione Appellationis; et eapropter praxis inolevit, ut in appellationis Commissione adjiceretur ea clausula, *necnon nullitatis, et nullitatum*; ejusque vis, et effectus is est, ut etiam aeque principaliter causa nullitatis promota dicatur. Et ex eo quia in Curia tres tantummodo nullitates insanabiles esse dicuntur, videlicet Citationis, Jurisdictionis, et Mandati; ideo in Commissionibus Appellationum additur, *dummodo, et quatenus ex tribus*, idest supra narratis; nam, et caeterae nullitates, altiorem requirentes indaginem, non ita facilius sub generalibus verbis demandantur.

Quando vero Appellationis Commissio extra Curiam dirigenda est, tunc quasdam Clausulas peculiares continere debet;

et primo loco recensemus illam, quae in calce ejusdem apponitur, derogationis nempe *Constitutioni Bonifacii* VIII. *praedecessoris S. V. de una, et Concilii generalis de duabus dietis, dummodo non sit ultra tres*. Scitissimum enim est, quod quum Actor, et Reus, ejusdem Dioecesis sint, Causa committi non solet extra Dioecesim, nisi in quibusdam Causis, et justa concurrente ratione; tunc enim, si causa committenda sit ultra unam dietam, hoc est, viginti milliaria, committi non potest. Quum verò vigore Commissionis trahendus aliquis sit extra Dioecesim ultra unam, vel duas dietas, id fieri idcircò debet, vel de partium consensu, vel praevia derogatione, tam *Capit. Statutum §. caeterum de rescriptis in* 6., quo Bonifacius VIII. jussit ultra unam dietam quempiam ad litigandum trahi non posse, nisi de licentia Ordinarii sui, quam alterius *Cap. Nonnulli de rescriptis*, deprompti a Concilio generali, quo cavetur ultra duas dietas neminem esse trahendum a sua Dioecesi, si ejusdem dispositioni non derogetur, facta etiam illius peculiari expressione. Hinc ex eo quod Signatura, quae supradictis regulis de una, et de duabus dietis derogat, se abstinet a Commissione Causae ultra tres, additur clausula: *dummodo non ultra tres*; secus verò est, quando Causa committitur in Romana Curia, tunc enim dietarum ratio non habetur.

In iisdem Commissionibus, quae tam pro appellatione, quam pro alia causa extra Curiam committuntur, apponitur in fine clausula: *et cum absolutione à Censuris ad effectum* etc.; prout enim in supplicationibus Beneficiorum ad effectum ea obtinendi dicta clausula praemittitur, ita et in Commissionibus extra Curiam, ad effectum agendi, ad cautelam etiam adjicitur: *itaut si excommunicationis, aut alterius Censurae vinculo impetrans forsan innodatus existat, actus omnes judiciarios, ac legitimos facere possit*. Et quia hujusmodi Commissiones in forma Brevis expediri solent, ideò additur etiam in fine, *et per Breve S. V. expediendum*; quae verba si omittantur, Commissio utique non expeditur; quare id fiat, explicatur à *Staphilaeo* (1), et inter caeteras, quas ille refert rationes, ea spernenda non est, quod

(1) *De literis Justitiae cap. Quando petitur n.* 1. *et* 2.

quod nempe Apostolicae Sedis decus sit, ut per Breve, seu Bullam, non per Commissionem, extra Curiam rescribatur.

Non immeritò nunc videndum, quomodo Commissiones praedictae expediantur; obsignatae enim a tergo nomine, et cognomine Procuratoris, referendariantur a Referendario *per concessum*, et traduntur Revisori, qui expedit illas per Signaturam Eminentissimi Cardinalis Praefecti aeque ac *per concessum*, et ita subsignatae in Dataria asportantur, in illius nempe officiis, per quae transeuntes perveniunt ad Regestum; et postquam ſuerint descriptae in libris Datariae, exhibentur cuidam Officiali, existenti penes *Brevium Secretarium*, à quo ſiunt *minutae Brevium*, quae in pergamena scribuntur; et signantur Anulo, Piscatoris. Hinc in *Indice Tribunalium Urbis Francisci Gherii*, verbo *Brevia Apostolica*, legitur: *alia spectant ad Justitiam extra Curiam, quae conficiuntur super rescriptis Justitiae Utriusque Signaturae, et illorum minutae fiunt à Praefecto Brevium Signaturae Iustitiae*.

Commissio reformatoria alterius Commissionis.

Romana.

Beatissimae Pater.

Si N. N. in praeinserta pro Oratore nominatus S. V. exposuisset, prout non sine dolò tacuit, quod devotus S V. Orator N. N. obtinuit ab A. C. Simonetto relaxari mandatum vigore obligationis Cameralis, quae appellationem suspensivam non admittit, et quod jam cepta est exequutio, utique praeinsertam non extorsisset; sed quia falsus precator debet impetratis carere: Supplicat igitur humiliter S. V. Orator antedictus, ut dignetur eidem N. N. cui praeinserta est directa, ut in Causa, et Causis hujusmodi, ac si praeinserta esset signata cum clausula sine praejudicio legitimae exequutionis obligationis Cameralis, procedat, committere, et mandare, cum facultate citandi, inhibendi quos, quibus, quoties, constitutionibus, stilo Palatii, caeterisque contrariis non obstantibus quibuscumqae, statum etc. pro plenè etc.

Utuntur Procuratores hac Commissione, quando aliquis absque ulla clausula Commissionem Appellationis via ordinaria, *sotto banca*, ut vulgo dicitur, extorsisset, et Pars, cui illa praejudicialis est, eam reformari optaret, itaut necesse sit adire plenam Signaturam. Tunc enim, Parte citata juxta ordinem alias

re-

recensitum, fit copia Commissionis ex adverso extortae, cum suo rescripto in forma signandi; et post eam opus est addere hanc Commissionem reformatoriam, et cum praeinserta in forma signandi, consignare Referendario, qui illam proponet in plena Signatura, utraque parte informante, vel parte citata. Quum verò pars obtineret in plena Signatura Commissionem reformari, et cum dicta clausula *sine praejudicio* rescribi, et altera Pars esset gravata, velletque iterum audiri in plena Signatura, obtinere debet licentiam ab Emo Praefecto, eidem exponendo rationes gravaminis, sibi a Signatura illati, ob quas petat iterum audiri; qui quidem Emus Praefectus, facto per Partem, quae vult iterum audiri, deposito scutorum quatuor pro expensis reficiendis in casu succumbentiae, juxta formam alibi dictam, concedit licentiam, ut Causa ab eodem Referendario, qui aliàs eam proposuit, reproponatur; prout advertit hisce praecipuis verbis *Ridolphinus* (1). Eo etenim casu fit copia ambarum Commissionum expeditarum a Signatura cum suis rescriptis, et eisdem addenda est in forma signandi Commissio Reformatoria, ut sequitur.

Formula Commissionis, quando Pars denuò vellet plenam Signaturam adire.

Romana.

Beatissimae Pater.

Si N. N. in secundo loco praeinserta pro Oratore nominatus S. V. exposuisset, prout non sine dolo tacuit, quod asserta obligatio Cameralis, cujus vigore egerat coram A.C. N. fuerat antea vulnerata per sententiam absolutoriam, et ob id perperam egit, et mandatum ab A.C. N. decerni, et relaxari extorsit via exequutiva, quae nullo modo ei competebat, eoque magis, quia pendebat Causa appellationis, ab eo a prima sententia interpositae, qua stante nihil erat innovandum, utique secundò praeinsertam non extorsisset; verum quia Pater Sancte aequum non est, ut falsus precator gaudeat impetratis; supplicat idcircò humiliter S. V. Orator antedictus, ut dignetur eidem N. N., cui primò praeinserta est directa, ut in Causa, et Causis hujusmodi, ac si secundò praeinser-

(1) *In praxi cap.* 13. *p.* 1. *n.* 55.

ta non emanasset, procedat, committere, et mandare cum facultate citandi, inhibendi quos, quibus, quoties etc. constitutionibus etc. statum etc. pro plenè etc.

Monendi hic sumus, quod proposita denuo Causâ in plena Signatura, si Pars, quae depositum, ut supra diximus, fecit, omne id quod petiit assequatur, illud ei restituendum est, aliàs adjudicatur Parti adversae in compensationem expensarum, quas erogavit pro adeunda plena Signatura (1).

Commissio exequutorialis.

Perusina.

Beatissime Pater.

Introducto judicio coram N. N. in prima instantia pro parte devoti Oratoris N. N. contra N. N. de N. super consequutione scutorum N. N. (vel alia re, juxta facti contingentiam exprimenda) *idem Orator favorabilem sententiam reportavit, quae ob appellationem in tempore non interpositam, vel ob non prosequutionem, vel ob lapsum fatalium transitum fecit in judicatum; verum quia Pater Sancte parum esset sententias obtinere, nisi debitae demandarentur exequutioni; supplicat idcircò S. V. Orator antedictus, ut dignetur eidem N. N. ut praefixo aliquo brevi, et competenti termino eidem Adversario ad docendum de appellatione, ejusque legitima prosequutione, et nihil quod relevet docto, expensas in hujusmodi Causa factas taxet, et moderetur, et dictam sententiam legitimae exequutioni demandet, committere, et mandare cum potestate citandi, inhibendi, quos, quibus, quoties constitutionibus etc. statum etc. pro plenè etc.*

Haec equidem Commissio necessaria potissimum est, quando a Commissariis Judicibus lata Sententia est, ejusque executionem victor expostulet. Nam pro jure certo habetur, Commissarios Judices in Romana Curia ob Principis praesentiam exequi non posse suas Sententias, nisi obtenta Commissione, quae propterea exequutorialis dicitur (2). Animadversione dignum et etiam est, quod si Decretum, seu Sententia, cujus exequutio petitur, fuerit in secunda, vel in tertia instantia confirmata ad-

(1) *Ridolphinus in praxi part. 1. cap. 13. n. 58.*

(2) *Ridolphinus loc. cit. p. 1. cap. 13. n. 77.*

additur in Commissione: *quae Sententia fuit ab N. N. in secunda, et ab N. N. in tertia, seu alia Instantia confirmata*, seu *quae fuit primo loco ab N. et secundo loco ab N. confirmata*. Et solet Signatura rescribere cum Clausula: *dummodò non sit alteri commissa*.

Inter alia, quae *Marchesanus* (1) quoad dictam Commissionem, ritè, rectèque efformandam praescribit, illud praecipuum est, quod haec verba exprimantur: *Omnes, et singulas expensas taxet, et moderetur; ac pro illis taxatis, et moderatis mandatum, seù mandata necessaria, et opportuna decernat, et relaxet sub suo parvo Sigillo, regula contraria non obstante*. Id namque jam dicta clausula operatur, ut Judex taxare debeat non modo expensas omnes, quas coram ipso Partes passae sunt, verum et caeteras alias in quacumque ejusdem Causae instantia, et coram quocumque Judice factas; secus enim, ait *Vestrius* (2), absque speciali mandato id facere Judex nequit. Ut autem verba illa, *sub suo parvo Sigillo, regula non obstante*, intelligantur, idem *Vestrius* adnotat laudato loco, quod antiquitus Cancellariae Apostolicae Officiales, quorum in officio exequutoriales litterae sub plumbo expediri solebant, agnoscentes à Litigantibus novam adinventam fuisse formam evitandi viam Audientiae Contradictarum pro Sententiarum exequutione habenda, curarunt summopere apud Summos Pontifices pro tempore, id agere, ut jus suarum solutionum salvum esset, et proindè ut ab eisdem inter caeteras Cancellariae Regulas illa quoque collocaretur, quod, nempe, Exequutoriales litterae, alias quam sub plumbo expeditae, nullius roboris essent. Ex his namque factum est, ut deindè remedio derogationis dictae regulae adinvento, verba illa in Commissionibus adjicienda Litigantes curarent; et passim à Signatura ita Commissiones hujusmodi signantur.

Commissio remissionis Causae in Partibus.

Fulginaten.

Beatissime Pater.

Devotus S. V. Orator N. N. fuit nulliter, et indebitè conventus coram A. C. N. occasione cujusdam Casalis, seu praedii siti in

(1) *De Commiss. p. 2. cap. 3. n. 75.* (2) *Lib. 6. cap. ultimo n. 11.*

in territorio Fulginaten. in loco nuncupato N. juxta bona N. N., et alios notissimos fines; verum quia Orator, qui in partibus assiduè commoratur non potest aliqua ratione in prima instantia conveniri in Curia, quum prima instantia sit in partibus facienda; supplicat igitur humiliter S. V. Orator antedictus, ut dignetur, eidem A.C:N., ut suam moderetur inhibitionem, et Causam ad partes remittat, committere, et mandare cum facultate citandi, inhibendi, quos, quibus, quoties etc., constitutionibus etc. statum pro plenè etc.

Nulli dubium est, quin Causae omnes, juxta exploratas Juris regulas, quoad primas instantias in partibus definiendae primo loco sint, quò etiam respexit *Tridentina Synodus* (1); et revera id aequum omninò est ex eo potissimum, quod commodius ibi probationes, et processus fieri possunt; et è contra non sine grandi incommodo, temporis diuturnitate, et summis expensis fieri possent in Curia, praesertim in testium examine. Eapropter, si hujusmodi causae in Curia deferantur, et Adversarius reclamet, eidem consulitur illas ad partes remittendo. Si autem Judex, coram quo lis agatur, remittere eam nolit, recursus habetur ad Auditorem Signaturae, juxta notissima Reformationis Edicta; ab eoque quatenus nec remmittenda censeatur, in plena Signatura reclamatur, et Commissio recensita porrigitur. Et animadvertendum hic etiam est, quod Signaturae Tribunal, dum agitur de Causis instructis in Curia, non solet hujusmodi Commissionem signare, nisi aliter Causarum qualitates suadeant; ut ait *Marchesanus de Commissionibus avocatoriis Causarum* (2).

Commissio pro alterius Judicis deputatione.

Romana.

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius Oratoris N. N. quod introducta lite contra eumdem Oratorem coram A. C. N. ad instantiam N. N. praetensi creditoris in scutis 500. *monetae occasione praetii Vineae etc., licet Orator opposuerit exceptionem compensationis, et docuerit se esse ex alia parte Creditorem ejusdem N. N.*

(1) *Sess.* 24. *in Cap. Causae omnes.* (2) *Cap:* 3. *n.* 16. *et* 17.

N. N. Adversarii in simili summa occasione mutui, et ejus creditum sit pariter privilegiatum, et Camerali obligatione vallatum, nihilominus A.C. N. rejecta dicta exceptione compensationis, mandatum ad favorem Adversarii nulliter, et injuste relaxavit; supplicat igitur idem Orator S. V. ut dignetur committere, et mandare A. C., ut praevia repositione a decreto praedicto alium deputet cum facultatibus opportunis, necnon cum potestate citandi etc.

Commissio appellationis ab interloquutoria.

Romana.

Beatissime Pater.

Vertente lite, et Causa coram A. C. N. inter devotum S. V. Oratorem N. N. et N. N. Adversarium de, et super praetensa summa, scuta mille excedente, rebusque aliis in actis Causae, et Causarum hujusmodi latius deductis, licet idem Judex Articulos pro parte dicti N. N. Adversarii exhibitos admittere non debuisset, quum non sint relevantes, nec ad Causam pertinentes, sed tantum ad id intricandum, et protelandam litem producti, quia tamen illos admisit, ob id dictus Orator ad S. V. appellavit; dignetur igitur S. V. Causam, et Causas Appellationis, et Appellationum hujusmodi, necnon nullitatis, et nullitatum ex tribus iniquitatis, et notoriae injustitiae, infra legitima tempora interpositae, et interpositarum, necnon attentatorum, et innovatorum quorumcumque, ac restitutionis in integrum, prout de jure, cum omnibus incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, et connexis, ac toto negotio principali, et quam, et quas etc. alicui S. V. Rotae Auditori, seu Locumtenenti, audiendi, cognoscendi, decidendi, fineque debito terminandi, committere, et mandare cum facultate citandi, inhibendi, quos, quibus, quoties constitutionibus etc. statum etc. pro plenè etc.

Quamvis de jure civili appellatio ab interloqutoria non detur, ut patet ex *leg. 2. Digestor. de Appellationibus*, et aliter se res habeat de Jure Canonico, a quo antiquitus vetitum profecto non erat ab interloquutoria appellare; attamen mens fuit sacri *Concilii Tridentini* (1), ut non liceret in posterum ab ea appel-

(1) *Sess. 24. cap. 20.*

pellare, nisi tale gravamen Litiganti inferret, ut irreparabile esset, vel vim definitivae Sententiae haberet; eapropter in hac Commissione exponitur, et narratur justa causa appellandi, sive causa gravaminis. Rationem tamen ita agendi *Marchesanus* (1) reddit, quia nempe Judex ante definitivam functus non est officio suo, ideoque appellatio ab interloquutoria odiosa reputatur, ex eo quod derogat Jurisdictioni ordinariae; attamen stilum hunc exprimendi gravaminis causam, descendisse certum est a Constitutione Pii IV. (2), qua cautum fuit, ne Referendarii apponerent manus similibus Commissionibus appellationum ab interloquutoriis, nisi expresso prius relevanti gravamine.

Commissio quando tertius ad Causam admittitur.

Ferentina.

Beatissime Pater.

Lite, et Causa pendente in sacrae Rotae Auditorio inter A. Actorem, ex una, et B. *Reum conventum ex altera, causa, et occasione quarumdam terrarum, vel bonorum sitorum in territorio Reatino, in loco dicto de Valle Viva, juxta suos fines, causa, et occasione, de quibus in actis, cum S. V. Oratori* N. N. *valde intersit de juribus suis experiri, ideo dignetur S. V. eidem R. P. N. Rotae Auditori committere, et mandare, ut praefatum Oratorem in Causa, et Causis praefatis, in statu, et terminis, in quibus reperitur, et constito de interesse, et prout de jure admittat, et audiat, aliaque circa praemissa quomodolibet fuerint necessaria, et opportuna faciat, et exequatur, cum potestate citandi, et inhibendi etc.*

Ut plurimum, commissa, et pendente Causa Appellationis, vel alia instantia, aliquis interdum insurgit, qui tertius nuncupatur, et Commissione porrecta, pro suo interesse ad Causam admitti petit, idque ei denegandum non est, sed ut ad causam in statu, et terminis, in quibus reperitur admittatur, conceditur, addita tamen clausula *constito de interesse, et prout de jure*; quae id efficit, ut Judex antequam illum ad Causam admittat, de

(1) *De Commissionibus Appellat. ab Interloquutoria inferenti gravamen n.* 102.

(2) *Edita sub anno* 1562. §. 4.

de interesse cognitionem instituere debeat, alias nihil innovare poterit. Et quamvis nonnulli opinantur, quando de interesse constet, tertium ad causam esse omnino admittendum sine rescripto, ac proinde Commissionem hanc superfluam esse, et eo vel maxime, quia, aut Causa pendet coram Ordinario Judice, et de jure admittitur, aut coram Delegato, et vi clausulae, *omnesque alios quomodolibet communiter, vel divisim interesse putantes*, ad causam tertius admitti potest. Constantissima tamen Curiae praxis est, ut ad lites tollendas, ne de Jurisdictione Judicis dubitari contingat, semper ista Commissio expediatur; et illa fuit etiam antiquitus usu recepta.

Utuntur quoque Causidici alia clausula, nempe, *in statu, et terminis, in quibus reperitur*, quae quidem originem traxit a dispositione *Capit. si* 2. *de lite pendente in* 6., ubi *glosa* addit optima ratione id fieri, nam interdum fraudolenter id agebant Litigantes, ut lis ad exitum non perduceretur; itaut dum verebantur, ne Judex contrariam ferret Sententiam, tertius in causa, ut compareret, studebant, ad effectum evertendi omnia acta judicialia, et denuo ab initio litem instaurandi.

Commissio prorogationis Fatalium.

Romana.

Beatissime Pater.

Lite, et Causa coram R.P. Simonetto Judice Delegato inter Oratorem B. ex una, et C. ex altera, de, et super etc. pendente, quia dubitatur ne interim fatalia labantur, et bonum jus Oratoris pereat, recurrit ad Sanctitatem Vestram humiliter supplicando, quatenus eidem R.P.Simonetto committere, et mandare digneur, ut fatalia in hac Causa amplius non prorogata, vel semel, aut bis, juxta veritatem, *quatenus durent, arbitrio suo probet, quatenus verò lapsa sint novum terminum praefigat, attento quod in prima; deinde Causam; et Causas hujusmodi prout juris fuerit expediat cum facultate citandi, et inhibendi etc., ac procedendi juxta formam aliarum commissionum, de quibus in actis, aliaque faciendi desuper necessaria, et opportuna, praemissis, et contrariis quibuscumque non obstantibus etc.*

Omnibus in Foro versantibus sat innotescit, tempus a jure praefixum reperiri ad Appellationem prosequendam, quod fatale ex eo potissimum apud omnes appellatum fuit, quia, illo ela-

elapso, causa perempta remanet, et tanquam mortua reputatur; ne autem illud expiret, praesens Commissio adinventa est, qua in Romana Curia petitur fatalia prorogari; et, ut facilius petitioni Tribunal Signaturae annuat, nonnullae solent causae narrari, quas inter primum obtinet locum illa, nempe, quod Judex aliis negotiis praepeditus litem, de qua agatur, definire, ac expedire nequivit; aequum enim est, ut ex facto Judicis fatale non currat, juxta textum in *Cap. ex insinuatione*, illiusque interpretationem, quae legitur apud *Marchesanum* (1). Narratur etiam aliquando in dicta Commissione, prorogationem, ne aliqua oriatur disputatio an fatale duret, ad cautelam impetrari, vel Litigantem pauperem esse, itaut in termino causam ille expedire non potuerit ob summas expensas, quae in Curia fiunt, aut ob impedimentum, fraudem, dolumque, quibus occasionem dederit Pars ex adverso, fatalia expirasse. Exponitur persaepe, scripturas a longinquis partibus in tempore transmissas non fuisse, absentiam, aliudve infortunium, aut caetera legitima impedimenta, intercessisse, quae omnibus, hic terrarum contitutis, evenire in dies solent. Quae quidem causae, Commissione earumdem intuitu obtenta, neutiquam probandae sunt; itaut sufficiat sola illarum assertio, juxta *Mandosii* sententiam.

In eadem Commissione apponitur clausula, qua petitur mandari Judici, ut *toties, quoties opus fuerit, fatalia proroget*; attamen pro jure certo habemus ex *Marchesano*, quod verba illa *toties quoties*, quae tantummodo apponuntur ut plurimum in Commissionibus extra Curiam dirigendis, semper deleri soleant, et illorum vice adjicitur *arbitrio suo proroget*. Quod quidem arbitrium a jure regulandum est, ne, ut praescriptum reperitur, ultra duas vices prorogentur; eapropter in Commissione exprimendum etiam est, per quot vices fatalia prorogata fuerint; et in hac materia prorogationis fatalium extat quaedam sanctio Gregorii XIII., ne in secunda instantia ultra tertiam vicem prorogentur, ac hujusmodi Commissio non detur; in *Rota* tamen aliter servatur.

Sub-

(1) *In Commiss. prorogationis fatalium.*

Subnectitur etiam verbis, *fatalia proroget*, clausula, *quatenus durent*; idque ea ratione fit, quia si fatalia expiraverint, non potest peti prorogatio; nam prorogari proprie dicitur, quando adhuc terminus durat, et proinde si fatalia non currant prorogari nequeunt; sequitur, et alia clausula: *et quatenus lapsa sint, novum terminum praefigat arbitrio suo*; et addi debet: *attento quod in prima*, ad differentiam aliarum instantiarum, nam in secunda, et caeteris instantiis fatalia prorogantur, si durent, secus autem si lapsa sint.

De Commissionibus in Judiciis possessoriis.

Quum possessionis causae ad tria tantummodo genera redigantur, quorum primum adipiscendae, alterum retinendae, tertium vero recuperandae a Jurisconsultis appellatur, de unoquoque genere pauca disserendo, Commissiones exhibemus. A Judicio adipiscendae exordientes, indubium est, jus adipiscendae possessionis multifariam oriri, et primum per clausulam *constituti*, quae in Instrumentis apponi solet, et qua quis contrahendo constituerit, se aliqua bona alterius nomine possidere, eodemque tempore in illum transferat veram, et realem possessionem; itaut Constitutarius non indigeat alio mandato de immittendo, sed illi satis sit obtinere mandatum de associando, ut pacifice continuare possit possessionem ita quæsitam; quod Judicium, Assistentiae in foro Neapolitano appellatur, ex eo quia constitutarius a Judice petit, ut *Assistentiam* sibi praestet in Continuatione possessionis. Hujusmodi Judicii Commissio sequens est.

Commissio in Causa Immissionis.

Romana.

Beatissime Pater.

N. N. *Adversarius assertus Creditor quondam* N. N. *in scutis* N. *monetae egit coram A. C. N. et obtinuit contra* N. N. *devotum S. V. Oratorem sententiam favorabilem super immissione in possessione unius domus, et aliorum bonorum valoris scutorum mille, per Oratorem spatio* 10. *annorum, et ultra legitime possessorum, verum quia idem* N. N. *nullam super dictis bonis habet hypothecam, et in omnem casum cessat ex Oratoris possessione decennali, ultra quod agitur de bonis Emphyteuticis;*

ticis Ecclesiasticis; supplicat idcirco humiliter S. V. Orator antedictus, ut dignetur Causam, et Causas appellationis, et appellationum, necnon nullitatis, et nullitatum ex tribus iniquitatis, et notoriae injustitiae a dicta sententia asserta, infra legitima tempora interpositae, et interpositarum, necnon attentatorum, et innovatorum quorumcumque, ac restitutionis in integrum, prout de jure etc. una cum omnibus incidentibus, dependent:, emergent:, annexis, connexis, ac toto negotio principali, et quam, et quas etc. alicui S. V. Sacri Palatii Apostolici Auditori, vel Locumtenenti, (si adsit) *audien. cognoscen. deciden., fineque debito terminan., committere, et mandare, cum facultate citandi inhibendi quos, quibus, quoties, constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, stilo Palatii, caeterisque contrariis non obstantibus, statum etc. pro plene etc.*

Possessorium hoc adipiscendae possessionis dicitur, competit Creditori in bonis, etiam a debitore hypothecatis, sive ab ipso debitore, sive a tertio possessis, ad effectum se satisfaciendi de credito ex eorumdem bonorum fructibus; itidemque Legatario, et Fideicommissario, vel alteri, cui competit actio hypothecaria pro consequutione proprietatis rei legatae, vel fideicommissi lege relictae, aut aliàs sibi debitae.

Commissio in Salviano.

Romana.

Beatissime Pater.

N. N. *mercator in Urbe S. V. Orator creditor Francisci occasione annui census scutorum quinquaginta, imposito super quadam domo sita etc. detenta nunc a Silverio; ex quo ob fructus sibi debitos a dicto Francisco, cogitur experiri judicium Salviani contra dictum Silverium; et quia Oratori interest quantocitius ad immissionem devenire, et coram Ordinario Judice Lis in longum protraheretur ob praetensiones Adversarii; supplicat idcirco humiliter S. V. quatenus Causam, et causas Immissionis, et Immissionum ad dictam domum in judicio utilis Salviani interdicti ad illam retinendam, donec, et quousque Oratori satisfactum fuerit de fructibus decursis dicti census, et de aliis suo loco, et tempore decurrendis, ac quam, et quas Orator contra dictum, et omnes alios occupatores habet, et movet, et habere vult, et intendit, una cum omnibus, et singulis incidentibus, emergentibus, annexis, et con-*

connexis, attento quod agitur de annuo redditu scutorum quinquaginta ex causa census scut. 800. in sorte principali, alicui S. Palatii vestri Auditori, vel Locumtenenti, audiendi etc. fineque debito summariè, simpliciter, et prout in beneficialibus terminan. committere etc. cum potestate etc.

Commissio Subhastationis in Salviano.

Tudertina.

Beatissime Pater.

Cum Dominicus Maria, et alii de Ciccolinis devoti S. V. Oratores tanquam haeredes quondam Julii Ciccolini essent Creditores quondam Felicis Joannis Hieronymi in sc. 194. pro fructibus decursis, et non solutis duorum censuum, alterius nempe in sorte ♣. 50. *die* 4. *decembris* 1617. *impositi, alterius vero in sorte* ♣ 20. *imposit. die* 23. *decembris* 1723., *pro dictis fructibus consequendis tam decursis, quam in futurum decurrendis, ac ipsis sortibus principalibus ad effectum tamen deponendi, donec fuerit praestitus novus Fidejussor, obtinuere per Capitaneum Justitiae Tuderti, ex utili Salviano interdicto immitti in possessionem ratae unius praedii siti in Tenuta Turris Gentilis vocab. S. Lorenzo laborat., pergulat., et olivat. juxta bona etc. possess. ab N. N., ad effectum retinendi donec, et quousque ex illorum fructibus fuerint satisfacti de dictis fructibus censuum tam decursis, quam in futurum decurrendis, et insimul depositae fuerint sortes principales eorumdem. Verum quia P. S. dicta bona parvos, et exiguos fructus reddunt, et ob id Oratores non possunt ex eorum fructibus de dictis eorum creditis intra decennium satisfieri; propterea supplicant humiliter S. V. devoti Oratores antedicti, quatenus dignetur eidem Capitaneo Justitiae, ac Judici Ordinario Tuderti, ut præfixo tertiis praedictis Possessoribus, in praefato Judicio immissionis citatis, ac aliis quibus de jure, aliquo brevi, et competenti termino tam in petitorio, quam in possessorio ad dicendum, et probandum quicquid volunt, et possunt et dicta bona reluendum, seu Oratoribus de dicto eorum credito satisfaciendum, quo elapso, et nihil, quod relevet docto, et dictis bonis non redemptis, ac Oratoribus non satisfactis, ad eorumdem bonorum subhastationem, et deliberationem, ad effectum, ut Oratoribus ex illorum pretio possit, ut praefertur satisfieri, ad tenorem dictae sententiae, procedat, et sententia immissionis*

fecerit transitum in judicatum, nullaque pendeat causa restitutionis in integrum, ac citatis legitime omnibus interesse habentibus etiam per Breve committere, et mandare, cum potestate citandi, inhibendi, quos, quibus, quoties, ubi, et quando opus fuerit; praemissis, necnon Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis non obstantibus quibuscumque statum etc. pro plene etc.

Adnotandum hic est, quod si agatur de fundo censito, antequam dicatur: *quo elapso, et nihil quod relevet docto*, apponenda est clausula: *et attento, quod agatur de fundo censito, facta prius renunciatione sorti principali, itaut Census remaneat extinctus, et nulla amplius actio competat contra Emptorem*. Et praedicta Commissio signanda est a Pontifice, et subscribenda ab ejus Auditore.

Commissio in judicio retinendæ possessionis, sive Manutentionis.

Romana.

Beatissime Pater.

Licet devotus Orator S. V. N. N. a pluribus annis citra reperiatur in pacifica, et quieta possessione domus sitae in Urbe in Regione N. Juxta suos notissimos fines cum bona fide, et justo titulo, nihilominus N. N. adversarius sententiam favorabilem ab A. C. N. super praetensa manutentione in possessione ejusdem domus, et fructuum illius perceptione, non minus nulliter, quam injustè contra dictum Oratorem extorsit; a qua quidem sententia idem Orator ad S. V. appellavit, et de nullitate dixit; supplicat igitur humiliter S. V. Orator antedictus, ut dignetur Causam, et Causas appellationis, et appellationum, nullitatis, et nullitatum ex tribus iniquitatis et notoriae injustitiae, infra legitima tempora interpositae, et interpositarum, necnon attentatorum, et innovatorum quorumcumque, ac restitutionis in integrum, prout de jure etc. una cum omnibus incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, connexis, totoque negotio principali, et quam, et quas etc. alicui S. V. Sacri Palatii Apostolici Auditori audiendi, cognoscen. deciden. fineque debito terminandi, committere, et mandare, cum facultate citandi, inhibendi quos, quibus, quoties, constitutionibus, stilo Palatii etc., caeterisque contrariis non obstantibus quibuscumque, statum etc. pro plenè etc.

Commis-

Commissio appellationis a Mandato de evacuando.

Romana.

Beatissime Pater.

Licet N. N. *Adversarius aliàs de anno N. locaverit pro tribus annis futuris N. N. devoto S. V. Oratori domum sitam in Regione* N. *Juxta bona* N. N., *et alios, si qui sunt veriores fines, nihilominus idem Adversarius praetendens dictum Oratorem dictae locationi, ac juri Inquilinatus renunciasse, egit contra eumdem coram A.C. N. ad evacuandam dictam domum, et licet positiones pronunciatae pro confessatis non attendantur in eo Tribunali, et Testes ex adverso examinati nihil relevans concludant, nihilominus dictus Adversarius decretum assertum, et illius vigore mandatum de evacuando contra Oratorem nulliter, et injustè extorsit; supplicat igitur humiliter S. V. Orator antedictus, ut dignetur etc.* adduntur, quae in caeteris commissionibus sequuntur.

Mandatum de evacuando videtur sapere quodammodo manutentionis materiam, et in eo obtinendo summariè proceditur; idcircò post manutentionis Commissionem adjecimus hic hujusmodi judicii commissionem.

Commissio appellationis in judicio reintegrandae.

Neapolitana.

Beatissime Pater.

Quamvis N. N. *devotus S. V. Orator pluribus ab hinc annis iusto emptionis titulo acquisiverit vineam sitam extra portam N.N. in loco nuncupato N. juxta bona N. N., et N. N., viam, et suos fines, ut constat ex publico instrumento rogato per Acta N. N. sub die* 10. *mensis N. anni N., illamque semper deinde legitime, quiete, ac pacifice possederit, nihilominus N. N. Adversarius sententiam favorabilem contra Oratorem super asserta reintegratione ad possessionem ejusdem vineae, ac restitutione fructuum non minus nulliter, quam injustè ab A. C. N. extorsit, et idcirco Orator ad S. V. appellavit; dignetur igitur S. V. Causam etc.*

Commissio Attentatorum.

Romana.

Beatissime Pater.

Devotus S. V. Orator N. N. obtinuit ab R. P. N. N., citato N. N. Adversario, mandatum de associando ad possessionem domus N.N., de qua agitur, virtute clausulae constituti, prout ex instrumen-

mento rogato per acta N. N. in actis exhibito, cujus quidem mandati vigore accepit dictæ domus realem, et actualem possessionem servatis de Jure, ac de stilo servari solitis, sed quia nihilominus dictus N. N. adversarius sub praetextu assertae inhibitionis dictam possessionem, ac mandati exequutionem, non minus nulliter, quam injuste ab eodem Judice cum omnibus inde sequutis revocari extorsit, ob id idem Orator ad S. V. infra legitima tempora appellavit, ac de nullitate dixit; supplicat igitur humiliter S. V. Orator antedictus, ut dignetur etc.

Commissio Appellationis in materia Pensionum.

Romana

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter S. V. pro parte devoti Oratoris N.N. quod mensibus elapsis N. N. adversarius egit coram A C. N. contra Oratorem de, et super praetensa manutentione in quasi possessione exigendi annuam pensionem assertam scutorum N N., aliàs super fructibus Ecclesiae N. N., ut dicitur reservatam; et licet dictus adversarius non docuerit saltem legitimè de aliqua quasi possessione manutenibili, et in omnem eventum ex juribus pro parte Oratoris productis manifeste appareat, ipsum Adversarium habuisse se pro spoliato, nihilominus sententiam favorabilem ab eodem Judice contra Oratorem super praemissis extorsit. Dignetur igitur S.V. Causam, et Causas appellationis, et appellationum, necnon nullitatis, et nullitatum ex tribus, iniquitatis, et notoriæ injustitiæ etc. a dicta asserta sententia infra legitima tempora interpositæ, et interpositarum, necnon attentatorum, et innovatorum quorumcumque etc.

Haec namque Commissio respicit Judicium illud, quod instituitur, quando Pensionem, quam antea Titularis solverit, deinceps solvere detrectat; si enim agatur de pensione, quae nondum sit soluta, et ille solvere renuet, tunc Judicium Immissionis dicitur, et diversimode in Commissione factum exprimitur; hinc alteram hujusmodi Judicii Commissionem, prout etiam egit *Ridolphinus*, hic transcripsimus.

Romana.

Beatissime Pater.

Introducto Judicio coram A. C. N. ad instantiam N. N. *asserti Clerici adversarii contra devotum S. V. Oratorem* N. N. *Rectorem Parochialis Ecclesiae* N. N. *de, et super immissione in possessionem*

nem, vel quasi exigendi assertàm annuam pensionem, alias, ut dicitur, ad favorem N. N. *super fructibus dictae Parochialis cum clausula, dummodo remaneant centum pro Rectore reservatam, et in personam dicti* N. N. *Adversarii, ut asseritur translatam, illiusque terminorum solutione, rebusque aliis etc. idem Judex, dicta clausula dummodo non justificata, nec docto sufficienter de adversarii Clericatu, litterisque Apostolicis originalibus nullatenus exhibitis ad favorem ejusdem adversarii, non minus nulliter, quam injustè sententiavit, ac declaratoriam promulgavit, mandatumque de immittendo, et exequutivum, ac literas declaratorias decrevit, et relaxavit; ob id idem Orator ad S. V. appellavit, et de nullitate dixit. Dignetur igitur S. V. etc.* cum reliquis *etc.*

Commissio Restitutionis in integrum.

Romana.

Beatissime Pater.

Vertente lite coram A. C. N. in prima instantia inter S.V. Oratorem A., et Adversarium N. de, et super etc. placuit dicto A. C.N, S.V. Oratorem condemnare ad solvendum dicto Adversario scuta centum, et Procurator Oratoris neglexit infra legitima tempora appellare; dignetur igitur S. V. Causam, et Causas appellationis, et appellationum, a tempore quo Oratori permissum fuit, interpositae, et interpositarum, necnon nullitatis, et nullitatum ex tribus iniquitatis, et notoriae injustitiae, ac gratiosae restitutionis in integrum, attento quod negligentia Procuratoris Principali obesse non debet, ac quam, et quas etc. una cum omnibus, et singulis incidentibus, annexis, et connexis, totoque negotio principali alicui Sacri Palatii vestri Auditori summariè, prout in Beneficialibus, committere, et mandare, ut ipsum Oratorem ad appellandum, provocandum, et dicendum de nullitate admittat; perinde ac si duraret tempus legitimum ad appellandum, aliaque omnia et singula faciat, gerat, et exequatur in praedictis, et circa ea quomodolibet necessaria, vel opportuna, cum potestate citandi, et inhibendi etc. contradictores, et rebelles etc. ac Oratorem ante omnia ex clausula saltem generali, si qua mihi etc. caeteraque omnia etc. in primis, et ante omnia, prout juris fuerit restituendi, plenariè reponendi, et reintegrandi, ac alia hujuscemodi faciendi etc.

Ex hac Commissionis formula etsi perfacile sit cuique, confi-

ficere etiam, mutatis mutandis, Commissiones, quae respiciunt Restitutionem adversus aditionem hereditatis damnosae, necnon adversus lapsum fatalium, venditiones injustas, etc.; nam in Commissionis initio sufficit, ut factum breviter exponatur; et deinde apponantur clausulae illae, quae in transcripta Commissione leguntur. Nihilominus, ut Causidicorum votis omnino satisfaciamus, hanc aliam addimus.

Commissio pro Restitutione in integrum adversus inconsultò aditam hereditatem.

Romana.

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter S. V. pro parte, et ad instantiam N. N. devoti S. V. Oratoris, qualiter defuncto N. N. ejus Patre Orator praedictus in illius haereditate inconsulto se immiscuit, nullo confecto Inventario de bonis haereditariis: cumque comperierit paternam haereditatem sibi esse damnosam, multisque debitis involutam, et e contra Creditores defuncti Patris contendant obtinere mandata contra Personam, et Bona propria dicti N. N. Oratoris tanquam haeredis simplicis ejus Patris ex obstaculo ass. immixtionis in dicta haereditate, rebusque aliis, et cupiat illam adire cum beneficio Legis et Inventarii; ne de proprio ultra vires haereditarios teneatur, ac etiam ad effectum recuperandi propria credita adversus dictam haereditatem; supplicat idcirco humiliter S. V. quatenus dignetur tribuere R. P. Auditori Camerae, eidemque committere, et mandare, ut citatis Creditoribus, aliisque, quorum interest, constito sibi de justa Causa, et laesione, adversus lapsum temporis Oratorem in integrum restituat adversus inconsulto aditam haereditatem paternam, et ad conficiendum Inventarium, tempore opportuno neglectum, terminum statuat, et impertiatur, et cum omnibus aliis facultatibus desuper necessariis, et opportunis, et citan., et inhiben. quos, quibus, quoties, et quando opus fuerit singulis diebus, et horis feriatis, et non feriatis, praeter quam in honorem Dei feriatis, Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, stilo Palatii, et Curiae, ceterisque in contrarium non obstantibus. Statum etc. pro plene etc.

In hac vero Commissione efformanda varios casus perpendere oportet. Nam si Orator de tempore obitus Defuncti erat minor, tunc post verba: *defuncto N. N. ejus Patre*, addendum est;

est : *tempore, quo Orator praedictus erat in minori aetate constitutus* : Et post alia verba : *nullo confecto Inventario de bonis haereditariis*, addendum est : *Verum minorili aetate excessa, effluxit quadriennium, intra cujus metam in integrum restitui neglexit*. Itidem si tempore, quo petitur restitutio in integrum, heres passus jam sit mandatorum executionem in bonis propriis, eo casu post illa verba : *contendant obtinere mandata contra Personam, et Bona propria dicti N. N. Oratoris*, addendum est : *quem etiam N. N. Creditor urgere cepit coram N. N. obtinendo mandatum pro sc. . . . . , cujus vigore consumavit etiam executionem super nonnullis suis bonis*. Demum in casu passae executionis, ad effectum obtinendi dictam Commissionem debet citari coram Auditore Pontificis, prout infra.

Citetur N. N. ad dicendum causam quare Commissio, cujus copia sibi originaliter transmittitur, signari non debeat, et decretum etc.. Haec citatio fit a tergo Commissionis, quae Parti transmittitur, prout fit in Commissione, quae transmittitur pro adeunda plena Signatura. Die juridica reproducitur citatio, et praedictus Auditor edere solet infrascriptum decretum : *Relatione facta comparuit D. N N. petiit, et obtinuit ut supra, non retardato tamen cursu Causae, seu Causarum, et amplius parte praesente*.

Commissio in Causa exequutionis litterarum Apostolicarum.

Viterbien.

Beatissime Pater.

Vacante Capella N. N. sita in Ecclesia N. N. de Jurepatronatu laicorum ex dotatione, et fundatione, per obitum N. N. ultimi illius Rectoris, et possessoris extra Romanam Curiam defuncti valoris vigintiquatuor ducatorum auri de Camera excedentis, fuit a Patronis praesentatus ad illam coram Ordinario, N. N. S. V. Orator, qui ab eodem Ordinario institutus, ejusdem Beneficii possessionem assequutus fuit, nuper verò N. N. Adversarius de eodem Beneficio, uti libero, et reservato, nulla dicti Jurispatronatus, aut praemissorum facta mentione, subreptitiè, et obreptitie a S. V. sibi provideri obtinuit, et ab A. C. N. in hujusmodi provisionis exequutionem sententiam favorabilem super immissione, ac declaratoriam extorsit, ob id idem S. V. Orator ab eadem

dem sententia infra legitima tempora appellavit; dignetur igitur S. V. Causam, et Causas etc.

Commissio derogationis Feriarum.

Romana.

Beatissime Pater.

Pendente lite inter N. N. S. V. Oratorem, et N. N. Adversarium coram R. P. Cincio, causa, et occasione etc., dum negotium erat in expeditione supervenerunt feriae nuper indictae de mandato S. V. et sic Orator non potuit procedere ad ulteriora; verum quia agitur de Causa favorabili, jam ad finem redacta, Oratorisque valdè interest ad ejus expeditionem devenire; ideo humiliter supplicat Sanctitati V. quatenus dignetur committere, et mandare eidem R. P. Cincio, ut ad Causae, et Causarum hujusmodi expeditionem procedat, feriis praefatis non obstantibus juxta formam, et facultates aliarum commissionum, cum potestate citandi, et inhibendi etc. praemissis, et aliis quibuscumque non obstantibus, statum etc.

Ut ab assiduis laboribus, quos laude summa sustinent in causis definiendis, per aliquod temporis spatium quotannis vacarent tam Rotae Auditores, quam caeteri Commissarii Judices, qui nempe vigore Commissionum Signaturae Jurisdictionemexercent, illorumque incolumitati consultum esset, Summi Pontifices magnopere curarunt; qua de re feriae, sive aestivae vacationes in causis Rotalibus, et Commissariis institutae fuerunt, quae incipiunt a die 10. Julii, usque ad Kalendas Octobris, si dies illa rotalis fuerit, Lunae, nempe Mercurii, vel Veneris, secus vero usque ad primum diem juridicum Rotae, qui in principio dicti mensis incidat; eisdemque feriis perdurantibus Judicum praedictorum munus conquiescit, et etiamsi velint, nequeunt in Causis ad ulteriora procedere; itaut omninò ad Causae prosequutionem opus sit Commissione derogatoria Feriarum, qua ab eo, cujus interest, petitur committi Judici, coram quo Causa ante feriarum indictionem pendebat, ut eis non obstantibus, ad Causae, seu Causarum expeditionem procedat.

In principio feriarum, quum nempè pauci ab indictione dies lapsi sint, advertit *Marchesanus*, hanc Commissionem non dari ex eo potissimum, quod si ita de facili, statim ac feriae indi-

dictae reperiuntur, concederetur, frustratoriae viderentur; proindeque, ut honor indictioni habeatur, non rescribitur, nisi multis elapsis diebus, nec tamen in omnibus, et quibuscumque causis, sed in aliquibus, exequutivis nempe, parvi momenti, alimentorum, caeterisque dilationem non patientibus, vel de sui natura privilegiatis, utpote evacuationis domorum, earumque pensionum, viduarum, pupillorum. Indubium etiam est, solertissimos Procuratores, nè ad hujusmodi Commissionem expediendam feriarum tempore cogerentur, consuevisse in omni, et quacumque Commissione, cujus vigore, vel causa principalis, vel appellationis, aut quaevis alia committitur, apponere in fine illa verba, videlicet: *feriis nuper per S. V. indictis, vel in futurum indicendis minime obstantibus*.

Animadvertendum et etiam est, a Signatura Justitiae Commissionem hanc derogationis feriarum non dari in Causis, in Rota pendentibus; licet interdum à Signatura Pontificis non denegetur, quando ambae Partes de consensu eam petant, et remansit dubium tantum definiendum in exitu vacationum, ut adnotat *Marchesanus* (1). Secus vero est, si Causa commissa reperiatur alicui Auditori ejusdem Rotae, non tanquam Auditori, sed uti Praelato extra Rotam, et absque Rotae participatione; tunc enim reputatur simplex Judex Commissarius, et opus non habet voto aliorum Coadiutorum, qui feriarum tempore insimul non conveniunt pro definitione Causarum Rotalium.

Commissio super jactationibus.

Romana.

Beatissime Pater.

Licet Octavius Sebastiani Sanctitatis vestrae Orator a multis annis fuerit, et sit in pacifica possessione unius Vineae cum domo, picturis egregiis famosi pictoris Joanni Equitis Lanfranchi depicta, sita in pertinentiis Urbis in loco nuncupato Bravetta, juxta etc., et super ea a nemine debuisset, vel deberet molestari, perturbari, aut inquietari: nihilominus quia quidam Michael Angelus, et alii de Magistris ipsum Octavium Oratorem nolle sinere possidere, se jactant, et vociferant contra omne debitum juris: et quia valdè in-

(1) *De Commiss. derog. Fer. n.* 57.

tereſt Oratori quantocitius via juris ſe a praemiſſis jactationibus , et vociferationibus eximere , et liberare ; ideò humiliter ſupplicat S. V. quatenus Cauſam , et Cauſas moleſtationis , et moleſtationum , jactationis , jactationum , vociferationis , et vociferationum , alicui Sacri Palatii Veſtri Auditori , vel Locumtenenti audiendas , cognoſcendas , decidendas , fineque debito terminandas committere , et mandare cum poteſtate citandi , et inhibendi , quos , quibus , et quoties opus fuerit , aliaque omnia etc. , ut ſupra , necnon Adverſariis praefatis perpetuum ſilentium imponendi , prout de jure , praemiſſis etc.

Frequentiſſimum eſt judicium , quod vi *Legis diffamari Cod. de Ingenuis , et Manumiſſis* in Curia inſtituitur , dum nempe quis , in pacifica poſſeſſione conſtitutus , diffamationes , aut vociferationes praeſentiat , ſuoque ſtatui moleſtias inferri vel timeat ; quod quidem Judicium , vel initium ſumit a Monitoriis ſuper jactationibus , et moleſtationibus , quae a Tribunali Auditoris Camerae ſaepiſſime impetrantur , vel a Commiſſionibus , jactationis jactationum vulgò nuncupatis , a Signatura Juſtitiae expeditis , quibus alicui Judici mandari petitur , ut , praefixo diffamanti aliquo brevi , et peremptorio termino ad deducendum omnia Jura , ſi quae habeat , et quicquid velit , ac poſſit , et nihil quod relevet docto , perpetuum ſilentium diffamanti imponat , et audientiam in futurum illa de cauſa denegandam eſſe declaret . Ut autem hujuſmodi Commiſſiones legitimè proponantur , oportet , quod praecedat diffamatio , et diffamantes certi exprimantur , ſecus enim de ſtilo Signaturae contra incertos non datur ; et clauſulam : *omneſque alios in exequutione praeſentium nominandos , et cognominandos* , ſemper deleri , teſtatur *Marcheſanus* , propter regulam illam , quod abſque cauſa nemo invitus ad agendum cogi poteſt ; idque ſi pro vero habendum eſſet , idem prorſus dicendum de eo , qui jura , et actiones jactat , et judicialiter proponere in animo non habeat . Quapropter de ſtilo potius , quam vi regulae jam dictae , deleri clauſulam illam Signaturae , ſatis abunde unicuique patet .

Eadem Commiſſione utuntur omnes illi , qui ſubſtituuntur , et ad ſucceſſionem vocantur poſt uſufructuarii obitum , quum nempe uſufructuarius aſſerat bona reſtitutioni , vel ſubſtitutioni obnoxia haud eſſe , et petatur praefigi terminum uſufructuario ad

ad docendum de assertis, quo elapso, et nihil relevans docto, à Judice declarari, quod eveniente Substitutionis casu, juxta formam testamenti de quo agitur, ad eum pertineant, et bona, et successiones.

Nè autem hujusmodi Commissiones signentur, ab Adversariis variae exceptiones proponi possunt, quas inter praecipua ea est, possessionem non habere illos, qui Commissiones impetrare velint; tunc enim omnino denegandas esse firmat *Marchesanus de Commissione super Jactationibus* (1). Magni momenti etiam est exceptio illa, Causam nempe jam ordinariè instructam reperiri, et proindè Commissionem signandam non esse; pro jure enim certo habetur, ante motam litem locum habere remedium *leg. diffamari*, quod reverà extraordinarium est, et cessare, ordinario jam ad exequutionem redacto. Qua de re in monitoriis ab A. C. impetratis de stilo clausula apponitur: *non tamen super molestiis judicialitèr illatis*; et ab eademmet Signatura Justitiae etiam additur illa clausula: *quatenus Judicium ceptum non sit*.

Non datur denique Commissio jactationis in prima instantia in Curia, quoad Causas de partibus; tunc enim requiritur appositio manus Papae; quia, juxta dispositionem *Concilii Tridentini in Cap. Causae omnes*, in prima instantia ab Ordinariis cognosci debent; hinc Commissio in hujusmodi Causis impetranda est in Signatura Gratiae; si vero justa, et juridica accesserit ratio, interdum datur a Signatura Justitiae.

Animadvertendum etiam est, quod in hac Commissione non apponuntur verba, *molestare*, vel *perturbare se jactat*, quia ista petitorium respiciunt, adjiciuntur tamen, quum super eodem petitorio Causa committi desideratur; idemque servandum in clausula: *una cum toto negotio principali*.

De Commissionibus Avocatoriis.

Quum avocatio non una de causa aliquando petatur, vel ratione nempe unionis Causarum, privilegiorum, vel propter suspicionem Judicis, aut absentiam illius, diversimode eapropter avocatoriae Commissiones pro Causarum opportunitate conficiun-

---

(1) *Cap. 1. par. 2. num. 44.*

ficiuntur; et non immerito diversas hic earumdem formulas collocare curavimus.

Commissio unionis Causarum.

Romana.

Beatissime Pater.

Anno elapso obiit Franciscus Oliverius suo ultimo condito testamento, in quo haeredem universalem sibi reliquit Angelam ejus germanam sororem, et quia insurrexerunt multi illius asserti Creditores, quidam coram A. C. alii coram Urbis Gubernatore, alii in Tribunali Cardinalis Vicarii, alii vero in Curia Capitolina, aliique forsan in aliis Tribunalibus in maximum Creditoris, et haereditatis detrimentum, adeout Oratrix haeres illius cum beneficio Legis et inventarii, tot in Tribunalibus vocata, non possit tot sumptus substinere, jura tueri, et haereditatem defendere stante praecipue numero scripturarum, quae in forma probanti coram unoquoque Judice producendae sunt; quia vero valde ejusdem interest non vexari coram tot diversis Judicibus pro eadem re, et Causa, ideo supplicat humiliter S. V. praevia avocatione Causae, et Causarum hujusmodi occasione dictae hereditatis coram quibusvis Romanae Curiae Judicibus pendentium in statu, et terminis, in quibus unaquaeque illarum reperitur omnes ad se avocare, illasque sic avocatas, et insimul unitas alicui Romanae Curiae Judici ordinario committere, et mandare dignetur audien. cognoscen. deciden. fineque debito terminan. summarie etc. cum suis incidentibus, dependentibus, annexis, et connexis, totoque negotio principali, ac quam, et quas etc. cum potestate citandi etc. privilegiis, et indultis praefatis Tribunalibus, vel unicuique personae, vel loco concessis, etiam in corpore juris clausis, legibus quoque, statutis Urbis etiam juramento vallatis, nec non constitutionibus Apostolicis, stilo Palatii, et Curiae, caeterisque Contrariis non obstantibus, statum etc. pro plenè, et sufficienter expressis haberi etc.

Tunc autem Signatura Justitiae avocat, quando jus assistit; Signatura vero Pontificis adeunda est, quando aliquid ex mera liberalitate petitur, ut nempe est revocatio alicujus privilegii, *quod non possit nisi certo loco conveniri, si adsit persona privilegiata, si Causae tales forent, quae ex aliqua aequitate essent avocandae, licet non de rigore Juris, tamen ut consulatur quieti, et si-*

et similibus, nam tunc ita dispensando, et rescribendo gratia vocari potest, juxta tradita *per Marchesanum* (1).

Eademmet Commissione poterit quisque uti, si casus evenerit alicujus discussionis creditorum, mutato tamen facto, caeterisque circumstantiis juxta Causae indigentiam, et opportunitatem; animadvertere tamen oportet, quod in omnibus hisce Commissionibus Avocatoriis summa certa exprimenda est, ex eo quia sunt quaedam Causae, quae nec in Curia definiendae, nec rescribendum in illis sit; prout advertit laudatus *Marchesanus*.

Commissio avocatoria propter privilegia.

Spoletana.

Beatissime Pater.

Cum quidam A. praetenderet se Creditorem q. B. Æsini, multis ab hinc annis defuncti, non tamen vigore obligationis Cameralis (vel jus super domo, praedio, similibus) *cepit molestare C. et D. S. V. Oratores ejus haeredes cum beneficio Legis, et Inventarii in pupillari aetate constitutos etc.* (*sive minores*) *coram Judice de partibus non minus nulliter, quam injustè; verum quia ex privilegio, in corpore Juris clauso, et vigore legis unicae Oratores trahunt, et non trahuntur extra provinciam* (*seu ob Adversarii potentiam*) *in partibus litigare perhorrescunt, ubi justitiae complementum non sperant consequi, prout jurare parati sunt, et quatenus opus sit, etiam jurant; ideo supplicant S. V. quatenus praevia avocatione etc. Causam et Causas praedictas ad A. C. remittere, et quatenus opus sit, committere, et mandare dignetur audiendas etc. cum potestate etc. ut supra etc.*

In suprascripta Commissione omninò exprimendum est, paratum esse Collitigantem illum, qui Commissionem porrigit, de perhorrescentia jurare; nec Pars adversa, si contra Commissionem hujusmodi, et Juramentum perhorrescentiae de subreptione dicere vellet, et contrarium probare, ullo unquam pacto auditur; quia omninò Juramento allegantis timorem, seu perhorrescentiam, standum est; et Curiae stilus ea de causa ita invaluit, quia pro firma regula habetur, quod quando aliquid con-

(1) *Cap. 3. p. 1. de Commiss. Avocationis Causarum.*

conscientiæ alicujus committitur, nemo contrarium probare volens auditur, juxta sensum *Canonis statutum §. assessores de rescriptis in* 6°.

Hic tamen, et alia quaestio proponitur, an Juramentum, in antedicta Commissione tantummodo expressum, praestari debeat. *Mandosius de Commissionibus Avocatoriis Causarum* utitur hac distinctione, aut nempe Commissio fundatur super Juramento, itaut addatur in rescripto, *praestito Juramento perhorrescentiae*, et quidem praestari prius debet; secus enim rescriptum adimpletum non dicitur, et omnia gesta vigore ejusdem Commissionis nulla omnino erunt; nam pro jure certo habetur, Jurisdictionem commissam non excitari, nisi adimpleta conditione, Commissioni, sive Rescripto, a Signatura adjecta; secus vero est, quando clausula supradicta non apponatur, tunc enim Commissionem impetrans jurare non tenetur, nisi Adversario instante.

Commissio Avocatoria propter suspicionem.

Maceraten.

Beatissime Pater.

Vertente lite, et causa coram Episcopo Maceraten., vel ejus Vicario generali inter S. V. Oratorem A., et B Adversarium de, et super etc. idem Judex nimis animosè procedens, (narretur hic factum), *se Oratori suspectum reddidit, prout jurare paratus est, et, quatenus opus est, jurat in manibus S. V., adeo ut coram eo justitiam assequi non sperat; et quia durum est coram suspecto Judice litigare, ideo dictus Orator humiliter supplicat S. V., quatenus praevia avocatione Causae, et Causarum hujusmodi, alteri Episcopo, vel Ordinario viciniori, vel ejus generali Vicario committere, et mandare dignetur, audien., etc.*

Adnotare non inutile hic erit, quod in Romana Curia, quum de Judicis recusatione agatur, habetur recursus ad Signaturam Pontificis, vel Justitiæ, ubi praevio maturiori examine quid agendum sit decernitur; extra tamen Romanam Curiam, si adversus aliquem Judicem proponenda sit recusatio, recurritur ad Provinciarum Praesides, qui et Legati appellantur, et ut Causidici ajunt, habent Signaturam in ventre, dummodo tamen illis subsint, sin vero ad Sacram Consultam, seu ad Signaturas.

Proponitur etiam haec Commissio antequam Causa sit in-

instructa, et facillimè tunc Signatura Justitiae alteri Causam committit; quum vero agitur de causa, jam instructa, difficilius quippe rescribere solet, si liquidò de legitimis recusationis causis non constet; et optima quidem ratione id a Signatura fieri affirmamus, quia, ut scripsit *Marchesanus* (1), alias aperiretur via non modo fraudibus, verum, et litium immortalitati; et quum Judex informatus, Causam expedire vellet, utique, si, eo suspecto allegato, alter daretur, in infinitum lites protraherentur. Quando vero causa dicatur instructa, dum de Rescriptis avocatoriis verba faciemus, adnotare duximus.

Alia similis commissio propter absentiam, vel promotionem etc. quae, et subrogatoria dicitur.

Romana

Beatissime Pater.

Pendente in gradu Appellationis Causa coram R. P. Franciotto inter A., et D. dictus R. P. Franciottus non ita citò rediturus a Curia se absentavit, vel ad Cardinalatum, vel ad Episcopatum fuit a S. V. promotus; et quia dicto Oratori valdè interest Judicem habere, coram quo citius possit ad suae Causae expeditionem devenire; ideo humiliter supplicat S. V., quatenus praevia quacumque avocatione Causae, et Causarum hujusmodi, quatenus opus sit, in locum dicti R. P. Franciotti absentis (sive ad Cardinalatum, vel ad Episcopatum promoti) alium Romanae Curiae Praelatum illi benè visum, vel de consensu partium in statu, et terminis, in quibus Causa reperitur, ac juxta formam aliarum commissionum in actis praesentatarum subrogare dignetur, cum facultate citandi, et inhibendi etc.

De Commissionibus super moratoriis dilationibus, alternativis, et cessione bonorum.

Commissio Cessionis Bonorum.

Nepesina.

Beatissime Pater.

N. N. Sanctitatis Vestrae, Orator ob diversa infortunia absque propria culpa, et ob quamplurimas fidejussiones factas, et solutas reda-

(1) *De Commiss. de adjunctis dandis cap. 1. n. 12.*

redactus est ad summam inopiam ; et quamvis omnia sua bona creditoribus consignaverit , et ipse diligentiam omnem adhibuerit caeteris satisfaciendi , vel illos concordandi , id tamen difficile fuit ob dictam inopiam ; hinc ne vigore mandatorum , quae forte creditores sui in manibus habent , carceribus mancipetur , ibique vitam miserrimè expleat cum maximo suo , ac familiae damno , et cum nulla creditorum utilitate , quibus impossibile est dare , quod non habet ; statuit , ut a praemissis se liberare possit , ad infelicem bonorum cessionem devenire ; qua de re humillimè supplicat S. V. , quatenus dignetur committere , et mandare Gubernatori Civitatis Narniae , ut dictum Oratorem ad praefatum beneficium cessionis bonorum admittat servata forma motus proprii , et prout de jure , et non alias etc. admissum manuteneat etc. cum potestate citandi etc. (in fine vero adjiciatur) : *quoniam extra Curiam , et cum absolutione a censuris , et per breve S. V. etc.*

Indubium est , debitores , quum alieno gravati ære reperiantur , nè carceribus mancipentur , ad Pontificem recursum habere , qui ex sua beneficentia nonnullas dilationes ad tempus vigore Commissionum , seù moratoriarum sub diversis modis , et formis , secundum personarum , temporum , seù negotiorum qualitatem , concedere solet ; eapropter Commissiones hujusmodi tanquam gratiosae in Signatura Pontificis , sive Gratiae proponi solent , ac in eis exprimitur , ut *committatur A. C. , quod constito de consensu majoris partis Creditorum , tam in numero personarum , quam in quantitate debiti , petitam dilationem concedat , qua pendente Oratorem in bonis , vel persona molestari non posse mandet , et caeteros Creditores , concordiae praefatae stare renitentes , ad ipsam acceptandam juris , et facti remediis opportunis cogat , et compellat .*

Quum verò bonorum cessio a debitoribus obaeratis petitur , et Commissio proponitur in Signatura Justitiae , non aliter signatur , nisi cum clausula : *servata forma Motus proprii Pii* V . , quo cautum fuit , ut ad praedictam Cessionem admissus , infamiae loco viride Biretum , sive Pileum gestare teneatur ; si igitur dictum Pileum Commissionem Cessionis impetrans deferre noluerit , in Signatura Justitiae instare non debet , neque signandam porrigere dictam Commissionem ; quia si formam Motus

tus proprii non servat, citatur ab Adversario ad legitimè comparendum coram Judice, cui directa Commissio est; et, si cum viridi pileo non compareat, Commissione non obstante, mandata contra ipsum exequuntur, et ad caeteras pœnas, in dicto motu proprio contentas, proceditur; eapropter, ne quis deferre viride Pileum cogatur, Commissionem proponere in Signatura Gratiae, ac in illa derogationem antedicti motus proprii de non deferendo pileum, expostulare debet.

Et ex eo quia Commissio cessionis bonorum, cum infamia ex delatione pilei viridis conjuncta est, Nobilibus, et caeteris honestis personis dari non solet, quia persaepe eam non petunt; iis namque, quum nobilitati aliquid deferendum sit, dilationibus, sive moratoriis jam dictis, ex Principis indulgentia, juxta status, et facti qualitatem, succurritur, et maxime si filias habeant nubiles, quibus patris infamia praejudicium illud irrogaret, virum non inveniendi; diximus enim a Principe hujusmodi dilationes expetendas esse, quia gratiam respiciunt; proindèque in facultate non habet Justitiae Signatura illas concedere, nec ullo unquam pacto ab illa rescribitur, nisi a Principe ipso eidem peculiaris facultas demandetur.

Dubitatum aliquando fuit, an Commissio Cessionis bonorum a Judaeis impetrari possit; quae quidem dubitatio ab ea vulgari opinione ortum habuit, Judaeos nempe, tanquam Christiano nomini adversantes, ab omnibus privilegiis, a Jure indultis, arcendos esse; attamen *Marchesanus* (1) humanitate summa rem omnem definivit, eo juris principio innixus, quod sicut Judaei jure communi utuntur, et ligantur, juxta sensum *Leg. Judaei Roman. Leg. nemo Judaeorum Cod. de Judaeis*, ita, quum eodem communi jure miserabile cessionis beneficium omnibus indultum sit, eisdem denegatum censeri non debeat; alienum quippe ab humanitate est, si tanquam naturae participes, ac proximi nostri non reputentur; prout animadvertunt *Abbas in cap. Judaei n. 3. et Natta in suis Consiliis* (2).

Ff 2 Com-

(1) *Cap. 2. p. 2.* (2) *Cons. 20.*

Commissio pro obtinenda admissione ad beneficium Cap. Odoardus.

Civitatis Castellanae.

Beatissime Pater.

Exponitur humillime S. V. pro parte devoti S. V. Oratoris N. N. Presbyteri seu Clerici Civitatis Castellanae, quod cum ipse maximo ære alienò sub arctissimis Clausulis, ac etiam obligatione Camerali contracto, gravatus reperiatur, adeoque pauper existat, et suis Creditoribus satisfacere nequeat, et nisi S. V. aliquo ex beneficiis Canonum, qui incipiunt Odoardus, seu Pervenit, subveniatur, Carcerum servituti adjicere, et in illis diem claudere extremum, vel mendicare coactus erit in maximum Presbiteralis Dignitatis, vel clericalis Ordinis opprobrium; ideo dictus devotus S. V. Orator humiliter supplicat S. V. quatenus dignetur committere, et mandare Episcopo Civitatis Castellanae, seu ejus Vicario Generali, ut constito de ipsius Oratoris paupertate, eumdem ad alterum ex dictis beneficiis, prout de jure, admittat, admissumque tueatur, et defendat, nec amplius in Persona molestari permittat, et assignata eidem Oratori ex fructibus bonorum suorum, vel ecclesiasticorum, vel secularium, si quae sint, portione congrua pro victu, et sustentatione necessaria, cum facultate citandi, inhibendi quos, quibus, quoties, ubi, et quando opus fuerit, et quatenus in carceribus mancipatus reperiatur, etiam in primis, et ante omnia, prout de jure excarcerandi, cæteraque in praemissis necessaria, et opportuna facien., exercen. praemissis, necnon Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque in contrarium non obstantibus quibuscumque, statum etc. pro plene etc.

Quoad hanc Commissionem animadvertendum est, quod a sententia declarante beneficium *Cap. Odoardus*, et salvam personam, itidemque assignationem congruae sustentationis non competiisse, neque competere in casu de quo agitur, non datur appellatio sub banca, sed debet adiri Signaturam plenam, quae rescribere solet: *de appellatione non retardata executione mandati*. A sententia verò, admittente dictum beneficium *Cap. Odoardus* datur appellatio sub banca; ut videre est apud *Capucc.* (1), qui refert praxim hujusmodi processus.

Com-

(1) *to. 1. par. 3. cap. 13. art. 6. num. 158.*

Commissio pro Septuagenaria.

Auximana.

Beatissime Pater.

Quum Devotus S.V. Orator N.N.(de tali loco), ob temporum infortunia, aliosque sinistros eventus reperiatur valde ære alieno gravatus etiam sub usuris cum diversis personis in executione praesentium nominandis, et cognominandis, etiam vigore obligationis Cameralis, seu obligationum Cameralium juramento, seu juramentis vallatarum, quarum vigore dicti praetensi Creditores respectivè, diversa mandata executiva tam in Curia A. C., quam extra eam contra ipsum Oratorem relaxari obtinuerunt, seu etiam obtinere praetendunt: Verum quia P. S. Orator praedictus ob illius ingravescentem aetatem annorum septuaginta, et ex malis, quae a senectute causantur, si carceribus mancipari contingat, potius in illis marcescet, et morietur, quam valeat dictis Creditoribus satisfacere. Ideo humiliter supplicat S. V., quatenus ex benignitate Apostolica, dignetur committere, et mandare A. C., ut sibi legitime constito, quod dictus Orator septuagesimum annum attingat, inhibitionem, seu non gravetur perpetuum, ne quoad ejus personam tantum, a praedictis ejus Creditoribus molestetur, concedat, concessum servari mandet, et faciat, cum facultate eosdem citandi, etiam domi dimissa copia, et iisdem inhibendi sub Ecclesiasticis Censuris, aliisque poenis ejus arbitrio infligen., et moderan. juxta suas Ordinarias facultates etiam singulis diebus, et horis praeterquam in honorem Dei feriatis, et absque confectione Regesri, seu extractus, et absque sportularum solutione, ceteraque omnia, et singula facien., dicen., geren., exercen., et exequen. in praemissis, et circa ea quomodolibet necessaria, et opportuna, praemissis, necnon Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, stilo Palatii et Curiae, praefatis obligationibus Cameralibus, et juramento, seu juramentis quotquot sunt vallatis, mandatis illorum vigore relaxatis, vel inposterum quandocumque relaxandis, per quaecumquae Tribunalia, tam Curiae, quam extra, et cum quibusvis exequatur fortasse relaxatis, seu in posterum relaxandis, et terminis forsan ad solvendum susceptis, obligationibus de se repraesentando in Carceribus, etiam cautionibus, et juramentis firmatis cete-

caeterisque in contrarium facientibus non obstantibus . Statum etc. pro plene etc.

De Forma, qua proceditur pro obtinendo dicto Beneficio septuagenariae fusius loquitur laudatus *Capucius* (1).

Quum agitur de *appellatione a futuro gravamine*, in casu nempe quo comminetur alicui in carcerem conjectio; priusquam haec sequatur, juxta *decreta* Clementis VIII. Tribunal A. C. facultatem habet eam admittendi privativè quoad aliud Tribunal. Et proindè quatenus doceat inquisitus, periculo carceris defungi, A. C. concedit eidem *litteras Compulsoriales*, quibus praescribit *udici in partibus* trasmissionem actorum in statu, et terminis, in quibus reperiuntur, inhibendo ne interim aliquid innovetur. Transportatis actis in *Congregatione A. C. in Criminalibus*, ad examen revocantur tantummodo indicia, si quae sint pro legitima, et justa carceris comminatione. Et quatenus ea comprobata sint, tunc A. C. moderatur easdem Compulsoriales, et remittit Causam ad eumdem Judicem. A qua quidem moderatione quemadmodum non admittitur appellatio ordinaria, et idcircò citare oportet coram Auditore Signaturae *ad videndum signari Commissionem cum clausula de appellatione adversus judicatum Tribunalis A.C.*, fit ab eo solitum decretum: *obtinuit servata forma Constitutionum Apostolicarum*; cujus quidem decreti habito a publico Notario Causae testimonio, idipsum in Commissione facienda transcribitur, et in ea fit petitio, quod appellationis Causa committatur: *Alteri ex Tribunalibus Collegiatis*; ex eo quia Causa examinata, et definita fuit a *Congregatione A. C. in Criminalibus*, quae efformatur *ab Auditore Camerae*, duobus *Praesulibus Assessoribus*, *A.C. met*, et Locumtenente criminali, votum decisivum proferentibus.

Demum praeter Commissiones hactenus recensitas, quae plena in Signatura proponuntur, sunt et aliae, quae, ut diximus, expediuntur sub *Banca*. Hae siquidem locum habent in Causis, in quibus de jure admittitur appellatio, et nulla super ea oriri potest controversia, praesertim in prima instantia, et etiam in ulterioribus instantiis, quando nempe quilibet colliti-

(1) *in praxi par.3. c.14. art.1. 2. tom. 1.*

tigans duo uniformia judicata ſavorabilia habuerit; prout evenit in *Causa Trevirensi* inter *Communitatem Waltracensem*, et *Caselensem* super reaedificatione Ecclesiae Matricis *in Waltrach*. Postquam enim a Judice Ordinario lata fuit sententia adversus *Communitatem Caselensem*, haec reclamavit appellatione proposita coram *Nuncio Pontificio Coloniensi*; a quo in secunda, et tertia istantia revocata fuit prior sententia Judicis Ordinarii. Ab his duobus judicatis *Nunciaturae* appellavit altera Communitas ad Romanam Curiam, obtinuitque Commissionem appellationis per Breve, directum *Decano, et Archidiacono Ecclesiae Trevirensis*, qui dicta duo intermedia judicata *Tribunalis Nunciaturae* revocarunt, et confirmarunt illud judicis Ordinarii. In hoc rerum statu, *Caselensis Communitas* appellationem *sub Banca* in Romana Curia proposuit sub die 16. februarii 1771. et obtinuit appellationis Commissionem per Breve, directum *Officiali Archiepiscopi Coloniensis, et Decano Collegiatae Ecclesiae SS. Apostolorum* dictae Civitatis.

CAPUT IV.

De ordine Scripturae, et Informationis ante propositionem Causae.

QUum in Romana Curia, quae non pauca a Romanae Reipublicae judiciis adoptavit, laudabilis vigeat consuetudo illa, ut diversa in Causis agendis munia sint Procuratoris, et Advocati, proindèque, diversam pro Litigantium defensione cujuslibet scribendi rationem esse, nonnulli censeant, praefari hic meritò duximus, quantum nempe Procuratoris facultas, sive munus, ab illo Advocatorum distet. Equidem Procuratores, vulgò Curiales appellati, instructores judiciorum sunt; itaut ad eos pertineat Commissiones componere, monitoria, et libellos, articulos, positiones, caeteraque acta judicialia conficere; processu jam instructo, illum percurrere, et quatenus opus sit, *discursum*, ut ait *De Luca*, *efformare pro congressibus fieri solitis pro Causarum directione, ita instruendo Advocatos de illarum statu, atque promovendo motiva etiam juris*. Indubium verò est, illos etiam scribere pro defensione Causarum, et scriptu-

pturas conficere, quae dicuntur informationes facti, quaeque profectò variis rationum, et jurium momentis refertae sunt; immo ex eo quod plurimum se extendunt in illa, quae juris sunt; damnabilem abusum esse censuit laudatus *De Luca* (1), dum ita *a partibus ingenii, quae magis gratae sunt, allecti, seu abstracti, ab inferioribus, minusque gratis partibus, diligentiis, et accuratae lecturae processus, et indagationis facti distrahi solent cum praejudicio Causarum; ideoque eorum praecipuae partes esse debent in diligenti studio processus, atque indagatione facti, brevi quidem, sed accurata, et diligenti enarratione excitando solum motiva, ut Advocati suppleant cum doctrinis, et rationibus*.

Attamen si rem, ut par est, perpendamus, de hujusmodi Procuratorum consuetudine dolendum admodum non est; nam Advocati non in omnibus Causis scribunt, sed tantummodo ab iisdem Procuratoribus requisiti, quum vel causa magni momenti sit, vel difficultatibus involuta, aut a Judice in decidendo dubium aliquod in puncto juris excitetur, sive aliqua praejudicialis provisio ab eodem capta fuerit; extra enim hos casus quotidie scribunt Procuratores in Causis, et Clientum instantias, ac actiones fovent, non modo ex facti circumstantiis, verum ex Jure, quod a legum dispositione, decisionum Rotae, et Doctorum auctoritate deducunt. Judiciales namque controversiae non respiciunt tantummodo factum, sed legales etiam articulos, qui ex ipsomet facto eliciuntur; itaut, quando a Judice ferenda sententia est, facti circumstantiis plenè rimatis, de jure, an, et cui competat, vel nè, cognitio instituitur; his positis ecquis sanae mentis asserat, a Procuratoribus in scripturis factum simplicitèr esse exponendum, illosque a Juris dispositionibus abstinendos esse; quum defensionis calor id sua natura exigat, ut quaecumque rationum, et jurium momenta ad victoriam reportandam in medium proferantur.

Nec ratione illa abstractionis a recta processuum compilatione, quae ab eodem *De Luca* proponitur, rectè damnare quis potest tanquam abusum praedictam consuetudinem Procuratorum; nam in

(2) *Part. 2. Relat. Curiæ disc. 46. n. 99.*

comperto satis est, Procuratores peritissimis Juvenibus abundare, quorum operâ omnes utuntur in conficiendis spoliis, ac Summariis processuum, et Jurium productorum; quae quidem spolia, et Summaria, pro certo est, prae oculis ab eisdem semper haberi. Demum ita res haec componenda venit, ut Procuratorum liberum sit arbitrium etiam in jure scribendi, nam aliquando ita scribunt, ut Advocati nihil novi eorumdem Scripturis adjicere possint.

Quum Paulus V. sua constitutione sub *datum kal. martii* 1611. decrevisset, quod ii tantum ad procurandum in Tribunali Rotae admitterentur, qui doctrinae, et morum examen subiissent, et per ipsius Rotae Decanum adhibitis duobus, vel tribus Procuratoribus, ad id deputandis, approbati fuissent; eamdemque sanctionem, servandam esse, jussisset, quoad eos, qui procurare vellent in Tribunalibus Gubernatoris, Auditoris Camerae, Vicarii, et Senatoris, itaut eodem modo, et forma a Superioribus dictorum Tribunalium examinandi essent. Benedictus XIII. sua peculiari constitutione *sub datum* IV. *kal. maii* 1728. illam innovando extendit ad eos, qui ad procurandum admittuntur in Tribunali Signaturae Justitiae, tributa facultate examinis Decano ejusdem Signaturae; id tamen intelligendum esse statuit de iis, qui a Rota approbati non fuissent; nam omnes alios, qui ab ea fuerint admissi, in praedictis Tribunalibus absque alia approbatione causas patrocinari posse declaravit. Utque Procuratores qui approbati essent, omnibus Notariis, et Judicibus innotescerent, voluit etiam, quod eorumdem nomina, et cognomina describerentur in peculiari libro, qui liber Procuratorum illius Tribunalis nuncupandus, et publicè retinendus esset in officio Notarii cujuslibet Tribunalis (1).

Advocatorum vero munus, dum in Causis scribunt, est, facti serie jam pro certo habita, vel sin melius judicaverint, illa breviter recensita, Doctorum auctoritatibus, et Legum dispositionibus comprobare omnia rationum momenta a Procuratore excitata, nè ea derelinquendo, Judex opinetur, nullius fuisse ponderis; et deindè ab ipsomet scripturarum summario, a Pro-

(1) *In Append. pag.* 68.

curatore sibi oblato, alia deducere, si quae sint, motiva non excitata, et rerum judicatarum auctoritate, vel Legum, ac Doctorum interpretatione muniri; quibus omnibus peractis, Adversarii objectiones ab iisdem soſvendae sunt. Pro certo tamen habetur, quod in Curia Procuratores Advocatorum opera utuntur, dum, nempe, agitur de puncto juris ambiguo, et disputabili, et quando Procuratores ipsi agnoscunt suas vires non sufficere. Hinc facile unusquisque percipiet, in scribendo modicam esse differentiam inter Advocatos, et Procuratores, et pene nullam inter eos, qui de *Collegio* appellantur, et Patroni Causarum Palatii Apostolici dicuntur.

His omnibus praemissis ad ornatum potius, quam ad rei opportunitatem, quum perrarò Advocati scribant in Signatura Justitiae, ex eo quia quaestiones illae, vel circa factum versantur, vel circa Juris articulos undique notos, ipsius facti circumstantiis applicandos; et si aliquando illi ad scribendum sint rogati, id a Procuratoribus potissimum agitur ad conciliandam Causae, et controversiae, existimationem. Ad rem igitur ut veniamus, Causarum Patroni, sive Procuratores ante omnia Summarium conficere debent, hoc est Instrumenta, et caetera documenta, ut in Curia appellantur, jam in actis producta, in ordinem redigere, illorumque summam, quae ad Causam pertineat, numeris, vel litteris distinctam transcribere; quo peracto, illudque prae manibus habendo, defensionis Scriptura est efformanda; et perperam agitur ab aliquibus, qui post peractam Scripturam Summaria conficiunt, nullo sane pacto optimae defensionis systema efformari potest, si documentis, unde defensio elicienda est, quidam ordo primo loco non detur; fundamenta enim defensionis sunt instrumenta, quae si prius non construantur, aedificium quomodo recte elevari possit, nescimus.

In cujus quidem Summarii fronte Commissio primum omnium, juxta qualitatem Causae confecta, ac transmissa Parti adversae, describenda est, deinde verò copia sententiae, sive decreti a quo reclamatur; et adeo necessarium ordinem hunc Summarii conficiendi existimavit Eminentissimus *Scotti*, ut quodam peculiari *Edicto sub die septima augusti anni* 1721. pro observantia alterius *Edicti* ab eodemmet evulgati, *sub die* 12. *Januarii* 1719. statuit, a Procuratoribus omninò in primae Infor-

formationis Summario describendum esse decretum, a quo appellatur; eosdemque transgressionis pœnas non evasuros, decretum sive Sententiam exhibendo in manibus Causae Ponentis, aut in Responsione, quae post primam Informationem in scriptis fieri solet; et ulterius nullam rationem habendam esse ejusdem Decreti, sive Sententiae, contra formam superius expressam exhibitae; poena vero Procuratorum ea est, ut qui in Causa scripserit, teneatur de proprio omnes expensas reficere arbitrio Eminentissimi Praefecti applicandas. Anno deinde 1726. hujusmodi sanctione renovata, ut certus haberetur debitor rerum omnium, quae tam in Informatione, quam in Summariis exponuntur, decrevit, ut tam Summarii, quam Informationis exemplaria, quae Eminentissimo Praefecto, sive, ut hodie in usu est, Auditori traduntur, a Procuratoribus subscriberentur proprio eorum charactere, sub pœna scutorum quatuor, aliisque arbitrariis.

Cardinalis *Salviatus* etiam, sub *num.* v *Edicti anni* 1731. praescripsit, ut in Summariis Commissiones de verbo ad verbum collationatae sub numero primo, et in subsequenti numero Decretum, pro quo petitur Commissio, per extensum adnotari debeant, alias Causae illae non proponentur, et Procuratores, ita deficientes, dicta poena, aliisque arbitrio suo reservatis mulctarentur. Novissimè verò in *capite* xx. *Decretorum anni* 1742. (1) praescriptum legitur, quod Causidici, omnes decretorum, sive sententiarum, a quibus reclamatur, copias in Summariis transcribentes, id potissimum observare debeant, ut nempe in eis summa fidelitate, et claritate adnotetur dies, mensis, et annus, in quibus singula acta confecta fuerint; nam si aliter fiat, absque ulla spe remissionis subjiciuntur consuetae poenae scutorum quatuor, Congregationi Beati Ivonis applicandae; idipsum servandum sub eadem poena statuitur quoad Instrumenta, Testium depositiones, ac caetera documenta, quae ad Causae opportunitatem in dictis Summariis collocantur.

Scriptura vero, sive, ut vulgò appellatur, Informatio in scriptis, praemissa prius notitia Civitatis, in qua, sive in ejus Dioecesi acta primo loco fuit Causa, ac qualitatis ejusdem,

Gg 2 Fi-

(1) *In Append. pag.* 87.

Fideicommissi nempe, *Donationis*, *Beneficii* etc. necnon solito honorificentiae titulo, idest *Reverende Pater*, conficitur, breviter factum exponendo, illiusque substantiales circumstantias, quae ad petitionis justitiam conducunt, omissis solemnibus illis praefationibus, quae alibi in usu sunt, et verè damnabiles existunt, et eadem laudabili brevitate instantiae Justitiam fovere, vel legibus, vel statutis, vel rerum judicatarum, et Doctorum auctoritate; postremo deinde loco, si quae sint dubia, clarius ea solvenda sunt, ut de rei veritate satis constet, nullaque titubatio apud eos, qui suffragia ferunt, remaneat. Haec omnia Scripturae ordinem, ac methodum respiciunt, superest, ut de vitiis scribendi disseramus; iis enim cognitis, nulli dubium est, recte scribendi facultatem adipisci, quae quidem felici Causarum eventui haud parum conducit.

Inter scribendi vitia meritò recensemus verbositatem illam nimiam, qua in exordio Scripturae utuntur quamplurimi ad ostendendam eruditionis peritiam, dum nempe de antiquitate Civitatis, si Causa de Jure metropolitico agatur, aut de praestantia alicujus familiae, si de Fideicommisso, fusius disserere student. Oportet enim in genere scribendi Judiciali exordium sumere a facti specie, nihilque superfluum in medium proferre, quodeo vel magis nobis cordi erit, si perpendamus, non unam esse Causam, de qua suffragium ferre debent Signaturae Judices, nec multum temporis illis elargiri pro studio Causarum; eapropter inutiles illae de rebus, Causae articulum non tangentibus, praefationes id agunt, ut fastidientes Judices aut reliquum Scripturae perlegere, ac ponderare juremerito abhorreant, aut omnium Causarum accuratae cognitioni satisfacere non possint.

Æque ac verbositas, vitium est prolixitas in reliquo Scripturae, ea enim majori fastidio Judices afficit, et aliquando controversiae summam ita confusam reddit, ut defensionis argumenta enerventur; et è prolixitate, meritò ait Cardinalis *De Luca* (1), praejudicium summum Causis ipsis oritur, ex eo quia Judices cum vident Scripturas nimium prolixas, facilius ab

(1) *Cap. 3. dello Stile legale*.

ab earumdem studio se abstinent, aut suspicantur, hujusmodi prolixitate uti Procuratores ad Causae turbiditatem; qua de re damnabilis consuetudo illa prolixius scribendi semper habenda est, et nihil melius optimam defensionem Causae constituit, quam strictim, aptè, et ornatè scribere; et adeo in Romana Curia prolixitas damnatur, ut etiam poenali sanctione vetita sit; et revera in *capite* XXI. *Decretorum Collegii Signaturae anni* 1742. ita praescriptum legitur: *Caveant sollicitè iidem Procuratores ne in scribendo ab antiqua, et laudabili Romanae Curiae brevitate deflectentes, superflua, nimiumque litigantibus dispendiosa prolixitate utantur; si quis verò moderatae mensurae limites excesserit condignè Tribunalis arbitrio puniatur*.

Intelligi tamen debent haec omnia, de prolixitate dicta, ut tantum ab inutilibus abstineamus, neve iis in rebus evagemur, quae extra propositum sunt; nam aliquando argumentorum multitudo id exigit, ut brevitate non utamur; vel facti relevantes circumstantiae, plures, ac varios nobis praeparent Juris articulos, de quibus juremerito verba facienda sunt; tunc enim prolixitas culpanda non est; hinc *Venusinus Poeta* ajebat, res illas prolixas non dici, a quibus demere aliquid quisque non possit; et hac in re animadvertendum est, ne nimiae brevitatis studio in aliud obscuritatis, nempe, vitium incurramus; omnia quippe extrema, a Philosophis didicimus, vitiosa esse, virtutemque in medio consistere.

Diximus supra, ab inutilibus abstinendum in scribendo esse; et proinde hic videndum duximus, quid inutile prorsus sit; equidem primo loco recensemus abusum illum jura allegandi iis in rebus, et principiis, quae notoria sunt, nullamque Partis contradictionem recipiunt, ut nempe, *an possessori anteriori danda sit manutentio*, quod *litterae Apostolicae justificatae sint exequendae*, *sub nomine filiorum veniunt nepotes*, aliaque ejuscemodi, lippis, ac tonsoribus nota; quae quidem allegationes inutiles prorsus sunt, paginasque his, et similibus implere supervacaneum profecto reputatur; immo laudatus *De Luca* fatuos appellat eos, qui auctoritates congerere student ad comprobandas antedictas assertiones, quae quum Judicibus satis notae sint, injuria quaedam iisdem irrogatur, fermè ac de illis edocti non essent.

Et

Et quamvis *Constantinus* (1) ostendere conetur, Advocatos in omni, et quocumque eorum dicto, debere allegare legum auctoritates, eo praesertim axiomate procedendo, quod Doctori aliquid dicenti, ac scribenti, si dictum suum non probet lege, vel ratione, non sit credendum, et turpe esse aliquid sine lege dicere; attamen unusquisque optime noscit, illum sequutum hac in re fuisse morem vulgarium Pragmaticorum, qui, ut leguli ab omnibus existimarentur, paginas impleverunt assiduis citationibus Auctorum, itaut illae magnam, ac praecipuam operum partem, ut hodie passim observamus, absorbeant, et summam sibi laudem conciliare crediderunt in consarcinatione legum, decisionum, et auctoritatum; quod perniciosum, ita dicamus, institutum hac nostra tempestate, in qua litterarum et scientiarum culturae faustissimus dies illuxit, apud optimae notae Auctores in usu esse desiit; et proinde eorum vestigia sequenda esse, pro jure certo habetur.

Inutilem etiam reputamus laborem illum assumendi, nempè, disputationem in puncto juris alicujus legalis articuli, qui nodosas retroactis temporibus involvebat quaestiones, itaut ad dignoscendum quaenam opinio verior esset, vel magis communis, aut rationi congrua, majoribus nostris disputandi onus incumbebat, et numericas idcircò auctorum classes, ac *litanias*, ut ait *De Luca*, retexere conabantur. Quae quidem quaestiones, quum compositae jam reperiantur, vel rerum judicatarum auctoritate, vel summorum, ac peritissimorum hominum consultationibus, dum una ex opinionibus pro regula firmiter constituta est, altera verò pro limitatione, nulla proinde suppetit necessitas in casu occurrenti, disputationem, ut diximus, assumendi in puncto juris; et tamen quotidie experimur Procuratores aliquos, quando casus ita ferat, magnum apparatum constituere in exponendo similes quaestiones, et enarrando varias opiniones, limitationes, et ampliationes; exacta deinde dicta inutili enarratione descendunt illi ad applicationem regulae, limitationis, vel ampliationis, quod quidem ab initio agendum esset.

Et de

(1) *Ad Statut. Urbis annot.* 63. *art.* 2. *n.* 207.

Et de re, undique dubia, etiamsi agatur, litium defensioni haud servire certum est cacoethem illam cumulandi innumeras auctoritates, vel propria, vel aliena lexica, sive repertoria compilando; nam, ut recte *De Luca* in opere pluries laudato animadvertit, Causarum decisio pendet a qualitate conclusionis, quae in medium affertur, et a qualitate auctoritatum, quibus ea firmatur; existentibus enim recentioribus Decisionibus Rotae, a quibus abundè, et data opera, conclusio illa firmata forsan sit, et quia, ut moris est, in eisdem allegantur quamplurimae auctoritates, eas transcribere inutile omninò esse credimus, quum illae commodè videri possint in eisdem Decisionibus. E dicta consuetudine, transcribendi cumulum auctoritatum passim in qualibet assertione, illud praejudicium oritur, ut fidem Collectorum sequendo, aut proprii Repertorii, illarum pars magna extra propositum sint; et utinam aliquando ab eis, tanquam penitus contrariis, arma defensionis non sumeret Adversarius, quod facillimè evenire potest, ex eo quia Doctores juxta recentem stilum persaepe loquuntur in forma dubitandi, itaut exinde contrarium concludant; eapropter opus est, ut priusquam auctoritates transcribantur, illae summò judicio ponderentur, et accuratè in Auctorum libris recognoscantur; ita enim si agatur, facile experietur quisque, nec decem inter centum auctoritates ad Causae opportunitatem aptas esse.

Transeamus modo ad consuetudinem illam, qua delectantur aliqui, quamvis pauci in Romana Curia allegandi, nempe, in Scripturis integros versus Poetarum, sententias Theologorum, et alia ejusmodi; et hac in re discriminatim procedendum est, et si causae necessitas ita exigat, illiusque decisio pendeat a rebus tangentibus dictas facultates, similes allegationes facere, frustraneum profectò non erit; et si ad ornatum tantummodo fiant, nemo sanae mentis id rectè fieri existimabit, dum prolixiorem Scripturam reddunt, et defensionis argumentum interrumpunt; nec omninò relevat asserere, ad Judices delectandum id facere quosdam consuevisse, nam in Causis defendendis non delectare, sed Causae prodesse, animumque Judicis movere debemus.

Nihil hic dicimus de contumeliis, sive conviciis, quibus aliquando in Scripturis Defensores contrarii afficiuntur, nam

unus-

unusquisque sat intelligit, id nihil utilitatis Causis ipsis afferre; immò parum honestos censendos esse illos, qui talibus utuntur; hinc ille, qui, ut par est, muneri suo satisfacere in scribendo velit, suamque existimationem tueri, ab his, et similibus rebus abstinere se omninò debet, semperque obsequium omne Adversario profiteri, ex quo juribus, non jurgiis, legibus, non libellis famosis, debent Causas defendere Advocati, et Procuratores; secus infamiae notam eos incurrere certum est ex *Leg. Quisquis Cod. de postulando*, quam refert *Perezius* (1), et post eum *Xammarus* (2). Propterea Summus Pontifex Benedictus XIII. in sua Constitutione (3) expresse statuit, ne ultra quod Causae exposcit utilititas, in licentiam conviciandi, et maledicendi temeritatem quisque prorumpat; et alia de causa etiam comprobat *Xammarus*, Advocatos, et Procuratores esse abstinendos a dicta ratione scribendi, nam si petulantia, jurgiis, ac contumeliis Causas defendant, uti procaces, temerarii, ac impudentes in loquendo, et scribendo, audiunt persaepe, ait ille, quod non volunt; qua in re nec spernenda est animadversio illa *Ursajae* (4), sequentibus verbis expressa: *quod quando minuti Curiales vel excedunt modestiae fines, tam in informationibus in voce, quam in scriptis, vel factum subdole alterant, severe contra ipsos, et merito, proceditur in omnibus Urbis Tribunalibus, a quibus aliquando demandantur illorum capturae, una cum suspensione ab exercitio scribendi, ut practicavit S. Rota die* 3. *decembris* 1696., *rescribendo, N N. suspendatur ab exercitio scribendi, et contra N. N. relaxetur mandatum de capiendo*; *aliquando vero puniuntur sola suspensione scribendi ad beneplacitum Tribunalis, ut practicavit Signatura Justitiae die* 18. *septembris* 1704. *rescribendo, si quid exequendum, et amplius, suspenso N. N. a scribendo ad beneplacitum Tribunalis*; *aliquando demum moneri solent vel simpliciter, vel acriter, juxta facti qualitates*.

Summam inutilium rerum, quibus omnino in scribendo cavere

(1) *Ad ordinationes Regni Castellae tom.* 1. *lib.* 2. *tit.* 19. *leg.* 2.

(2) *P.* 2. *qu.* 1. *num.* 19. *de Officio Advocatorum*.

(3) §. 1. *Bullar. nov. tom.* 1. *et in append. p.* 69.

(4) *Lib.* 2. *tit.* 10. *n.* 113. *Instit. Crimin.*

re oportet, usque adhuc attigimus, reliquum est, ut de utilibus sermonem instituamus. Et primum utilitatem summam affert Causae defensioni, si scribatur stilo mediocri, et claro, itaut mens Judicis non defatigetur tortuosis illis periodis, ac verborum ornatibus; eapropter, *De Luca* nos docet, in scribendo a Procuratoribus id prae oculis habendum, ne verbis obsoletis utantur, immo juxta fori receptam consuetudinem scribere studeant. Hic tamen, ne quis credat, nos delectari illo corrupto, et incompto forensi stilo, animadvertimus, operam omnem adhibendam esse, ut stilus scribendi clarus sit, eodemque tempore ornatus, et cultus; tantummodo culturam illam, et elegantiam non esse admittendam, quam caetera scribendi genera suapte natura exigunt, et oratoriae artis regulae praescribunt; hinc propriae facultatis voces, ac notiones adhibendas esse affirmamus, et eas potissimum, quas in foro haud novas esse comperimus; ita enim Judicis intellectus, (ait idem *De Luca*) cujus praecipua operatio est in rerum intelligentia, non alienatur in cognitione frasium, aut verborum obsoletorum.

Utilis et etiam est defensioni expositio omnium argumentorum, quamvis debilium; experientia siquidem docet, ex eo quia ingeniorum varia indoles est, et non omnibus omnia satisfaciunt, aliquando Judicibus in suffragiis ferendis arridere magis argumenta, quae nos debiliora, ac infirma existimamus, itaut illa ab eisdem validiora censeantur; merito igitur saepius laudatus *De Luca* reprehendit Defensores illos, qui eo magis scribendo in Tribunalibus Collegiatis, prout est Signatura, quum habeant plura argumenta, caeteris relictis, ad ea, quae meliora sibi videntur, omnino se convertunt, et ita student regulam judicio, et gustui aliorum praescribere, quam sibi ipsis indicunt. Methodum vero in argumentis disponendis eam esse oportet, ut ante omnia initium sumant Defensores a validioribus, e quibus optimum Causae judicium prima fronte efformare incipiant Judices; alias ex debilibus, vel fallacibus argumentis sive *motivis* sinistram efformando opinionem, negligent meliora, ac solidiora fundamenta, quae subjiciantur; attamen quando agitur cum Judicibus, summi ingenii acumine donatis, ac in legali facultate ita peritis, ut justo secernere iniquum optimè calleant,

praesto equidem illis est cognitiò validioris argumenti, et magis apti Causarum resolutioni.

Nescimus verò, quomodo aliqui asserant, utile esse aliquando, in scribendo uti versutiis, cum subtilitatibus procedere, et decipere, dummodo falsa non allegantur; hoc enim consistere nullo pacto potest, quum si a falso abstinendum sit, nulla suppetit cuique decipiendi facultas; nec decipere dicitur, si verum, ut par est, exprimatur, et jura veris facti circumstantiis applicentur. In scribendo idcirco honestatem, veritatis ministram, amare summopere debemus, nec juvat quidquam in defensione ars decipiendi, quum facillime fraudibus detegendis aditum praebear facultas proponendi denuo Causam, prout est in Signatura; et quamvis aliqui id fieri posse existimant ad eum dumtaxat finem, differendi, nempe, Causae resolutionem, ex eo quia, vel aliqua documenta deficiant, vel prae manibus promptae, ac paratae non habeantur defensiones; illi tamen non animadvertunt praejudicia, quae Clientibus irrogantur in expensis foliorum informationis, Defensoribus solvendis, et in aliis, quae pro scriptura typis edenda erogantur; quum in hujusmodi casibus possent, vel ab ipsismet Judicibus dilationem expostulare, vel ab Adversario, quod facilius ex humanitate quadam vicissim admittitur.

Haud alienum hic esse putamus, adnimarvertere, an expediat, in prima defensionis scriptura objectis reponere, eaque elidere, priusquam proponantur; et primum opinionum varietas nobis occurrit; aliqui enim laudant stilum illum, difficultates solvendi praevisas tantum, non autem deductas, nè Judicis animum occupent, quum responsiones, quae statim ac ab Adversario propositis difficultatibus redduntur, eamdem vim, quam illae ab initio exaratae, non habeant; nonnulli verò hujusmodi stilum non probant, ex eo potissimum, quod facile sit, ab Adversario jam dictas difficultates non promoveri, vel responsiones non esse ea claritate donatas, qua praevisa objecta forsan promoveantur; idcircò, ajunt illi, extemporaneas responsiones magis deservire objectorum confirmationi. *De Luca* tamen controversiam omnem dirimit, dum ait, casus distinguendos esse, illorumque circumstantias, si nempe certum sit ab Adversario eas proponi, tunc responsiones in prima scriptura efformare non inutile

tile esse, sin vero dubitetur, ab iisdem responsionibus meritò abstinendum; et eo vel magis arridet sententia illa non excitandi difficultates, eisque responsum reddendi, quocumque modo res sit; nam sicut ex laudabili Curiæ stilo, defensionis Scripturæ ad invicem communicantur per aliquot dies ante propositionem, ut deinde facultas unicuique sit Responsionis Scripturas conficiendi, ita consulitur solutioni dubiorum, ac difficultatum, quae forsan promoveantur.

Ad Tironum usum, fas erit, hic etiam adnotare, quonam ordine auctoritates collocandae sint; et distinguendae proinde sunt variae illarum classes, itaut si legalis dispositionis textus existat, primo loco adnotetur, deinde Glossa, prisci Glossatores, et Repetentes, Tractatuum Auctores, sive Quaestionantes dicti, Consulentes, et demum Decisiones Rotae, sive aliorum Tribunalium, inter omnes servata semper antiquitatis praerogativa, describantur (1). Quae sanè auctoritates debent esse in terminis, ut vulgò dicitur, nam illi, qui allegant auctoritates, et Doctores, per regulas generales loquentes, habentur pro imperitis, et ad illas recursum habere, est refugium miserorum, ait *Constantinus ad Statut. Urbis* (2); hinc ipsemet asserit, Doctoris dictum in terminis, si contradictorem non habeat, dici casum legis; limitat tamen ille, has nempe doctrinas praevalere, quando deest legis, glossae, vel statuti, ac naturalis rationis dispositio.

De Scripturae tandem epilogo nonnulla essent quippe adnotanda, si imperitorum turbam esse eam, quae speciosis epilogis utatur in Scripturis, unusquisque apertissimè non agnosceret a metodo scribendi, quam peritissimi Advocati, et Causidici servant, qui omninò ab hisce rebus abhorrent, et tantummodo aliquando renovant supplicabundi petitionis instantiam, finemquae scripturae imponunt cum particula, *Quare etc.*, quae ita intelligenda venit, *quare supplicamus pro favorabili decisione*; et deinde sequitur subscriptio per nomen, et cognomen Procuratoris, si ipse solus scripturam exaravit, sin minus etiam Advocati, qui in jure scripsit. Haec namque subscriptio jure fit, ut di-

 gno-

(1) *De Luca par. 3. Dello stile Legale cap.* VII. *n.* 11. (2) *Annot. 63. art. 2. n.* 241.

gnoscantur Litigantium Defensores, quorum famae integritas, et incorrupti mores majorem vim addunt defensioni, ex eo potissimum, quod Judices eorum dictis summam adhibent fidem; et non immeritò recensenda hic est comparatio illa, qua utitur *De Luca*, viatoris, nempe, qui eo magis currit, dum certam pacati, ac instructi itineris praehabeat notitiam, quam si ejus animo insederit suspicio laqueorum, fovearum, vel fraudum. Quam quidem subscriptionem pernecesse adhibendam esse, statuit Eminentissimus *Scotti* quadam *notificatione*, typis tradita sub *die* 3. *junii* 1726., ut superius, dum de Summariis egimus, dictum est; Cardinalis verò *Salviatus* suo *Edicto anni* 1731. id etiam jussit, ut quaelibet copia Scripturarum, quae Emo Praefecto, vel Auditori distribuuntur, sit proprio charactere Procuratoris, in Causa comparentis, subscripta, vel ab ejus studii sollicitatore de mandato, pro quo Principalis semper teneatur in casibus expressis, in quibus solvenda venit poena scutorum quatuor; ratio verò ita decernendi ea redditur, *ut certa in posterum habeatur scientia illorum, qui forsan a moderamine, et honestate scribendi, vel a Summariorum legalitate deficiunt*; et si Procuratores id non adimpleverint, Causas, pro quibus instabunt, non proponendas, et contravenientes ut supra solita poena plectendos esse, postremo sancivit.

Antiquitus Scripturae, et Summarii exemplaria numero tredecim ab Amanuensibus fiebant; at procedente tempore invaluit, ut illa, quae Collegiatis Tribunalibus deservirent, prout est Signatura, typis ederentur; quod optima ratione factum est, quia praesertim a suffragia ferentibus facilius leguntur, ac parvo temporis intervallo ab illorum lectura expediuntur, immò, et impensa minor est illa, quae mercedis ratione Amanuensibus solvebatur. Eorumdem tamen exemplarium editionem in alia fieri typographia a Summis Pontificibus vetitum fuit, quam in illa, quae Cameralis appellatur; et quamvis consuetudo jam dicta typis mandandi exemplaria, superius expressa, invaluerit, attamen cui vires, et facultates non suppetant, non prohibetur, ea manuscripta circumferre, ac distribuere, quod tamen rarò evenit.

Communicatis, ut suo loco diximus, Scripturis, et Summariis, responsiones vicissim conficiendae sunt, et in illis breviter, ad difficultates, objectaque submovenda, restringendum

dum est, ac citius illas exarare debent Causidici, ut tempore habili distribuantur Signaturae Votantibus, in die nempe praecedente Jovis diem, in qua plena Signatura habetur; et si alia validiora habeantur documenta, aliud Summarium conficiendum est, additionale dictum, illudque annexum Scripturae responsionis distribuitur iisdem Votantibus Signaturae, Parti verò non communicatur. In hac autem responsionis scriptura, quae aliquando conficitur post peractam verbalem informationem, ut occurratur Votantium difficultatibus, in actu ejusdem Informationis forsan propositis, facti series non est repetenda, prout nec recensenda sunt caetera argumenta, et jura deducta, sed tantummodo danda est opera, ut strictius objecta Adversarii submoveantur, et Judicis animus de justitia, ac rei veritate informetur, ne illis ullam fidem praestet.

Sequuta jam Scripturae defensionis distributione, sequenti die verbalis fit Informatio sigillatim omnibus suffragia ferentibus, et primo loco Ponenti; ille namque prae caeteris, oportet, ut propitius causae sit, quum in plena Signatura primus inter omnes controversiae statum, et jura refert; deinde verò informandi sunt caeteri Votantes, quamvis perperam aliqui Causidici agant informando dumtaxat paucos ex dictis Votantibus, et eos praesertim, quos, vulgò dicunt, habere alios Votantes adhaerentes; id enim praejudicat integritati, et scientiae dictorum Votantium, qui non informantur, et quodammodo injuria quaedam iisdem irrogatur; immò accidit persaepe, ut Causidici pro certo habeant, aliorum suffragiis illos haerere, et deinde in congressu plenae Signaturae in contrariam ivisse sententiam, praeter spem comperiant.

Quomodo namque fiat Informatio, hic videamus; et primum informatio haec, quae in camera, ut dicitur, fit cuique Praelato Votanti, non est quippe de illis contentiosis, quae coram Judicibus A. C. quotidie fiunt utraque parte informante; familiari idcirco sermone alloquendum est, et controversiae statu exposito, jura insinuanda sunt, donec Praelatus, suffragium laturus, difficultates, quas habet, exponat; tunc enim eis occurri debet, proprias, ac viriles exponendo rationes, itaut ab illius animo penitus repellantur. Optima hinc ratione fit, ut alibi diximus, si post hanc informationem responsionis scri-

Scriptura conficiatur, quum sensu Judicis audito, facile est, quando in promptu parata responsio non habeatur, maturo consilio in dicta responsionis Scriptura ea exponere argumenta, quae Votantem a priori sententia dimovere possunt. Et haec quidem dicta sufficiant quoad ordinem Scripturae, et informationis, servandum in prima Causae propositione; at si denuò in eadem Signaturà proponatur, quando nempe, ut suo loco dictum est, plenae Signaturae rescripto adjecta non sit clausula: *et amplius*, diversimodè agendum est, quod et inferius adnotare duximus.

In altera ejusdem Causae propositione operam omnem navare oportet, ut aliquid novi Votantibus exponatur, in priore propositione non deductum, tam circa factum, illiusque circumstantias, quam circa jus; nam indubium est, quod si Causa reproponatur absque eo quod melius facti circumstantiae exponantur, vel quid novi in medium quis afferat, pro certo a Signatura rescribitur, *in decisis*. Hinc aliqui bilem, et stomachum movent, dum absque novis juribus Causam in Signatura reproponere student, hoc enim est aquam cribro haurire. Nos autem haud inficiamur, aliquando absque rei novitate a priori resolutione Tribunal Signaturae recessisse; attamen id ex eo evenit, quod facti circumstantiae in priori Causae propositione clarius expressae non fuerunt, ideoque nec a Votantibus satis perpensae.

Reliquum est, ut, quoad suffragia ferenda, pro hujusce Capitis coronide aliquid adnotemus; hodiernus enim stilus ita se habet, ut in die Sabbati, et Dominico, ac etiam in die Lunae in studio cujuslibet Votantis intersint quamplurimi Juvenes, legalibus disciplinis addicti pro praxi Signaturae addiscenda, quibus Adjutor studiorum Votantis Causarum Scripturas distribuit, quae in proxima plena Signatnra proponuntur; et quilibet ipsorum, juribus, ac facti speciebus perpensis, restrictum facere debet, propriumque sensum aperire. Hujusmodi exercitium iuvat plurimum non modo ipsis Juvenibus, verum etiam eidemmet Praelato; illi namque ita periti redduntur in cognitione, seu intelligentia Rescriptorum Signaturae, quae partem occupat maximam praxis Romanae Curiae; Praelatus vero, hujusmodi Restrictus observando, a majori se eximit labo-

re,

re, perlegendi nempe integram Scripturam, et percurrendi omnia documenta in Summario descripta. Ne autem favoris suspicio aliqua in dicto restrictu faciendo oriatur, quoad studiorum Adjutores a Clemente XII. cautum fuit (1), non posse eos patrocinium suscipere Causarum coram Judicibus, quibus eo in munere inserviunt, vel etiam in iis Tribunalibus, Collegiis, Congregationibus, in quibus suffragium laturi sunt, et cum praedicto munere assistunt.

Attamen hac in re existimamus, non ita facilè inhaerendum Restrictui dictorum Juvenum, quum accidere potest, ut facti circumstantias aliquas perfunctoriè illi recognoscant, et requisita, quae de jure ad unum, vel alterum rescriptum faciendum concurrere debent, persaepe non noverint, an extent in ea facti specie, de qua agitur; et praesertim, quia, ut ait Cardinalis *De Luca* (2), in judicando non modo ingenii acumine, verum et magna praxis experientia opus est, et in Juvenibus haud facilè hujusmodi conjunctio reperitur; idcircò admonet etiam ille, nihil referre, doctum, ac sapientem Judicem esse, immò et laboriosum in perquirendo Juris articulos in Causa promotos, si punctum non tulerit, et leges facto, de quo agitur, non aptaverit; et ut dicta applicatio optimè fiat, opus esse, quod per seipsos diligenter percurrant Judices Summaria, et Scripturas, si juxta juris, rationisque regulas suffragium ferre velint. Opinantur nonnulli in facti cognitione pene nullum esse Judicis laborem; at summum describit *Vulteius* (3), quum tria potissimum in facto animadvertere Judex debeat, *primo an narrata facti vera sint, vel falsa, secundò quid sit facti meritum, tertiò quomodo pronunciandum sit*.

Et eo vel magis, si eveniat votorum inaequalitas, et disputari contingat cum Collegis, facti, et juris cognitio summopere juvat, ut de re controversa ad unguem eloqui possit, et caeteros suffragia ferentes in suam sententiam trahere; vel ad effectum agnoscendi, an validiora, et ad factum accomodata sint ea, quae a Collegis proponuntur, argumenta, ut a propria senten-

(1) *In Constit. Reformat. Curiae cap.* 2.
(2) *Lib. xv. Dello stile legale cap.* 18.
(3) *Commentar. Institution. lib.* 4. *tit.* 17. *n.* 12. 13. *et* 14.

tentia jure, meritoque recedere, quispiam eorum aliquando valeat. Qua in re laudandi prae caeteris sunt hodierni Votantes Signaturae, quorum existimatio adeò in Curia excrevit, ut meritò eos ex quotidiano doctrinae, et integritatis experimento, justitiae praestantissimos vindices, et cultores quisque appellet.

Nolimus tamen, quin ex superius dictis, eamdem forsan dictorum Juvenum offensionem incurramus, quam virum aeque nobilem, et doctum tempore *Francisci Mariae Costantini*, auctoris *Annotationum ad Statut. Urbis*, incurrisse edocemur ex ejusdem *Annotatione* 52.; cui quidem *Constantino*; dum studiis operam dabat apud *Jacobum de Tassis* Signaturae Justitiae Votantem, claris verbis vir ille dixit: *apud supremi Tribunalis Signature Justitiae Votantes Causas strangulari ex relaxatione illarum facta per Juvenes inexpertos, qui dum student ut discant, apud Praelatos Votantes, persaepe nec facta Causarum, nec jura Partium intelligant, nec vim Rescriptorum, ac clausularum, quibus utitur Signatura, pertingunt; itaut Causas inappellabiles persaepe faciant appellabiles, et e contra, unde miseris litigantibus magna resultent gravamina. Quam quidem censuram* (prosequitur ille), *satis pungentem cum sustinere nequirem, propriae existimationis vindex, ac severus cultor, currenti calamo discursum exaravi super auctoritate, jurisdictione, ac clausulis, cum quibus Signatura rescribere solet, illumque inter horrores nocturnos a tirone unica nocte raptim paratum, die sequenti transcriptum, exhibui dicto bonae memoriae de Tassis, qui illum tradidit dicto qualificato viro, juvenum spretori, et invenit, apud illum nedum commiserationem, sed non modicam laudem.* Et eumdem discursum laudatus Auctor procedente tempore in meliorem formam redegit, ac inter dictas *Annotationes ad Statut. Urbis* edendum curavit. Eapropter animadvertendum hic meritò duximus, nullam nos injuriam laudatis Juvenibus irrogare voluisse; quum, etiamsi omne id, quod unius noctis spatio se elucubrasse, jactatur *Constantinus*, de auctoritate, Jurisdictione, ac clausulis Signaturae, optime calleant juvenes praedicti, adhuc tamen in illis deficit acies illa ingenii, quae in jure suo unicuique tribuendo summopere requiritur, quaeque non alias, quam à magna experientia, et fori peritia constituitur, et in Juvenibus, pro certo habetur, eam deesse, nisi eo in munere plurium anno-

rum spatio se exercuerint; ad rem profecto facit sententia prædicti *De Luca*, saepissimè in suo opere repetita, nihil nempe referre, aliquem in abstracto de controversia aliqua juxta juris regulas apprimè disserere, nisi illa accedat peritia rectè in Causa occurrenti pronunciandi.

Alia et suppetit ratio, qua Signaturae Votantes non omnino Restrictui, a dictis Juvenibus confecto, adhaerere debeant; nam explorati juris est, eam esse mentis humanae indolem, ut facilius, ac vividiori spiritu de rebus illis quisque loquatur, quas ipsemet perfecit; itaut si aliquando contingat alicui orationem quamdam a seipso non exaratam recitare, opus profecto difficile eidem redditur, nec orationis elucet venustas. Idcircò dum aliquis ex Collegis, ut evenit persaepe in Tribunalibus Collegiatis, alium in suo voto deflectere conetur, praecipiti tunc ferme consilio illi adhaerere convenit, ex eo quod infirma sua, et e contra validiora illius argumenta sibi appareant; immò opponendi spiritus quodammodo deficit ex defectu cognitionis, per ipsummet haud institutae, tam Scripturarum, quam Summariorum, hinc inde Litigantium Defensoribus exhibitorum.

Et nè quis haec dicta extra propositum esse censeat, adnotare, hic praetereundum non est, nomine Informationis, de qua agere proposuimus, venire etiam colloquium illud, quod à Signaturae Votantibus fieri assolet in die congressus, seu plenae Signaturae; propterea idem *De Luca*, dum de legali stilo disseruit, de modo etiam informandi, qui servatur a Ponente, aliisque Judicibus in Tribunalibus collegiatis, verba fecit. Et nè quoque credat aliquis, nos leges praescribere hisce nostris perfunctoriis animadversionibus voluisse amplissimo Votantium coetui, qui, ut diximus, hac nostra praesertim tempestate sapientissimi aeque, ac prudentissimi in judiciis ferendis ubique praedicantur, data opera hic fatemur, res illas ad eum dumtaxat finem indicasse, ut tirones intelligant, talem esse stilum, qui a dictis Votantibus in suffragiis ferendis observatur; immò, ut caeteris innotescat, non a Juvenum Restrictu pendere Votantis Signaturae suffragium; nam et ego expertus ex eo loquor, quod nonnullos è dictis Juvenibus audivi, sciolos tamen, inanisque gloriolae captandae studio addictos, Clienti, ejusve Procuratori palam dixisse, favorabile in

tua Causa votum exaravi, hinc pro uno suffragio securi sis animi, ferme ac si ipsi essent Signaturae Votantes.

Hac denique arrepta occasione, aliqua adnotare existimamus quoad consuetudinem illam, non modo a Tribunalis Signaturae Votantibus, verum ab integra Romana Curia receptam, ut nempe a quolibet Votante explicetur, dum a Defensoribus verbalis informatio fit, quid ipse juris censeat, et quomodo in plena Signatura pronunciabit. Exteris enim, omnibusque de praxi Romanae Curiae non edoctis, non modicam admirationem hujusmodi stilus affert, quum alibi pro jure certo observetur, suffragium non promulgandi ante sententiam; itaut inter caeteras suspicionis, et recusationis causas, adnumeretur illa, quando nempe ad sententiam quisque Judex votum suum explicaverit, tunc enim à judicando tamquam suspectus removeri potest; et summa religione id ita servatur, ut si nec verbis modò, sed signis, aliisque actibus externis se proclivem uni ex Litigantibus demonstraverit, statim recusationis querela proponitur, et a judicando repellitur; de stilo Tribunalium Neapolis testantur *Sorge* (1), et *Reverterius in decisionibus Regiae Camerae*, ubi *De Marinis* addit, dictae decisioni convenire *Gerardum Maynardum in Decisionibus Tholosanis*, *Franciscum Vivium* (2), *Alexandrum Ambrosium in Decisionibus Perusinis* (3), et quamplures alios. Quae quidem praxis suffragium non promulgandi originem habuit a dispositione *Leg. ubi falsi Codic. ad Leg. Corneliam de falsis*, cujus verba haec sunt: *sed inter utramque personam Judex medius nec ulla interloquutione divulget quae sentiat, sed tanquam ad imitationem relationis, quae solum audiendi mandat officium, praebeat notionem posthuma sententia, quod sibi liqueat proditurus*; et *Tiberius Decianus in Consilio 26. num. 9. vol. 1* allegat responsum *Callistrati in lib. 1. de cognitionibus*, contentum in *Leg. observandum Digest. de Officio Praesidis*; cujus responsi verba, quum aurea profecto sint, immo aptissima ad evellendum abusum quorumdam Judicum, conviciandi, nempe, in contradictoriis Defensores Litigantium, hic transcribere non piget:

(1) *Tom. 8. n. 83.* (2) *Decis. 36. n. 6.* (3) *Decis. 50. n. 7. p. 2.*

get : *observandum est Jus reddenti , ut in adeundo quidem facilem se praebeat , sed contemni non patiatur ; undè mandatis adjicitur , nè Praesides Provinciarum in ulteriorem familiaritatem Provinciales admittant , nam ex conversatione aequali contemptio dignitatis nascitur ; sed et in cognoscendo neque excandescere adversus eos , quos malos putant , neque precibus calamitosorum illachrymari oporteat ; id enim non est constantis , et recti judicis , cujus animi motum vultus detegit , et summatim ita jus reddi debet , ut auctoritatem Dignitatis ingenio suo augeat .*

In Curia tamen Romana aliter se res habet, nam passim Judices , et praesertim Votantes Signaturae dum explicant difficultates , quas habent in decidendo , declarant etiam , quomodo in congressu pronunciare velint ; simili etiam modo agitur a *Rota* Romana , quae a *Fontanella* appellatur exemplar omnium Curiarum , et ut adnotatum etiam fuit ab *Alvaro Valasco* (1) , et a *Giurba* (2) , et quotidie experimur , de more habet , sive illius sapientissimi Auditores solent libere dicere Partibus , tu bonum jus non foves , Sententia adversus te ferenda est , Rota non bene sentit de tua Causa , quin propositis haud satis respondisti ; nec propterea recusantur tanquam suspecti . Quod institutum haud irrationabile prorsus est, quum ita veritas in lucem prodit , et saepius ex Judicum verbis colligitur clarè illorum mens , ac ea dicuntur pro majori investigatione veritatis , et justitiae , prout tradit idem *Fontanella* (3),dum Constitutionem defendit sub titulo de *Recusatione Judicum* ; eapropter, prosequitur ille,bonum non esse Judicem , qui inter informandum obmutescit , nec libere quod sentit aperit , immo recte Legumlatores in jam dicta Constitutione processisse , ac optima quidem ratione ductos fuisse , quia de integritate voti nihil mutat, promulgare quid sentiat Judex , antequam Sententiam ferat .

Et revera , si tacitus Judex omnino esset , suosque sensus non explicaret in Informationibus , muneri suo non faceret satis, quum adversetur causae , ob quam introductae fuerunt Informationes , et colloquia , quae habent Defensores cum Judici-

(1) *De partitionibus post Consult. cap. 9. n. 21.*

(2) *Decis Sicul. 54. n. 3.*

(3) *Decis. 9. n. 5. Senatus Cathaloniæ .*

dicibus quoad merita Causarum, ut scilicet uno objiciente, et altero respondente, et sic disputando, melius veritas elucescat; ut advertit quoque *Fontanella* in recensita *Decisione*, qui damnat etiam Judicum garrulitatem, quum aequè vitium sit garrulitas, et taciturnitas, refertque Neronis exemplum e vita a *Svetonio* conscripta, aequo odio habentis eos qui extra propositum loquerentur, et qui planè tacerent. Monitum tamen ejusdem non omninò spernendum est, *nihil*, nempe, *esse*, *in quo tanta necessaria circumspectio, tanta opus prudentia, quam in Informationibus, et Audientiis Defensorum, in quibus perniciosissimum in primis nihil illis respondere, sed obmutescere; si enim post succubuit Pars, id tribuit malitiae Judicantis, qui noluit ei, ut debebat, in quo consisteret difficultas, in Informationibus aperire, sed tacendo decepit eum, existimantem ex eo nullam esse difficultatem, quod nullam dixit Judex etc. et si malum est tacere, pejus est loqui in Informationibus, si id non fit cum magna discretione, et prudentia*. Quod consonum profectò est animadversioni *De Luca* in suo opere, dum agit de *legali, stilo*, ubi pro coronide *capitis xv.* legitur, expediens, nempe, esse, et Causis summopere opportunum, difficultates exponere, ut illis satisfacere possit Defensor; attamen id cautè agendum est, itaut Informans urbanè tractetur, eidemque desiderium aliquod demonstretur oblectandi in eo quod justitia exposcit, non tamen in eam formam, ut certam victoriae spem Litigans concipiat, et deinde se deceptum esse conqueratur.

CAPUT V.

De diversis Rescriptis, sive Clausulis, quibus Signatura Justistiae utitur in rescribendo.

Proposita jam, et examinata Commissione in plena Signatura, resolutio, quae juxta concordiam suffragiorum, superius recensitam, capta fuit, Rescriptum appellatur. Rescriptum enim, ait *Marchesanus*, ex eo dictum, quia jam prius scriptum; nam admissa ea regula, quod in Signatura Justitiae nihil a jure aberrans decerni possit, non immerito Rescripta dicuntur illius Resolutiones, quae juxta diversam negotiorum na-

naturam quum diversa sint, operae praetium erit, ut de iis tractationem instituamus, ex eo potissimum, ut illorum vim, ac potestatem intelligamus.

Vis namque, et potestas Rescriptorum, ut ad Causae legitimam prosequutionem deveniatur, ante omnia opus est, quod innotescat, si hujusce Tribunalis rescripta, ut plurimum sub ablativo concepta, dent formam caeteris Tribunalibus procedendi; quae si praecipuè non servetur, de nullitate actus omnis redarguitur, ut satis abunde diximus in capite primo de Jurisdictione; hinc est, quod non inutile reputari potest de diversa Rescriptorum natura disserere; et ut faciliori methodo, ac clarius expediamur, juxta ordinem Commissionum, superiori capite servatum, procedemus.

Et priusquam ulterius progrediamur, animadvertendum duximus, quod etymon Rescripti varium est, et variè Rescriptum accipitur in jure, et apud bonae notae auctores, ut videre est apud *Brissonium*, *Prataejum*, ac caeteros Lexicographos; plerumque enim accipitur pro responsione ad consultationem, sive desiderium alicujus, ut apud *Ovidium* (1).

Nihil mihi rescribas.

Ideo Jurisconsulti, quum de jure respondebant, rescribere dicebantur, *Leg. ex contractu* 44., *ibi*, *rescripsit*, *Dig. de re Judicata*; qua etiam in significatione accipiuntur Rescripta pro responsis Principum, factis ad desideria subditorum.

Ad rem igitur ut veniamus, exordium capere duximus a rescriptis, sive clausulis, in causis appellationum interponi solitis; et scitissimum quidem est, partem non modo politices; verum et justitiae summam esse, diligenter, et accurate cognosci Litigantium causas, quo id quandoquidem pertinet, nè ab unius Judicis arbitrio vita, fortunae, ac existimatio hominum pendeant; hinc non mirum est, gentes fere omnes varia invenisse remedia, quibus causa, vel ad Superiorem, vel ad alium devolveretur Judicem, et sententia iniqua, causa cognita, rescinderetur, adeoque apud Romanos frequens erat appellatio. Et quum persaepe remediis tam sapienter repertis, abuti

(1) *Lib.* 1. *epist.* 1.

ti conabantur homines, factum proinde est, ut appellandi pruritum, non ad jus suum persequendum, sed ad Adversarios diuturnis litibus macerandos servatum, Legislatores prudentissimis jussionibus compescerent. Hinc etiam Romano jure cautum fuit, appellandi licentiam arctissimo temporis spatio esse circumscribendam, itaut, si quis statutis temporibus interponendae, introducendae, prosequendaeque appellationis non serviisset, appellandi facultas pro perempta, ac expirata haberetur; eadem de causa sancitum fuit, nè liceret tertio appellare in ipsamet lite. Alia et etiam eodem consilio fuere à Legislatoribus adinventa remedia ad cohibendam provocandi licentiam, ut nempe Judices non permitterent provocationem in omnibus causis, sed quasdam unica definitiva sententia terminari decreverunt, prout in causis alimentorum, debitorum fiscalium (1), possessionum (2), et aliis ejusmodi; eapropter ex similibus privilegiis, indultis certo generi Causarum, invaluit distinctio illa judiciorum in ordinaria, exequutiva, et summaria; et juxta illorum naturam diversimode Signatura, quum de appellatione agitur, rescribit.

In judiciis, quae ordinaria dicuntur, quum indubium sit, appellationem non esse interdictam, prout apparet ex integro Codicis titulo, *Ne liceat in una, eademque Causa tertio appellare*, qui sententiam aliquam sibi iniquiorem esse putat, prima, et altera vice intra constitutum tempus interposita appellatione, statim, vel saltem pendente termino Apostolorum, obtinebit ab Eñio Signaturae Justitiae Praefecto signari Commissionem appellationis, alteri Judici directam, quae *sub Banca*, ut alibi diximus, expeditur a Regente Cancellariae, nomine Judicis apposito; si demum etiam male cesserit appellatio, sententiaque prior confirmata fuerit, post dictas tres sententias conformes appellandi facultatem ulterius non habet; hinc sententia lata vires rei judicatae acquirit, et ab ullo retractari, novaque actione inverti non potest; immo praevia commissione exequutoriali Judici directa, exequutioni demandatur, et S. Rota absque alia commissione, vigore suarum facultatum, ad exequutionem procedit. Non

(1) *Leg. ult. Digest. de Appellat. recipien.*

(2) *Leg. unic. Cod. si de momentanea possessione.*

Non destituitur, tamen, qui tertiò in causa succumbit, alio remedio jus suum denuo experiendi, quod est Restitutionis in integrum; et in Curia pro unica vice, etiam absque causa, ac etiamsi intra, vel post quatriennium petatur, concedi solet; quae quidem Restitutio de sui natura retardat exequutionem judicatorum, quando petitur priusquam illa coepta sit; eapropter Signatura, dum dictam restitutionem concedit adversus tres Sententias, quarum justitia praesumitur, nè retardetur exequutio, solet commissiones expedire cum clausula: *sine praejudicio rei judicatae, vel trium conformium*; prout admonet *De Luca* (1).

Quum vero dictae tres Sententiae, vel duo in casu alicujus statuti municipalis, in omnibus non conveniant, hoc est conformes non sint, tunc Signatura addit hanc clausulam: *In eo in quo sunt conformes*; et ita praeservatur Judici, a quo appellatum, provocatumque est, facultas sententias exequendi, quamvis coram alio Judice in gradu praedictae restitutionis in integrum Causa revideatur; de vi, et effectu hujus clausulae late agunt *Barbosa* (2), *Marchesanus* (3), et *De Luca* (4). Immo si tres Sententiae conformes sint evidentissime justae, itaut nullum adpareat gravamen ex actis præcedentium instantiarum, et praecipue si aliquae earum Rotales sint, solent Commissiones hujusmodi, Restitutionis nempe in integrum signari cum clausula, *parito judicato*, quae id operatur, ut non possit procedi ad aliam judicati cognitionem, nisi facta prius sit integra exequutio sententiæ, etiam per restitutionem fructuum, et expensarum solutionem; quod a Forensibus nostris dicitur, nisi sit doctum de paritione. Et est differentia inter clausulam, *sine praejudicio rei judicatae, seu trium conformium, et parito judicato*; nam vigore prioris clausulae eodem tempore Judex ad quem potest Sententiam exequutioni demandare, et novam Causæ cognitionem instituere, vi tamen alterius clausulae ille haud in Causa judicare, et cognoscere valet, donec Judex a quo integram exequutionem absolverit, vel Pars adversa judicato satisfecerit, nempe, quoad negotium principale, secus vero quoad restitutionem fructuum, et expensarum. Quum

(1) *Relat. Curiæ disc.* 31. *n.* 37.
(2) *Clausul.* 97.
(3) *De Commiss. p.* 2. §. 1. *n.* 154.
(4) *Relat. Curiæ disc.* 31. *n.* 39.

Quum agatur de adita hereditate cum beneficio legis, et inventarii, si existant Creditores defuncti, non sufficit quod haeres dictum inventarium confecerit, tenetur quoque, instantibus Creditoribus, reddere rationem de bonis, in inventario descriptis; si Judex censeat rationem non bene fuisse redditam, et idcirco procedere velit ad ulteriora pro executione contra bona propria, et personam ipsiusmet heredis, Tunc heres adversus hujusmodi exequutionem adire potest Signaturam, quae committere etiam solet Causam *sine praejudicio quoad bona hereditaria, quo vero ad bona propria si quid exequendum* (1); ex eo quia rationis redditio non habetur pro judicio mere ordinario.

In causis tamen Restitutionis in integrum, quae a pauperibus, et miserabilibus personis instaurantur, mitius Signatura rescribit, cum clausula nempe: *dimissa possessione tantum, ac reservatis fructibus et expensis in fine litis, constito de Oratoris paupertate*; prout advertunt *Vestrius* (2), *et Ridolphinus in praxi* (3); ipsa enim naturalis aequitas, cui plus semper, quam summo, ac stricto juri tribuendum esse Prudentes sanxerunt, mitius cum quibusdam agere suadet; eapropter non immeritò ita Signatura agit cum pauperibus, et egenis, quod, et caetera Orbis Tribunalia observant, quum quidquam ex stilo, vel statuto, aut peculiari sanctione a similibus praestandum sit in antecessum, hoc est priusquam Sententia revideatur. Ita et in Regno Neapolitano, et praesertim in S. Regio Consilio, si de judicati nullitate dicendum sit, cujusdam summae depositio in antecessum facienda est; ab eo tamen onere sublevantur ii, qui paupertate pressi, ac bonis evoluti, eorum paupertatem demonstrant; et in caeteris locis, ubi mos ille invaluit deponendi pecuniam, ut possit ad supremos Judices de aliqua Sententia provocari, quae dicitur pecunia succumbentiae, prout est in Germania, in Provinciis *Moguntinis*, *Prussicis*, *Palatinis*, *Hassiacis*, *etc.* pauperes ab eo onere tantisper immunes sunt, dum vel victoria potiantur, vel secus, si ad meliorem fortunam perveniant, convi-

---

(1) *Cappuc. prax. judiciar. cap.* 4. *de judicio exequutivo*.

(2) *Lib.* 8. *cap.* 3. *n.* 12. *in praxi*.

(3) *Par.* 1. *cap.* 13. *n.* 446.

victi de litigandi temeritate pœnas dent calumniae; prout testatur *Andraeas Gaillius* (1).

Si autem Signaturae non constet de evidenti justitia judicatorum, et ea dubium aliquod habeat, num, nempe, illa justa sint, vel ne, etiam post tres conformes, si non est cepta exequutio, vel causa restitutionis in integrum, simpliciter committere solet alteri Judici negotii cognitionem per haec verba: *de Restitutione in integrum prout de Jure, vel, ut constito de tribus, seu de re judicata, exequatur, sin minus causam appellationis, et Restitutionis in integrum cognoscat*. Tunc enim utroque modo consulitur suspensioni exequutionis judicati, donec, et quousque Judex ad quem cognoscat, an constet de causis Restitutionis in integrum, vel an potius sit locus exequutioni trium conformium, seu rei judicatae, juxta stilum Curiae pronunciando absolutionem Rei ab impetitis, vel aliàs juxta indolem, ac naturam Causae. Quando Judex pronunciare vult contra restitutionem, et commissio est signata cum clausula *constito etc.* nihil aliud agit, quam relaxare mandatum pro omnibus, et singulis rebus, in Sententiis contentis, et taxare expensas; secus tamen si Commissio signata fuerit simpliciter, *de restitutione in integrum, prout de jure*; eo etenim casu victor, ut consulat celeriori Causae expeditioni, obtinet et aliam Commissionem, eidem Judici directam, ut *praefixo petenti restitutionem in integrum, brevi, et competenti termino ad docendum de causis restitutionis in integrum, necnon ad probandum quicquid vult, et potest, et nihil relevans docto, inhibitionem suam moderetur, vel sententias exequatur*; licet omnes Judices, quibus commissa est causa restitutionis in integrum ex *Constitutione* Pii IV. (2), et potissimum *Rota* ex Reformatione Pauli V. (3), etiam habeant facultatem hunc terminum praefigendi; quo termino elapso Judex restitutionis in integrum, vel inhibitionem moderatur, et Causa redit ad Judicem a quo, vel mandatum relaxat, aut jam relaxatum exequi mandat, et taxat expensas.

Quae omnia, superius recensita, Signatura Justitiae observat, quando adhuc cepta exequutio non sit; itaut si ante

K k Com-

(1) *Lib.* I. *Observat.* 155. *n.* 4.

(2) 58. *§. et ut lites in Bull. to.* 2.

(3) *§. possit*.

Commissionem obtinendam Judex à quo incepit exequi , et Signatura propter injustitiam vult subvenire gravato cum retardatione exequutionis, tunc signat Commissionem; alteri Judici directam , cum clausula : *Alteri , qui ad ulteriorem legitimam exequutionem procedat , sin minus causam appellationis cognoscat* ; quae clausula impedit ulteriorem exequutionem, donec datus Judex recognoscat, an ei locus sit, vel nè ; et si idem Judex negativam sententiam amplectatur , pronuntiat in causa appellationis, bene appellatum , et male judicatum , si vero affirmativam , mandat in exequutione procedi ad ulteriora . Obiter hic animadvertendum duximus , exequutionem alicujus judicati tunc ceptam dici , quum fuerit relaxatum mandatum, vel relaxatae exequutoriales , ex constanti opinione Rotae , prout videre est passim in ejus *Decisionibus* (1) . Tribunal vero Signaturae eamdem opinionem non sequitur , quia , ut dicatur cepta exequutio, requirit exequutionem facti ; de natura hujus clausulae superius recensitae latè agunt *Marchesanus* (2) , *Rota* apud *Posthumum de Manutentione* (3) , et *De Luca in Relatione Curiae* (4) .

Aliter se res habet , quando vigore peculiaris Statuti duae sententiae habeant vim trium , et sint exequendae , prout Statuta Urbis , et aliorum locorum disponunt; tunc enim Signatura Commissionibus rescribere solet, cum clausula , *sine praejudicio duarum conformium* , quae habet vim clausulae , *sine praejudicio trium* . Quum vero dubitat de justitia dictarum duarum conformium , rescribit, *alteri , qui , constito quod sit locus statuto de duabus , exequatur , sin minus Causam appellationis cognoscat* ; et haec clausula idem operatur , ac clausula , *constito de tribus* , juxta ea , quae scribit *Ridolphinus* in praxi (5) , et *De Luca* (6) .

Hactenus de re judicata , quae oritur e tribus Sententiis conformibus , vel è duabus vigore statuti ; reliquum est , ut dicamus de re judicata , ex una , vel duabus Sententiis ob non

(1) *Decis.* 688. *n.* 3. *et* 4. *in recent. p.* 4. *to.* 3.

(2) *De Commis. p.*1. *pag.*107. *n* .157.

(3) *Decis.* 61. *n.*1. *et seqq.*

(4) *Discurs.* 31. *n.* 34.

(5) *Part.* 1. *cap.* 13. *n.*79. *et* 645.

(6) *Loc. cit. n.* 38. , *et de Judiciis disc.* 36. *n.* 5.

interpositam appellationem, illiusve prosequutionem intra statuta tempora, deductis; eamdem enim distinctionem in rescribendo amplectitur Signatura, quam superius diximus, num nempe cepta sit, vel nè judicati exequutio; in hoc equidem casu rescribit cum clausula, *de praefixione termini*, quae ita extenditur, *alteri Judici, qui praefigat terminum ad docendum de appellatione, ejusque legitima prosequutione, necnon de Causis restitutionis in integrum; quo elapso, et nihil relevans docto, constito de re judicata, vel quod alias exequutioni locus sit, exequatur, sin minus, causam appellationis, et restitutionis in integrum cognoscat*. Cujus rescripti effectus is est, ut judicatum suspendat, donec Judex ad quem cognoscat de re judicata, ejusque validitate, et justitia; et quatenus de illa constet, nil aliud agit ille, quàm mandatum relaxare pro contentis in sententia, vel jam relaxatum exequi, et expensas taxare; si vero sententia, de qua agatur, exequutionem forsan non mereatur, et eapropter de re judicata, seu de illius validitate, et justitia non constet, procedit in causa appellationis, pronunciando, ut moris est, bene appellatum, et male judicatum.

Altero tamen casu, quum nempe exequutio jam cepta sit, de restitutione in integrum etiam rescribit Signatura, sed cum clausula *sine praejudicio rei judicatae*; et si sententia de injustitia redarguitur, tunc examinatis causae meritis signat Commissionem cum clausula, *alteri, qui ad ulteriorem legitimam exequutionem procedat, sin minus causam appellationis cognoscat*; hujusce clausulae effectum hic explicare supervacaneum existimamus, quum satis abunde superius de ea dictum sit.

Demum post tres sententias conformes, vel duas in casu statuti, vel alias quomodocumque post rem judicatam, quum semel concessa fuerit in integrum restitutio, et Judex hujus instantiae taxaverit expensas, actum jam de causa tunc est, itaut dicitur integre expedita, et terminata, nihilque aliud rescribitur, sed tantummodo datur unica appellatio *ab excessiva* taxatione expensarum; nisi injustitia satis manifesta aliter suadeat, itaut altera vice concedenda sit restitutio in integrum cum clausula *Alteri, qui ad legitimam*, quod raro evenire solet; hinc post primam restitutionem jam concessam, si denuo recursus fiat in Signatura, haec rescribere solet, *nihil, et ab excessiva tantum*,

hoc est, quod admittatur unica appellatio ab excessiva taxatione expensarum; prout docet *Marchesanus de Commissionibus* (1), et post eum *Ridolphinus in praxi* (2).

Accidit etiam aliquando, ut, elapso anno appellationis, acta prioris instantiae non sint adhuc transportata coram Judice appellationis; et tunc Appellatus in Signatura Commissionem signandam proponit pro celeriore Causae expeditione, et illa rescribere Iudici solet pro assignatione termini unius mensis ad acta transportandum, quo termino elapso, et actis non transportatis suam moderetur inhibitionem; et Judex a quo, producta coram ipso fide dictae moderationis, procedit ad exequutionem suae sententiae; si vero post lapsum terminum Judex moderatus fuerit inhibitionem, et Appellans non habuerit notitiam vel ob aliquam causam legitimam neglexerit acta transportare, facile obtinebit reintegrationem inhibitionis a Signatura, ita rescribendo, *Rota, vel talis Judex, transportatis actis, et refectis expensis moderationis cum omnibus inde sequutis, inhibitionem reintegret, et procedat ad formam Commissionis*; et si acta non possint statim transportari, rescribit, *refectis expensis, assignet novum ultimum terminum peremptorium ad transportandum acta*. Et haec satis sint quoad Commissiones appellationum in judiciis ordinariis; de quibus latissime agunt *Ridolphinus* (3), et *de Luca* (4).

Quae vero summaria Judicia dicuntur, sunt praesertim possessoria, et quum a Romano Jure satis privilegiata existant, ut celeriter, et absque etiam figura judicii illa expediri oporteat diversimode idcirco in hujusmodi judiciis Signatura rescribit. Et singulas clausulas gradatim exponendo, ante omnia recensendum duximus, jam dicta judicia tria esse, primum nempe adipiscendae possessionis, in quo conceditur sententia, et mandatum de immittendo, alterum retinendae, et datur mandatum de manutenendo, tertium verò recuperandae, et pronunciatur sententia relaxationis mandati de reintegrando. Quae quidem judicia possessoria sub nomine interdictorum explicantur

(1) *Part.* I. *pag.* 1223.
(2) *Part.* I. *cap.* 130 *n.* 622.
(3) *In praxi p.* I. *c.* 13. *n.* 93. *et* 643.
(4) *De Judiciis num.* 23. *et* 28.

tur in Romana Jurisprudentia, et a Praetorum aetate originem habuisse, unicuique patet; Praetor enim de possessione Interdicta dabat, idque certa formula faciebat, qua aliquid, vel jubebat, vel vetabat, ita tamen, ut nihil interim de ipsa causa ediceret, ut ad rem observat *Theophilus* (1); et proinde ea apud Romanos invaluit controversiarum differentia, ut aut de jure, aut in re essent; ille enim, qui constans, et perpetuum jus in re sibi competens persequebatur, eoque nomine actionem instituebat, petere dicebatur, unde judicium petitorium cognitio illa appellata fuit; sin possessionem adipisci, vel retinere, vel recuperare vellet, qua de re ante institutas actiones reales saepius incidebat controversia, tunc non petere, aut agere, sed interdicere dicebatur.

At ad semitam, è qua disgressi tantisper sumus, redeuntes, firmum quippe in jure, tum Canonico, tum Caesareo est, à mandatis de manutenendo non dari appellationem; et eapropter Commissiones in hujusmodi Causis signari solent cum clausula *sine praejudicio mandati de manutenendo*, quae non adimit profecto jurisdictionem Judici a quo pro exequtione mandati, immo illi eam praeservat, etiamsi Causa coram Judice appellationis iterum ad trutinam revocetur; de vi hujusce clausulae agunt *De Luca* (2), *Andosilla*, (3), *et Rota* (4). Diximus enim appellationem non dari in hoc judicio, at id intelligendum est de appellatione, quae dicitur ad utrumque effectum, nam ex praefata clausula dari tantummodo ad effectum devolutivum, non vero suspensivum, evidentissimè patet.

Id vero peculiare est in mandatis de manutenendo, quod Signatura, ut superius diximus, rescribens cum clausula, *sine praejudicio mandati de manutenendo*, intelligitur etiam rescribere quoad fructus, in possessione comprehensos, prout decrevit *Rota* (5); et idem observatur etiam in Commissione Causae in Salviano, quae censetur virtualiter commissa, ut Forenses ajunt, etiam super Jure offerendi absque novo libello, quicquid sit ad inducendam malam fidem, praescriptionis potissimum obstaculum; hoc enim casu

(1) *In princip. Institutionum Tit. de Interdictis.*

(2) *Relat. Rom. Curiae disc.* 31. *n.* 14.

(3) *Post Remboldum vot.* 3. *num.* 12.

(4) *Coram Cavalerio decis.* 615. *n.* 3.

(5) *Decis.* 260. *n.* 21. *part.* 4. *recent.*

casu offerendi Jus deducendum esset ad speciem, ut Possessor sciat Actorem oblaturum, et ita declarando firmat *Rota coram Bichio*(1), verba sunt *Jacobi Balducci Foroliviensis in observationibus ad Consilia Josephi Ramoni* (2). Viget quoque quoad haec mandata de manutenendo distinctio inter illa relaxata per cedulam, hoc est sententiam, et ea quae expediuntur per decretum; priora enim appellationi, de antiquo stilo Tribunalis, uti observat *Rota*(3), obnoxia sunt; alia vero appellationem admittunt quoad effectum suspensivum tantum, ut supra recensuimus, nisi haec sint nulla, et injusta, nam Signaturae Tribunal tunc etiam signat Commissionem simpliciter; at si nullitas, vel injustitia non sit certa, aeque ac evidens, sed aliquo dubio involvatur, a Signatura appellationis Commissio signatur cum clausula, *cum facultate manutenendi quem de Jure*; quae clausula retardat exequutionem ejusdem mandati, donec Judex ad quem dictum mandatum exequi mandet, vel novum decernat; ut advertunt *Rota coram Cavalerio* (4), *Androsilla post decisiones Remboldi* (5), *et de Luca* (6). Eamdem formam rescribendi servat Signatura, quando Reus conventus habuerit in prima, aut alia instantia, consimile mandatum de manutenendo; ad aequalitatem enim servandam ita agit Signatura, quum unusquisque pro se habeat praedictum mandatum de manutenendo, eapropter alteri Judici praescribit, ut manutentionem elargiatur, cui de jure competit; videndi sunt hac de re addentes *ad Gregorium* (7), *et Celsus in Decisionibus* (8).

Transeamus modo ad clausulas, quibus Signatura utitur in appellationibus a mandatis de immittendo, et reintegrando; iis enim denegatur appellatio suspensiva in Causis, et Tribunalibus, ac bonis laicalibus vigore Constitutionis Marchiae, quae vocatur *Ægidiana* a Cardinali *Ægidio* illius auctore, dum Legationis munus in ea Provincia gerebat, evulgata, et servatur in toto statu Ecclesiastico ex constitutione Pauli III. Eapropter Commissiones appellationum in hujusmodi judiciis signantur cum clasula sine

(1) *Decis.*45. *n.*29. *n.*40.
(2) *Cons.* 60. *n.*40.
(3) 330. *n.*5. 6. *p.*13. *recent.*
(4) *Decis.*615. *n.*3.
(5) *Vot.*3. *n.*13.
(6) *In Relat. Curiae Disc.*31. *n.*31.
(7) *Decis.*581. *n.*7.
(8) *Decis.*303. *n.*5.

sine praejudicio mandati de immittendo, sive de reintegrando; de vi, ac effectu hujus clausulae agunt *Rota* (1), *Ridolphinus in praxi* (2), et *De Luca in relatione Curiae* (3).

Diximus enim in causis, ac bonis laicalibus, ex eo quia *Ægidiana*, uti constitutio ministri Pontificii in statu temporali, non comprehendit Causas Ecclesiasticas, neque ligat Clericos, juxta notata per eumdem *Ridolphinum* (4). Eapropter si Clericus in causa adsit, vel agatur de bonis Ecclesiasticis, sive causa definita sit in Tribunali Ecclesiastico, Commissiones appellationum a dictis mandatis de immittendo, et de reintegrando simpliciter signantur, et rescribitur idcirco cum simplici clausula, *de Appellatione*; eodemque modo signatur Commissio in eisdem causis laicalibus, quando evidens est injustitia, quia *Ægidiana* non habet locum, si Sententiae sint injustae. Quum verò de justitia dubitetur, signantur Commissiones cum clausula, *constito quod sit locus Ægidianae*; ita nempe in suspenso est exequutio mandati, donec Judex, ad quem cognoscat an sit locus dictae Constitutioni, et quatenus illa locum habeat in causa, de qua agatur, exequutionem Sententiae decernere debet, sin minus, causam appellationis cognoscens, pronunciabit, *bene appellatum, et male judicatum*. Extensio verò clausulae praedictae sequens est, *alteri Judici, qui constito quod sit locus Ægidianae exequatur, sin minus causam appellationis cognoscat*. Vim vero, et effectum ejusdem referunt *Ridolphinus* (5), *Marchesanus de Commissionibus* (6), *de Luca* laudato loco, et *Rota* post *Pacificum de Salviano* (7); Differt tamen modus rescribendi, quando Causa proponitur in Signatura post exequutionem legitime factam, tunc enim utitur clausula, *cum facultate manutenendi, quem de Jure*, de qua supra; non immeritò enim diximus, post exequutionem legitime factam, nam aliàs si exequutio sit illegitima, nempe facta post obtentam supersessoriam ad effectum adeundi Signaturam, vel post citationem pro illa obtinenda cum inhibitione ad primam Signaturae audientiam, tunc ut attentata revocan-

---

(1) *Decis.* 205. *n.* 14. *p.* 10. *recent.*
(2) *P.* 2. *cap.* 7. *n.* 33.
(3) *Disc.* 31. *n* 29.
(4) *Par. prim. cap.* 6. *n.* 33.
(5) *Par.* 2. *cap.* 6. *n.* 31.
(6) *Par.* 1. §. 1. *n.* 248. *et* §. 2. *n.* 26.
(7) *Decis.* 232.

canda est ab Emo Signaturae Praefecto, et ideo Commissio signatur cum clausula, *constito*, ut supra, *quod sit locus Ægidianae, purgatis attentatis per Eminentissimum*.

Et quum de Attentatis sermo hìc incidat, operae praetium erit, ut, quomodo Signatura in rescribendo super Attentatis se gerat, animadvertamus. Et primum in praxi pro jure certo habetur, Attentata prae omnibus esse purganda, itaut omnia gesta reducantur in pristinum, quae Attentata si clara sint, Signatura tunc rescribit cum clausula, *purgatis attentatis*, si vero turbida censeantur, ut Forenses nostri loquuntur, alia utitur clausula idem Tribunal, committit enim appellationis causam, *alteri cum facultate, attentata revocandi in primis, et ante omnia, quatenus adsint*; de vi hujusmodi clausulae actum esse, legimus, a *De Luca* (1), et fusius a *Marchesano* (2), ac a *Ridolphino* (3) *in praxi*; et Judex, cui directa Commissio est, cognoscere debet primo loco super Attentatis prout de jure.

Attentatis demum in causa non existentibus, Signatura rescribit cum clausula *Nihil*; itaut Judex, ad quem procedere super Attentatorum purgatione non valet; utitur quoque eadem Signatura illa clausula, *rejectis Attentatis*, vel *reservatis in fine litis*, quando purganda non sunt ante litis ingressum; prout animadvertit pluries laudatus *De Luca* (4).

Et licet recensitam clausulam, *purgatis Attentatis*, intelligendam esse prout de jure, et quatenus attentata adsint, firmaverit *Rota* (5); *Constantinus* tamen animadvertit (6), non esse a priore opinione recedendum, tanquam veriore; Signatura enim in Causarum commissionibus illarum merita degustare solet, eapropter si attentatorum ratio in Tribunali Signaturae habita non fuisset, rescripsisset utique, *nihil de purgatione Attentatorum*, ut assolet rescribere quando ea non adsint, vel si ea clara non exstitissent, vel, ut vulgò dicitur, turbida, rescribere non defuisset, *cum facultate purgandi Attentata*; quo quidem Rescripto Signatura cognitionem relinquit Attentatorum Judici appellationis, prout

(1) *In Relat. Rom. Curiæ dis.3. n.29. & de Judic. disc.18.*

(2) *De Commiss. p.2. §.1. & 2.*

(3) *Par.2. cap.5.*

(4) *De Judiciis disc.29*

(5) *Decis.218. n.12. p.8. receut.*

(6) *Annot. 52. art.1. sect 7. n.373.*

ut de jure, quatenus scilicet illa adsint, et non aliàs; et in his terminis loquuntur *Rotae* Decisiones, quas laudatus *Constantinus* refert.

In Causa tamen *Cracovien. Beneficiorum* coram *Bourlemont*, inter recentiores relata (1), commissa S. Rotae a Signatura cum clausula, *purgatis Attentatis*, eadem Rota censuit ad effectum sufficientis purgationis attentatorum aliquando sufficere depositum unius julii cum obligatione solvendi residuum facta liquidatione; quod tantummodo admittit Rota, quando agitur de damno, et interesse illiquidis, seu de expensis, extra judicium factis; secus autem quando agitur de fructuum restitutione, ac refectione expensarum judicialium, pro quibus non sufficere dictum depositum, expresse firmavit eadem Rota coram *Buratto* (2), et *Seraphino* (3). Quae quidem decisio *Cracoviensis* testatur de stilo Curiae id esse, ut qui petat processum ad ulteriora, vel probare teneatur liquidationem, vel impetrare Commissionem, in qua praefigatur terminus ad liquidandum.

De Associationis Judicio, de concessione nempe Familiae armatae pro capienda possessione, agendum nunc est; id enim in Regno Neapolitano vocatur Judicium Assistentiae, et inter judicia exequutiva potius adnumeratur; quod quidem instituitur quando in eventum non adimpleti contractus reservetur dominium, et facultas capiendi possessionem propria auctoritate, vel in contractu adjecta est solemnis clausula *Constituti*, quae de sui natura celerem exigit expeditionem; hinc relaxato per Judicem in hujusmodi Judicio mandato *de associando*, si adversus illud provocetur, Signatura rescribit, *sine praejudicio mandati de associando*; nisi ratione gravaminis retardanda sit exequutio, quo casu, agnito a Signatura gravamine, rescriptum interponitur cum clausula, *si quid exequendum*; de qua inferius plura dicenda sunt.

Judicia, quae celerem exigunt exequutionem, et idcircò dicuntur exequutiva, sunt ea omnia, in quibus agitur vigore obligationis Cameralis, vel alterius pacti exequutivi juxta Regionum morem; et ab iis suspensiva appellatio non conceditur, nisi ratio-

(1) *Decis.* 231. *p.* 16. (2) *Decis.* 356. *n.* 6. (3) *Decis.* 1176. *n.* 2.

tione gravaminis, a Judice a quo illati. Ejusdem naturae sunt Judicia alimentorum, mercedis, collectarum, decimarum, restitutionum depositorum, canonum, cambiorum, litterarum cambii, et ad hunc effectum etiam causae summariae, pensionum domorum, affictuum Casalium, evacuationum, et similium; eapropter Commissiones appellationum in hujusmodi Judiciis, quatenus mandata relaxata sint valida, et justa, ac exceptiones, oppositae adversus actionem claram, sint turbidae, signantur cum clausula, *sine praejudicio legitimae exequutionis*, *seu mandati de evacuando*; unicuique patet, hanc clausulam praeservare jurisdictionem Judici a quo, ut ad exequutionem procedere valeat, licet causa in devolutivo coram alio Judice in gradu appellationis cognoscatur (1). Nec Judex ad quem, stante hujusmodi clausula, impedimentum praestat Judici a quo in exequutione propriae sententiae, juxta docrinam *Marescotti* (2); quum per talem clausulam separetur Jurisdictio exequutiva ab ordinaria, illam nempe praeservando Judici a quo ad effectum exequendi, et hanc in Judicem ad quem transferendo (3). Quod procedit etiamsi in Commissione adsit clausula, *quam*, *et quas* (4); nam stante rescripto, *sine praejudicio legitimae exequutionis* non tollitur Jurisdictio exequendi Judici a quo, nec aliter clausula *quam*, *et quas* tunc operatur; et, si fuerit expedita inhibitio vigore jam dictae Commissionis signatae, eadem clausula censetur apposita in ipsa inhibitione, nec potest causare attentata (5).

Quum proponatur aliqua Commissio signanda in suspensivo, lite, sive Causa adhuc definitive indecisa, si nempe Judex fecerit aliquod decretum, quod provisionale dicitur, eligendo Peritos pro veritate causae, coram eo vertentis, investiganda, vel relaxando aliquod mandatum in Causam declarandam, tunc si petitio appareat justa, et valida, admittitur appellatio in devolutivo, sed rescribi solet, *Nihil*, idest *Nihil* quoad appellationem in suspensivo. Et hoc summa ratione fit, ne lis adhuc

(1) *Ridolph. p.1. cap.13. n.490.*

(2) *Variar. Resol. lib.1. cap.8. n. 4. & 5.*

(3) *Rot. Decis.666. n.2., apud Posth. de Manut. Decis.16. n.7.*

(4) *Rot. Decis.847. n 5. coram Amato Dunozet. in Cæsenaten. Dotis coram Muto §. absque, in fine.*

(5) *Constantin. ad Stat. Urb. de Appell. sect.6. n.301.*

indecisa devolvatur ad Judicem ad quem cum clausula, *sine praejudicio*; quae licet, ut diximus, sit praeservativa judicati, attamen devolvit integrum negotium principale ad Judicem ad quem.

Et in Commissionibus, in Signatura propositis ad effectum impediendi exequutionem mandati de subhastando, Rescriptum ejusdem Signaturae, *sine praejudicio, bonificatis solutionibus*, non impedit processum ad ulteriora in exequutione mandati, et subhastatione, nisi debitor redeat ad Judicem a quo, et petat, obtineatque sibi bonificari easdem solutiones; prout definitum fuit in *Praenestina Circumscriptionis* 14. *februarii* 1788.

Quando vero Judex a quo gravamen intulit, tunc ratione illius proposita causa in Signatura, et docto de gravamine, Commissio appellationis signatur sub tribus modis juxta statum causae, de qua agitur, vel de *appellatione*, vel *si quid exequendum*, sive *alteri*, *qui ad legitimam* (1); et Signatura rescribendo simpliciter, intelligi debet ad utrumque effectum, suspensivum scilicet, et devolutivum, ut fuit aliàs resolutum in *Urbevetana bonorum* 26. *januàrii* 1624. (2). At quomodo hujusmodi clausulis utatur Signaturae Tribunal, nunc videamus oportet; et primum cum clausula *de appellatione*, vel *alteri de appellatione* Signatura rescribit etiam quoad sententias, potissimum prolatas in judicio ordinario, et petitorio, et quando cessat via exequutiva ex pacto, lege, vel statuto, et saepissime in omnibus sententiis, si Adversarius non doceat, causam non esse appellabilem; quum pro jure certo habeatur, appellationem esse de genere permissorum, et in causis omnino admittendam, nisi proponatur peculiaris ratio, sive limitatio, cur non debeat admitti (3).

Qua quidem clausula dum Signatura utitur, causam declarat usque ab initio appellabilem; itaut hujusmodi Rescriptum retrotrahitur ad diem evulgati decreti, sive prolatae sententiae, et omnia medio tempore gesta remanent attentata, juxta praxim *Cappuccii* (4); quae opinio inconcussa est in *Rota* (5).

 Ea-

(1) *Ridolph. p.* 2. *cap.* 13. *n.* 490.

(2) *Coram Dunozetto*.

(3) *Constant. ad Stat. Urb. Ann.* 52. *sect.* 5. *art.* 1.

(4) *Tom.* 1. *pag.* 3. *cap.* 4. *art.* 14. *num.* 333.

(5) *Coram Durano Decis.* 13. *n.* 12. *et coram Priolo decis.* 52. *n.* 6.

Eapropter possessio capta medio tempore revocatur tanquam attentata; et passim stante tali rescripto, ait *Constantinus*, pro circumscriptione possessionis fuisse relaxata mandata de manutenendo ab Auditore Signaturae. Hujusmodi tamen retrotractio locum habet, quando possessio capta sit post appellationem legitime interpositam, vel infra terminum concessum ad appellandum; secus verò est, quando capta reperitur dicto termino elapso.

Et quia appellationis Commissio, simpliciter signata vigore evidentis injustitiae decreti Judicis a quo, non modo retardat exequutionem, donec Judex, cui Commissio directa sit, in causa sententiam ferat, sed ipsammet Causam reddit appellabilem; itaut quamvis Judex ad quem confirmet decretum Judicis a quo, adhuc tamen locum habet altera appellatio, donec tres sententiae conformes, vel duae, ubi viget statutum, latae sint, ac si judicium mere ordinarium esset; ideo ne Actor remaneat destitutus remediis exequutivis curat a Signatura Commissionem signari hoc modo, *Judici ad quem*, *ut procedat ex integro*, vel cum communicatione facultatum Auditoris Camerae; quo equidem casu delegatus Judex, cognita injustitia, vel nullitate decreti Judicis a quo, procedit exequutive; quod raro evenire solet.

Hujusmodi facultates, quae Auditoris Camerae dicuntur, communicantur etiam Judici delegato, quando eidem committitur cognitio alicujus judicii exequutivi, quod connexionem aliquam habeat cum alio judicio ordinario, coram eodem Judice pendente, avocando exequutivum ab Auditore Camerae, nè continentiae causa dividatur, et ne ob judicii diversitatem contingat ferri sententiam contra sententiam; nam tunc nè Actor privetur via exequutiva, qua coram Auditore Camerae celeriter instantiam terminare poterat, Signatura rescribere solet hisce verbis, *praevia avocatione causae ab A. C. Judex delegatus procedat etiam in judicio exequutivo connexo, cum facultatibus ejusdem Auditoris Camerae*, vel, *omnia ad Judicem delegatum, cum facultatibus A. C.*

Facultates enim Auditoris Camerae sunt, procedendi nempe exequutivè (1), ideoque tale rescriptum intelligitur prout de ju-

---

(1) *Rota in Romana Ferrucci 28. febr. 1681. §. Quum enim coram Albergato.*

jure, et quatenus via exequutiva de jure competat; quum Signatura non potest tales facultates concedere, ubi deficit via exequutiva, ut adnotat *Rocca in Disputationibus Juris selectioribus* (1).

Cum clausula vero, *si quid exequendum*, signantur Commissiones appellationis in judiciis exequutivis; et id tunc accidit, quando Signatura degustando injustitiam non satis patentem, priusquam primum judicatum exequutioni demandetur, alterius Judicis cognitionem requirit, eapropter exequutionem retardat, at viam exequutivam non tollit; itaut, si Judex ad quem, bene a priori Judice judicatum fuisse, existimet, mandat exequi decretum, de quo provocatum est; si verò male judicatum censeat, bene appellatum, et male judicatum in causa pronunciat, Reum ab impetitis absolvendo; vis, atque effectus hujus clausulae declaratur a *Barbosa* (2), *Ridolphino* (3), et *Marchesano de Commissionibus* (4); docet tamen *Constantinus*, talem clausulam continere implicite conditionem, quatenus de jure aliquid exequendum sit; hinc debet prius coram Judice appellationis praecedere cognitio, an constet de validitate, ac justitia sententiae, vel mandati, ad hoc ut decernatur deinde exequutio.

Post commissam Causam appellationis cum tali clausula Judex a quo caret facultate exequendi suam sententiam; et si ad exequutionem procederet, illa attentata quidem esset, quum exequendi facultas eidem sublata sit, et in Judicem ad quem translata, ut testatur *Cappuccius* in praxi (5), et *Rota in Romana Attentatorum 28. Martii 1680. coram Pauluccio*. Attamen *Constantinus* laudato in loco (6) animadvertit, id procedere postquam Appellans incapsaverit Commissionem, et non secus, licet Commissio fuisset signata in plena Signatura utraque Parte informante, et sequitur *Rotae* auctoritatem (7), qua edocemur etiam, quoad Reum conventum litem non incipere ab hujusmodi Rescripto Signaturae, quod habet in ventre tacitam conditionem, quatenus ora-

(1) *Tom 2. cap. 153. n. 14., et 15.*

(2) *Clausul. 169.*

(3) *In praxi p. 1. cap. 13. n. 495.*

(4) *P. 1. §. 1. n. 153.*

(5) *Tom 2. de Exequut. art. 12. num. 585., et 588.*

(6) *n. 72.*

(7) *Decis. 384. coram Bichio.*

Orator eo uti velit, prout *Ostiensis* firmat, et post eum *Abbas* (1), et *Rota* apud *Burattum* (2).

Immo ex *Aretini Consilio* 33. censuit eadem *Rota* coram *Bichio*, nullo unquam modo conditionem illam purificatam dici posse, nisi praemissa citatione ad dicendum contra, vel alio modo Actor Commissione obtenta usus fuerit; hinc pro jure certo habetur apud omnes, quos videre est in laudata decisione, simplicem Commissionis impetrationem, et praesentationem non sufficere ad effectum attentatorum; nec relevat assertio illa, Commissionem, ex eo quia obtenta fuerit utraque Parte informante, communem esse, et propterea opus haud esse praedicta citatione ad dicendum contra; dicitur enim illa communis ad effectum, ut altera Pars ea uti possit invito impetrante, nam alias id facere non potuisset, non autem, ut ante commissionis usum tribuatur Judici jurisdictio, et lis pendere dicatur; sine qua firmum in praxi est, omnia ges a eo tempore attentata non esse; et semper inest rescripto, ut superius diximus, conditio illa pendens a voluntate impetrantis; nam, dum Reus ipse commissione non utitur, militat ratio non firmatae jurisdictionis in Judice, itaut desit persona Judicis, sine qua impossibile est, litem, et judicium efformari, juxta regulam, quod trium personarum concursus requiratur pro constitutione formalis judicii, Actoris nempe, Rei, et Judicis.

Posset etiam opponi, quod Reus, ubi utraque Parte informante Signatura rescripsit, commissionis notitiam habuerit; at plus operari non potest Commissionis notitia, quam ipsa Commissio, e qua ut diximus, nonnisi post illius usum litis pendentia oritur; nam in fortioribus terminis ex ipso inhibitionis sive citationis, decreto, quamvis id Reus sciverit, quoad ipsum non inducit litis pendentiam, sed requiritur actualis exequutio ac praesentatio inhibitionis, seu citationis (3).

Hujusmodi verò clausula suspensiva exequutionis non tollit viam exequutivam obligationi Camerali, neque ipsa obligatio vulneratur; sed tantummodo exequutionem suspendit, donec de mandati justitia cognoscatur, juxta mentem *Rotae* coram Coc-

(1) *In Cap. ex conquaestione de restit. Spoliatorum n.* 10.

(2) *Decis.* 138. *n.* 2.

(3) *Lancellott. de Attent. cap.* 20. *decl.* 1. *n.* 4.

Coccino (1), et coram *Bichio* (2); itaut vi ejusdem clausulae causa appellabilis non reddatur. Et, si mandatum exequutivum in prima instantia aliquam pateretur difficultatem, dummodo constet de bono jure illius, qui illud obtinuit, ex eadem clausula, *si quid exequendum*, praeservatur via exequutiva pro relaxatione novi mandati, decernenda a Judice appellationis, procedente cum tali clausula (3); animadvertendum tamen est, novam mandati relaxationem procedere tantummodo pro credito, in priori mandato contento, non autem pro alia summa, in prima instantia non deducta; prout firmavit *Rota* in suis decisionibus (4).

Et quamvis mandatum in prima instantia relaxatum, dum Causa commissa est cum dicta clausula, vel cum illa, *alteri*, *qui ad legitimam*, de qua inferius dicemus, justificari debet ab Actore ex eisdem actis; itaut non sufficiat illud justificare ex Juribus productis in altera instantia; e contra tamen Reus appellans potest mandatum impugnare, et illius exequutionem, etiam ex novis Juribus producendis coram Judice appellationis. Eo namque casu, quo Reus appellans ita agat, vetitum haud est Actori appellato ad elidendas exceptiones propositas in secunda instantia nova jura producere (5); et hoc enim recte fit ad aequalitatem servandam, quum Reus non debet meliorem habere conditionem, quam Actor; pari passu equidem eos ambulare debere, Fori Doctores communiter ajunt.

Quoties deinde appellatur a mandato de exequendo, relaxato a Judice secundae instantiae, cui Causa commissa fuit cum clausula, *si quid exequendum*, nova Commissio appellationis signatur in judiciis exequutivis cum clausula, *alteri*, *qui ad legitimam*; et ut ea a Signatura obtineatur, docere opus est, dubium, nempe, adhuc superesse de justitia judicati; extenditur praedicta clausula, prout sequitur, *alteri Judici, qui ad legitimam exequutionem procedat, sin minus causam appellationis cognoscat*; et haec etiam suspendit exequutionem

(1) *Decis.* 404.
(2) *Decis.* 184 *n.* 2.
(3) *Cappuccius in praxi t.* 2. *de Jud. Exequ. p.* 12. *n.* 580.
(4) 213. *n.* 13. *p.* 8 *recent.*, 242. *n.* 1. *p.* 15, 273. *n.* 16. *p.* 19.
(5) *Rota decis.* 280. *n.* 4. *coram Peutingero*.

nem donec, et quousque alter Judex de ea cognoscat; via tamen exequutiva in tuto remanet Si demum ante aditam Signaturam fuerit facta legitima exequutio, rescribitur, *alteri, qui ad ulteriorem legitimam*; haec namque clausula suspensiva et etiam est, ac similis recensitae clausulae, *si quid exequendum*; recipit quoque easdem fere regulas, ac declarationes (1); hinc illa itidem privat Judicem a quo facultate exequendi, eamque transfert in Judicem ad quem (2).

Diximus enim, clausulam, *alteri, qui ad legitimam*, similem fere esse clausulae, *si quid exequendum*, quum sint ejusdem naturae; intercedit tamen ea differentia, quod Signatura rescribit, *si quid exequendum*, quando causa committitur a simplici mandato relaxato, et non exequuto in prima instantia; cum altera vero clausula ab eodem Tribunali rescribitur, quando in secunda instantia Judex mandavit exequi mandatum, ut superius diximus, vel si mandatum Judicis primae instantiae fuit ceptum exequi ante Commissionem appellationis, et Signatura cognoscat, perperam actum fuisse; ut notat laudatus *Cappuccius* (3).

Transeamus modo ad sententias latas super exequutione litterarum Apostolicarum, quae ex communi Tribunalium praxi paratam habent exequutionem, et inter judicia exequutiva adscribuntur. Hinc quando agitur de similibus appellationibus, ob reverentiam, quae debetur eisdem litteris, Signatura Commissiones signare solet cum clausula, *parito litteris*; qua id cavetur, ut causa in gradu appellationis cognosci non valeat, nisi praecedat integra exequutio litterarum Apostolicarum; ut ad rem docent *Barbosa* (4), *Ridolphinus* (5), *Marchesanus* (6), et *de Luca* (7). Utitur etiam hoc Tribunal alia clausula in appellationibus, quae interponuntur ab exequutione earumdem litterarum, quando Judex exequutor gravamen aliquod intulit, de quo satis constet, et est, *parito litteris arbitrio, etc.* remittit enim exequutionem arbitrio Judicis ad quem, et interim ea

est

(1) *Rot. dec.289. n.4. coram Peutinger.*

(2) *Marescott. Var. Resolut. lib. 1. c.86. num. 6.*

(3) *In praxi tit.2. art.12. de jud. exerc. num. 190.*

(4) *Clausul. 98.*

(5) *P. 2. cap. 8. n. 51. et n. 158.*

(6) *De commissionibus p. 1. c. 1. n.71.*

(7) *Relat. Curiae disc. 31. n.29.*

est in suspenso, donec hic cognoscat, an intret arbitrium retardandi nempe exequutionem litteris Apostolicis, vel ne; qui si negative censeat, procedit ad exequutionem earumdem litterarum, sin minus, pronunciat bene appellatum, et male judicatum fuisse. Haec enim clausula, *Arbitrio*, intelligenda est, prout de jure; et idcirco dictum arbitrium regulari debet juxta juris dispositionem, maxime ex eo quia rescripta cum dicta clausula emanantur a Signatura Justitiae, quae non facit rescripta gratiosa, seu aberrantia ab ordine Juris, ut advertit *Rota* (1), et *Postius* eam sequitur in tractatu *de manutentione* (2); attamen tale arbitrium committitur tantummodo Tribunali S. Rotae, et non alteri Judici, juxta notata per *Marchesanum* (3). Occasione ejusdemmet clausulae, *Arbitrio*, *Constantinus* quamdam excitat penè inutilem quaestionem, an ea apposita a Signatura Justitiae aliquid operetur, ut Commissarius Judex, sequi nempe possit aequitatem, et hinc inde diversas sententias refert, ac auctoritatibus comprobat; verum enim vero hujusmodi disputationi immorandum profecto non est, si pro arbitrio, quod datur in hisce Commissionibus, sumendum illud sit, quod a jure regulatur, ut superius diximus.

In Causis appellationum a dicta exequutione litterarum Apostolicarum, vel Institutionis judicialis, Signatura etiam rescribit, *Alteri apposito sequestro*, quando quis adeptus fuerit possessionem Beneficii attentatè, quia adversus execuutionem, quam dederit litteris Apostolicis Exequutor mixtus, vel contra institutionem judicialem, denegari non soleat appellatio, et Beneficii possessio capta fuit post appellationem, vel infra tempus datum ad appellandum; hinc nè Attentantes fruantur commodo vitiosae, ac attentatae possessionis, de stilo Rotae apponitur sequestrum (4); et ad effectum parcendi expensis necessariis pro disputatione dubii in Rota, an sit locus appositioni sequestri, Signatura in causis praedictis mixti exequutoris, ac institutionis, solet rescribere, *apposito sequestro*, *alteri de appellatione*; immò ab ipsomet Auditore Signaturae in vim dicti rescripti deputatur Oeconomus, qui administret Beneficium, ejusdemque reditus, donec lis finem habuerit.

 Quoad

(1) *Decis.* 558. *n.* 1. *in Recent.*
(2) *Observ.* 7. *n.* 63.
(3) *P.* 1. *de Commissione Appellat. ab exequ. Brevis cap.* 2. *n.* 39.
(4) *Rota decis.* 166. *per tot. decis.* 202. *n.* 15. *p.* 16. *recent.*

Quoad praedictum sequestrum nonnulla insuper animadvertenda sunt. Nam etiamsi possessio Beneficii legitime capta fuerit, et judicium deinde super ea instituatur in Romana Curia, in qua contra possessorem sententia lata sit, sequestrum quoque locum habet, ex dispositione *Clementinae* unicae *de sequestr. possess. et fructuum*; de qua praesertim loquuntur *Gonzalez* (1), *Marescottus* (2), et *Rota coram Caprara* (3).

Nec aliter servandum esse, eadem Rota censuit, si tam Actor, quam Reus habeat pro se sententiam favorabilem, et quilibet bonum jus ex propria sententia deducat. Praerogativa enim sententiae, latae in Curia, et praecipuè in Rota, ea est, ut non attendatur sententia, lata extra Curiam, sed sententia in Curia, quamvis sit secunda respectu causae, sed prima respectu loci; prout animadvertit *Glosa* ad dictam *Clementinam* et firmavit etiam dicta *Rota coram Herrera* (4).

Et quatenus sequestri petitio factā non sit in Rota, nec ab ea in prolatione sententiae praescriptum fuerit, potest eadem Rota etiam post dictam sententiam illud decernere; ut legitur in dicta *decisione coram Caprara*, et adnotat *Vestrius* (5); dummodo tamen fiat, antequam a Judice ad quem appellatio recepta sit; juxta animadversionem *Gravat.* ad eumdem *Vestrium* laudato in loco. Hinc est, quod eo magis, si ad Signaturam Justitiae fiat recursus pro appellatione obtinenda in casu, superius expresso, legitimae, et non attentatae possessionis, ea rescribere etiam potest cum clausula, *apposito sequestro*.

Privilegio paratae exequutionis donantur etiam sententiae super solutione Pensionum Ecclesiasticarum; hinc appellationes in hujusmodi causis admittuntur cum clausula, *sine praejudicio exequutionis, et non retardata solutione Pensionis*: e qua quidem clausula satis patet, non posse in gradu appellationis Judicem anteire, nisi prius satisfacta integra pensione contenta in sententia, et non retardata aliorum terminorum postea decurrendorum solutione; nam dicta clausula est aeque moratoria, et suspensiva jurisdictionis Judicis ad quem, ante solutionem integram terminorum Pensionis, et de solutione debet constare in actis antequam Judex procedere incipiat (6); quae conclusio locum

(1) *Ad Reg.8. Cancell. in proœm. n.30.*
(2) *Var.Resolut. lib.2. c.77. n.18.*
(3) *Decis.66.Compostellana Parochialis.*
(4) *Decis. 18. n.14.*
(5) *In Praxi lib. 7. cap. 2. n. 5.*
(6) *Marta de Clausul. p.1. c.165. n.13.*

cum habet etiam pendente lite super nullitate pensionis (1). Et ex eo quia Appellans audiri nequaquam potest, nisi probet se integre satisfecisse, idcirco *Tondutus* in tractatu de *Pensionibus* (2) ait, non sufficere cautionem de solvendo summas illiquidas cum consignatione unius scuti in signum arrhae pro liquidandis. Ulterius *Rota* in *Mediolanensi Pensionis* 7. *novembris* 1717. coram *Ubaldo* (3) censuit, dictae clausulae non censeri satisfactum, quamvis Titularis offerat Pensionario omnes fructus Beneficii; *Barbosa* vero nos edocet (4), posse recursum haberi a Pensionario ad Summum Pontificem, ut ab eodem obtineat, quod praestita cautione Bancaria, vel in forma depositi, de solvendis summis debitis post factam liquidationem, ad ulteriora in causa procedatur.

E' ratione demum, qua Signatura movetur in rescribendo cum dicta clausula in causis Pensionum, facile intelligimus, non ita illam rescribere in Pensionibus impositis ab inferioribus. *Staphileus* enim (5) duas dedit rationes, quare clausula praedicta apponatur, primum propter fraudes, et malitias recusantium solvere Pensiones legitime impositas, quibus malitiis indulgendum non est; secundò vero propter honorem Pontificis, mandantis solutionem pensionis ab ipso impositae, cujus litteris omni reverentia parendum, donec de contrario constet; et proinde, ait etiam ille, dictam clausulam non apponi in Commissione, quando Pensio imposita fuit ab inferiore. Et quamvis haec *Staphilaei* animadversio non omni ex parte nobis arrideret, quum inferior aliquando imponere Pensiones possit ex auctoritate Papae; attamen *Gigas*, in tractatu de *Pensionibus* (6), dubium omne ademit, dum ait: *intellige sane hoc, nisi inferior pensionem imponeret auctoritate, sibi a Papa concessa, idem voluit Cassadorus Rotae Auditor tit. de rescriptis dec.* 10.

Plures etiam casus recensendi hic sunt, in quibus dicta clausula, *non retardata solutione Pensionis* a Signatura non datur; et primum si antecessor Titularis plurium annorum spatio pensionem non solvisset, et successor asserat Beneficium adeo gravatum esse, quod Pensio invalida sit; praesumptio tunc oritur extinctionis pensionis, ex eo quod tanto tempore pensionis exa-

(1) *Decis. 996. n. 18. coram Dunozet.*
(2) *C. 80. n. 9. post Gonzalez n. 251.*
(3) *Apud Marches. to. 1. fol. 608.*
(4) *Clausul. 98. n. 13. et Tondut. loc. cit.*
(5) *De litteris justitiae pag.* 154.
(6) *Quaest.* 34.

ctio neglecta ſuerit, ideoque ſavore Eccleſiae pro liberatione praeſumendum (1). Idem ſervat Signatura, dum quis annuae penſionis reſervationi conſenſerit, ſcutorum nempe centum, ſuper pluribus Beneficiis, ſibi ab uno Titulari reſignatis, poſt obitum antedicti Reſignatarii plures de dictis Beneficiis fuerint proviſi, et Penſionarius contra unum poſſidentem ad integram penſionem agere velit; nam pro rata quodlibet Beneficium gravatum cenſetur, et poſſidentes pro rata penſionum ſolvere tenentur.

Quando jam lata ſententia ſit adverſus Penſionem, nec etiam dari ſolet dicta clauſula, quia Penſio per ſententiam exonerata dicitur, et res integra non eſt; itaut, Penſionarius ſi cauſam appellationis committi petat, datur commiſſio ſimplex; ita namque ſub Praefectura *Aſcanii Cardinalis Sforziae* referente *Canigiano* in una *Nucerina penſionis* reſolutum refert *Marcheſanus* (2); qui et alios caſus enumerat, in quibus Signatura abſque clauſula, de qua agitur, reſcribit; immo advertit in Commiſſionibus, quas impetrari contingit ſuper reductione Penſionum, Signaturam reſcribere cum clauſula, *prout de jure*, *et non retardata ſolutione Penſionis*.

Reliquum eſt, ut animadvertamus, in Commiſſionibus Appellationum, quae *ſub banca* ſignantur ſimpliciter, et aliquando ex natura judicii debuiſſent ſignari cum aliquibus ex ſupradictis clauſulis, et Pars adverſa adeat Signaturam pro laceratione Commiſſionis, ſi ei non ſit locus, vel pro ejuſdem reformatione, addendo clauſulam, quae erat apponenda, illa reſcribit, *lacerari commiſſionem*, vel mandat, ut *Judex delegatus procedat*, *ac ſi commiſſio ſignata foret cum clauſula conſtito*, *quod ſit locus Ægidianae*, *vel ſine praejudicio exequutionis*, vel aliàs, prout negotium expoſcit. Dum tamen Signatura agnoſcit Commiſſionem recte expeditam fuiſſe, reſcribit his verbis, *nihil de laceratione*, *ſeu reformatione commiſſionis* (1).

Hac namque clauſula, *nihil*, utitur etiam Signatura, quum omnem appellationem rejicit; et praeſertim quando Tutor, Curator, vel adminiſtrator aliquis, aut exactor, citatus, et damnatus ad reddendam rationem, eam retardare conetur per appel-

(1) *Gigas de Penſ. qu. 85. n. 3 Gomes. ſuper regul. Cancell. de non judicando juxta formam q. 16. n. 83.*

(2) *De Commiſſion. Appell. c. 4. p. 2.*

(1) *De Luca Relat. Curiæ disc. 31. n. 28. Marcheſanus de Comm. p. 2. cap. 2. n. 90. pag. 25.*

pellationem; et recte ita a Signatura rescribendum est, cum rationis redditio omnino fieri debeat, nec decretum ad hujusmodi personas coercendas pro redditione rationum continere potest gravamen aliquod. Ita et in casu exhibitionis librorum, vel scripturarum, quando nempe decretum latum sit, *constito prius de existentia, et interesse* (1); quod quidem procedere, ait *Constantinus*, quando decretum versatur in simplici exhibitione, secus vero si in casum non exhibitionis facta fuerit condemnatio ad interesse (2). Denique *Constantinus* ipse animadvertit, quod si cum dicta clausula Signatura rescripserit, et aliqua nullitas deducta fuerit, ex tali rescripto habetur illius rejectio, itaut eadem non potest in Rota, vel coram aliis Judicibus deduci (3).

Quum Auditor Signaturae, et Eminentissimus Praefectus remiserint Causam ad aliquod Tribunal, moderati fuerint aliquam inhibitionem A. C., vel Rotae, relaxaverint mandatum pro purgatione Attentatorum, aut aliquid simile fecerint, si Litigantes non acquiescant provisionibus, et decretis ab eisdem factis, et adeant Signaturam plenam, haec dum agnoscit, bene fuisse provisum per dictum Auditorem, aut Eminentissimum Praefectum, rescribit, *nihil, et servetur decretum Emi*, hoc est Praefecti, cujus nomine Auditor facit decreta; si vero agnoscat male egisse, tunc juxta peculiares casuum circumstantias rescribit.

Causae appellationum a sententiis de partibus devolvuntur ad A. C., qui ad instantiam appellantis inhibere statim solet Judici a quo, nè ad ulteriora procedat, quod si natura judicii aliter postulet, idem A. C. moderâtur inhibitionem suam, vel ad utrumque effectum, remittendo causam integre ad partes, vel ad effectum devolutivum tantum; Auditore Câmerae, ejusve Locumtenentibus moderare recusantibus inhibitionem, tunc Signaturam adire oportet, quae consuevit rescribere, *A. C. moderetur Inhibitionem, et causam ad partes remittat*, si causa non sit curialis; vel si sit curialis, sed exequutiva, et Judex a quo gravamen aliquod non irrogaverit, rescribit, *in devolutivo tantum*; et tunc Judex de partibus procedit ad exequtionem, licet causa iterum cognoscatur coram A. C.; si vero causa erit curialis

(1) *Scaccia de Appellat. q.17. lim.16. memb. 8 n. 21.*

(2) *Ridolphi n. in praxi p.2. c.3. n 72.*

(3) *Rota decis. 815. n. 33. p. 18. to. 2. recent.*

lis, et appellabilis, vel exequutiva, et Judex a quo gravaverit, Signatura, *nihil* de moderatione, respondit: demum si idem Auditor Camerae, vel illius Locumtenentes male moderati fuissent inhibitionem, Signatura rescribit, ut *illam reintegret*, ex eo quia, causa, nempe, erat appellabilis, vel debebat in Curia cognosci.

In eodem Signaturae Tribunale proponitur recursus pro deputatione alterius Judicis in locum suspecti allegati; et licet talis allegatio suspicionis Judicis ordinarii admittenda non esset absque rationabili causa, tamen in Curia semper absque causa admittitur, quando Partes in eo non conveniant, et lis non sit instructa; itaut si allegatur suspectus Locumtenens A. C., aut Eñi Vicarii, Signatura tunc rescribere solet, *Eño Vicario, vel A. C., qui alium deputet*: si vero Judex suspectus delegatus sit, non ordinarius, rescribit, ut *causa committatur alteri non suspecto, vel alium deputet in statu, et terminis* (1). Effectus enim hujus clausulae, *in statu, et terminis*, is est, ut tunc omnia acta, facta ante deputationem alterius Judicis, remaneant firma; juxta mentem *Rotae* (2); et differt a deputatione alterius Judicis, quae fit a Signatura ex integro; tunc enim omnia gesta coram Iudice, allegato suspecto, habet illa pro circumscriptis, ac si facta non essent (3).

Operae pretium hic erit quaerere, quomodo Tribunal hoc se gerat in Commissionibus causarum miserabilium, et pauperum. Constito enim de paupertate, ac bono jure solet apponere clausulam, *subministratis alimentis, ac sumptibus litis*; aequissimum enim id est, si Signaturae Tribunal ita rescribere soleat, nam aliàs facile accidere posset, ut destituti pecunia in jure suo persequendo impedirentur. Quum vero non satis liqueat, an sit locus alimentorum praestationi, delegat cognitionem Judici, coram quo pendet Causa, adjecta clausula, *cum facultate subministrandi alimenta, et sumptus litis*, observat *de Luca* (4); vel ut hodie usitatius est, *subministratis scutis N.*; id tamen praesefert clausula, *subministratis alimentis, ac sumptibus litis*, ut Judex vigore talis Commissionis debeat in primis, et ante omnia decernere expensas, et sumptus litis; si vero Signatura rescripserit, *subministratis expensis arbitrio Rotae*, tunc

(1) *In Relat Curiæ disc.* 31 *n.*48. 49.
(2) *Decis.* 222 *n.* 13 *par.* 16. *recent.*
(3) *Gratian. cap.* 734. *n.*2.
(4) *De Judiciis disc* 141. *n.* 5. *et in Relat. Curiæ disc.* 31. *n.* 29.

tunc rescriptum pro subministratione non est praecisum, sed debet prius in Rota disputari, an sit locus arbitrio pro illarum subministratione, ut factum fuit per *Rotam in Decis.* 18. *part.* 9. *recent.*; diversa deinde res est, si fuerit rescriptum, *subministratis alimentis, et sumptibus litis, arbitrio Rotae taxandis*, tunc subministratio illorum fieri debet, et Rotae arbitrium versatur tantummodo super quantitate taxanda, et non super substantia, a Signatura praecisè ordinata (1). Non acquiritur tamen ex hujusmodi rescripto ulla actio appellato, nisi quando appellans voluerit causam appellationis prosequi, quum tunc solum impediat exercitium Jurisdictionis inter ipsas Partes (2); ideoque qui vult uti dicta Commissione cum recensita clausula, tenetur ad illorum subministrationem (3).

In judicio creditorum mulieris Signatura semper rescribit, *sine praejudicio, salva medietate dotis*, ut testatur *de Luca in titulo de dote* (4); quae medietas dotis metienda non est ex eo, quod superest post fortuitum casum superventae inexigibilitatis; tunc enim non esse salvam medietatem, praescriptam ab immutabili stilo Signaturae, sed modo trientem, modo quadrantem assis dotalis, mulieribus constituti, et modo minorem, juxta majorem, vel minorem decoctionem, quae contingeret, acerrime contendit *Hieronymus Palma Nepos* (5); e qua clausula, de stilo apponi solita a Signatura, edocemur, Judices in relaxatione mandati contra mulierem, obligatam pro viro, vel filiis, quae alleget se remanere indotatam, debere eidem praeservare dimidiam partem dotis; aliàs Signaturae Tribunal ex inconcussa observantia ei occurrit superius recitata clausula.

Solet etiam Signatura aliquando favore Soceri, vel Fratris, contra quos ad instantiam Generi, vel Sororis, fuit relaxatum mandatum liberè pro dote, non attento scilicet beneficio, *deducto ne egeat*, ab illis judicialiter allegato propter eorum paupertatem, rescribere, *sine praejudicio, deducto ne egeat*; quo casu non potest Judex a quo procedere, nisi salvis alimentis congruis pro Socero, vel Fratre, contentis in dicta clausula, *deducto ne egeat*, modificativa alterius antecedentis *sine praejudicio*; alias attentat (6). Non censetur tamen, Judicem attentas-

(1) *Rota coram Coccino dec.* 390. *n.* 1.
(2) *Decis.* 113. *n.* 30. *coram Bichio.*
(3) *Decis.* 404. *n.* 6. *p.* 18. *t.* 2. *recent.*
(4) *Disc.* 20. *n.* 3.
(5) *Allegat.* 326. *n.* 15.
(6) *Cappuc. in praxi t.* 2. *de jud. exeq.*

tasse, nec excessisse in exequutione, etiam stante dicto rescripto, licet creditor dotis ſecisset exequutionem super certis corporibus, dum in aliis possint remanere alimenta congrua (1).

Nunc verba ſacere existimamus de rescripto, quo Signatura utitur in illis causis, in quibus Judex, stantibus solummodo coram eo deductis, videtur juste pronunciasse, et propter jura, noviter deducta in eadem Signatura, reddatur illius decretum injustum, et appellabile, tunc enim rescribere solet cum clausula, *iterum audiat*; quod est quoddam medium inter rescriptum de appellatione, et caetera rescripta; idque fit, nè Partes gravioribus impensis onerentur, dum vigore illius rescripti idem Judex, inspectis aliis juribus, antea coram eo non deductis, et cognita ex illis injustitia decreti, potest decretum latum retractare. Hac eadem clausula etiam uti consuevit Signatura, quando decretum in parte sit justum, et partim gravamen contineat, nè ratione individuitatis decreti committatur appellatio etiam in illa parte, pro qua non esset committenda, si Judex in alia parte non gravasset.

Animadvertendum tamen hic est, Signaturam ita rescribere etiam in Causis per contradictas expeditis; itaut vi hujus rescripti servatis servandis Judex revocare potest sententiam latam, nam Jurisdictio, qua ille functus est, hoc praevio rescripto, excitatur; non potest quippe Judex sententiam latam circumscribere tanquam nullam, ut fuit dictum coram *Molines* (2). Secus vero est, quando Signaturae Tribunal rescripto de *iterum audiendo* adjiciat clausulam, *ex integro*; nam vi ejusdem dicitur sententia circumscripta, ac si lata non fuisset, ut distinguendo inter unum, et alterum rescriptum declaravit eadem Signatura sub *die* 30. *januarii* 1690. Qua de re videnda est *Decisio coram Caprara* (3).

Ex eo quia Auditor Camerae, et illius Locumtenentes nullam habent in Beneficialibus jurisdictionem manutenendi, ut pluries Rota definivit (4), etiamsi Partes in jurisdictione conveniant (5), Signatura in hujusmodi contingentiis expressè prohi-

(1) *Constantin. Ann.* 52. *art.* 1. *sect.* 8. *n.* 429. *et* 430.

(2) *Recanaten. Fideicom.* 27. *junii* 1689.

(3) *Recanaten. Fideicommissi* 73. *n.* 17. *part.* 2.

(4) *In Hortana Parochialis cor. Peregrino ap. Marchesanum de Commis. p.* 1. *fol.* 464. *num.* 6. *Gregor.* XV. *Decis.* 119. *num.* 4.

(5) *Decis.* 160. *num.* 2. *Decis.* 224. *et* 32. *coram Cavalerio*.

prohibet Locumtenentibus A. C., in eadem Signatura intervenientibus, nè similia mandata concedant; immo ut plurimum consuevit, antedicta mandata, ab A. C., seu illius Locumtenentibus expedita, abrogare, et circumducere, rescribendo cum clausula, ac si non emanassent; juxta adnotata per *Marchesanum* (1), et *Postium* (2).

Evenit aliquando, ab Appellante non fieri legitimo tempore Actorum transportationem coram Iudice Appellationis, eapropter Appellatum obtinuisse moderationem inhibitionis; tunc si Appellans prosequi velit appellationem, et petat reintegrationem inhibitionis jam moderatae, Signatura rescribere solet, *refectis expensis, et transportatis actis reintegret*; ideoque Appellans non solum acta transportare debet, sed simul reficere Appellato expensas, quas erogavit in obtinenda moderatione inhibitionis, si dicti rescripti conditionalis commodo perfrui velit: quum vero ob moderatam dictam inhibitionem Appellatus ulterius acceperit possessionem, vel fecerit exequutionem concessam in sententia, Signatura rescribit, *refectis expensis, et transportatis actis, reintegret sine praejudicio rei judicatae*.

Et, si agatur de sententia, vel mandato, ab A. C. relaxato in causis ordinariis in prima instantia, vel minoris valoris scutorum 50., Signatura circumscribit dictam sententiam, sive mandatum, ac de medio tollit, rescribendo, *ad partes*, hoc est jubet causam remitti ad Judicem in partibus; advertendum tamen, Signaturam ita rescribere, quando agnoscit non adfuisse consensum legitimum Rei conventi; consensu enim, pro certo habetur, jurisdictionem quodammodo prorogari.

Utitur etiam Signatura illa rescribendi formula, *sine praejudicio ad effectum investiendi*, quando transgrediendo terminos committendi appellationes, cognitionem instituit circa causae merita, et, ut ait *Constantinus*, *ex quadam æquitate laxat habenas, ut lites terminentur*; hinc si Judex relaxavit mandatum ad effectum liberè solvendi, et pecuniae sint investiendae pro evictione, vel securitate dotis, Signatura solet rescribere superius expressa clausula. Ita etiam, si agatur de mandato, relaxato contra debitorem forensem, vel decoctioni

 proxi-

(1) *De Commission. appellat. pag. 1. num. 82. et 87.*

(2) *De Manutent. observat. 107. n. 6.*

proximum, tunc licet aliqua dubitatio sit in credito, quae in aliis fortasse mereretur Causae commissionem in suspensivo, adhuc Signatura, arbitrando more Principis, solet rescribere, *data cautione, si quid exequendum*; et id agit, ut dum quaeritur in secunda instantia judicati exequutio, *hoc possit deservire*, adnotat *Constantinus*, *de vento ob recessum Forensis, vel decoctionem formalem debitoris*; at hujusmodi rescripta, affirmat ille, non esse de facili concedenda, nec vidisse facta, nisi cum magna circumspectione, nè debitor gravetur praestare cautionem, quam invenire difficile est ex juris praesumptione, docent *Cyriacus*, et *Giurba* (1).

Rescribere aliquando solet Signatura, *Commissionem primam haberi, perinde ac si non emanasset*, quum nempe commissio aliqua signata reperiatur cum rescripto, de quo Pars alia conqueratur; eo enim casu id fit, ut res dicatur redacta ad statum, in quo erat ante Commissionem, quae abrogatur; prout *Rota coram Amato Dunozetto* (2) censuit; et non semel quoque Signatura rescribit, *sine praejudicio quoad certam summam in mandato contentam, et in reliquis si quid exequendum*; hinc Judicis a quo in exequutione jurisdictio praeservata in parte remanet, et pro alia parte suspensa; iniquum profecto esset, quod pars crediti clari, et incontrovertibilis, retardaretur per partem illiquidam, ut advertunt *De Luca*, et *Gratianus* (3); idcirco Signatura rescribens more Principis, licet agatur de summa individua, contenta in eodem mandato, optime se gerit ita rescribendo.

A mandato, relaxato adversus bona haereditatis alicujus, et Exequatur contra bona propria, et personam haeredis, si appellatio interponatur, Signatura pro stilo habet distinguendi varias circumstantias; aut nempe haeres indubie talis, ad docendum de inventario, ac de rebus in eo descriptis reddendam rationem, citatus, de illo non doceat, aut si inventarium ostendat, de inventariatis vero rationem non reddat, tunc Signatura rescribit, *sine praejudicio*; juxta tradita per *Rotam* apud *Postium* (4); si vero Exequatur contra personam, et bona propria,

(1) *Controvers.* 101. *n.* 64. *Dec.* 4. *n.* 9.

(2) *Decis.* 642. *n.* 8.

(3) *Relat. Curiae disc.* 31. *num.* 7. *Discept. for. cap.* 183. *n.* 23.

(4) *De Manutent. decis.* 721. *num.* 1. *coram Merlino, et Decis.* 685. §. *haeredes par.* 18. *t.* 2. *recent.*

pria, injuste elargitum fuisse, contendat aliquis, vel ex quo ab Actore haud recte, ut par est, qualitas hereditaria, per expressam aditionem nempe, doceatur, sed per probationes ambiguas, et non bene concludentes, tunc quoad dictum Exequatur solet Signatura rescribere cum clausula, *si quid exequendum*. In eo tamen casu, quo per heredem inventarium exhibeatur, ac simul ab eodem facta fuerit redditio rationis de bonis in inventario adnotatis, et Exequatur sub praetextu nullitatis inventarii, vel rationis non bene redditae, relaxatum fuerit adversus personam, et bona heredis propria, rescribit etiam cum clausula superius dicta, *si quid exequendum*; ea quippe ratione, quia similes exceptiones debent rejici ad petitorium, ac ad judicium ordinarium, et interim in judicio exequutivo heres debet perfrui beneficio inventarii, quousque in judicio ordinario fuerit cognitum de illius invaliditate, aut de non recta, atque valida rationis redditione, prout ad rem loquitur *De Luca* (1); et ita fuit resolutum utraque parte informante *in Romana augumenti dotis*, *Ponente Accorambono*, *anno* 1659., et concludit *Zaulus* (2); qui, referendo varias Signaturae resolutiones, subdit, quod si jam facta reperiatur exequutio personalis, tali casu Signatura solet rescribere, *praevia excarceratione*, *si quid exequendum*. Non accedente demum aliqua contradictione adversus mandatum, relaxatum quoad bona haereditaria, vel creditum in eo contentum sit clarum, et exequutivum, tunc rescribit, *sine praejudicio quoad bona haereditaria*; ut monet *Constantinus* (3).

Solet itidem Signatura, stante obligatione Camerali, adiecta instrumento compromissi, committere causam reductionis ad arbitrium boni viri, et appellationis, sed cum clausula, *sine praejudicio legitimae exequutionis*; et ita admittit appellationem ad effectum devolutivum tantum; prout animadvertit *Caputaquen.* (4), et adnotant *Mancinus*, et *Zacchias* (5).

Aliquando etiam rescribit pro moderatione Commissionum, quae expediuntur per Breve, illarum nempe, quae in

 par-

(1) *De haered et haereditatib. disc.* 27. *n.* 7. *Disc.* 22. *n.* 17. *Rota in Romana annuae praostationis cor. Bevilacqua* 1664.

(2) *Ad Statut. Faventin. t.* 1. *lib.* 3. *Rub.* 13. *n.* 18.

(3) *Ann.* 52. *art.* 1. *n.* 329. *ad* 332. *sect.* 6.

(4) *Decis.* 181. *seu* 182.

(5) *P.* 4. *effect.* 244. *Zacchias de oblig. Camerali qu.* 19. *n.* 29.

partibus diriguntur. Hinc in Congregatione Signaturae Iustitiae, habita *sub die Jovis* 24. *septembris* 1722. proponente Causam *Januensem Fabricae Furietto* pro *Collegio SS. Hieronymi, et Francisci Xaverii Civitatis Januae* adversus *Collegium S. Caroli* ejusdem Civitatis, rescriptum fuit, *quoad Attentata in decisis, et amplius, et in reliquis reformetur Breve, ac si cum clausula sine præjudicio*; prout apparet è fide, typis tradita sub dicta die.

Idem Signaturae Tribunal, quando Causa magni sit momenti, vel in articulo legali disputabili versetur, alicui Iudici Causam ipsam committit cum clausula, ut *procedat de voto Rotae*; et hac in re distinguendum est, ut dignoscatur clausulae effectus, nam si causa cognoscenda committatur *de voto Rotae*, tunc Iudex omnino tenetur sequi votum illius; secus verò est, si dicat, *cum voto Rotae*, illud enim sequi non tenetur, quia dictio *de* substantiam denotat, dictio *cum* processum indicat; ut in terminis statuti ita distinguendo asserit *Cornelius* (1); et idem in Signatura semper vidisse servatum, testatur in adnotationibus decisivis *Coccinus* dum fuit Referendarius, et audivisse etiam refert a *Ludovico Ripa* U. S. Referendario (2); *quamvis Joannes Andreas*, ait ille, *relatus a Friderico de Senis Cons.* 1. *num.* 5. *dicit non esse differentiam inter dictionem cum, et de*; videndus proindè est *Bartolus in leg.* 1. §. *si plures* 2. *num.* 4. *Dig. de exercitoria actione*, ubi latè distinguit.

Quando quaestio oritur super electione Judicis, quae de Jure spectat ad Appellantem vigore *capit. Oblatae de Appellat.*; ex eo quia in Curia dispositio dicti capituli in usu non est, Pars appellata statim interposita appellatione potest praevenire Appellantem, ut Causa committatur, et si Pars appellans quoad hoc adiverit Signaturae Tribunal pro dicta electione habenda, rescriptum, *Nihil*, obtinebit (3).

Restitutionis in integrum Commissiones, quae, nempe, petuntur adversus quascumque res judicatas, sive ex numero sententiarum, sive ex renunciatione liti, et acceptatione judicati, nullatenus à Signatura plena signantur, nisi *constito de laesione*, prout est de jure, ex *cap.* XIII. *novissimae Reformationis* (4). In iis vero Commissionibus, quae signandae sunt quoad Avoca-

(1) *Cons.* 13. *n.* 6. *lib.* 1. et 13. *Rota coram Bichio decis.* 288. *n.* 23.

(2) *Anno t.* 185.

(3) *De Luca de Judic. disc.* 2. *n.* 11.,

(4) *Append. pag.* 86.

cationes, et uniones Causarum ratione connexionis, dependentiae, vel individuitatis cum altera Causa, pendenti in alio Tribunali, sive cum re judicata aliàs emanata, e qua restitutio in integrum forsan obtineatur, vel obtenta fuerit, a plena Signatura signari non debent, nisi refectis omnibus expensis, tam judicialibus., quam extrajudicialibus, quoties constabit cum scientia pendentiae alterius Causae, sive existentiae rei judicatae, novam Causam ab Actore introductam, sive à Reo contestatam fuisse; verba sunt sunt laudatae *Reformationis in cap. xv.* (1).

Id ipsum in *capite xvj.* servari statutum fuit quoad Commissiones super circumscriptione alicujus sententiae, de partium consensu emanatae in gradu recursus, super Causis, de earum natura ratione summae appellabilibus; immo, non modo praevia refectione expensarum judicialium, et extrajudicialium, sed etiam damnorum quorumcumque signandas esse, cavetur; et Commissiones illae avocationis Causarum, et declinationis fori ratione clericatus, sive alterius cujuscumque privilegii, quoties Signaturae porrigantur post praestitum consensum coram Judice ordinario, sub eadem dispositione comprehenduntur.

Et Avocationis materiam prosequendo, quando a Signatura rescribendum est in avocatione Causae extra Curiam, in Commissione apponitur clausula, *quatenus Causa instructa non sit*; nam pro jure certo habetur, Causam instructam non esse avocandam; et quia in Commissionibus Avocatoriis narratur aliquando, ad nonnullos actus deventum fuisse, addendum proindè est, *non tamen ad Causae conclusionem*. Utilitas enim clausulae, jam dictae, ea à *Vestrio* (2) adnotatur, quod, per Commissionem hujusmodi, Causa, etiam instructa, avocatur, et certior, ac ulterior exprimitur Causae status; attamen dicta clausula tamquam captiosa habita fuit, et a Signatoribus, idem *Vestrius* ait, passim deleta, illiusque in locum subrogata, *dummodo Causa instructa non sit*: dicitur verò Causa instructa, dum pro altera Parte pronunciari jam possit, et pro illa essent probationes factae; et hac clausula utitur Signatura ad obviandum malitiis Litigantium, quia evenire poterit, quod ille adver-

(1) *Append. loc. cit.* (2) *Lib. 3. cap. 8. n. 9.*

sus quem mota lis fuerit, dum Judex jam instructus sententiam ferre vellet, ad se in sua mala possessione confovendum, a Judice instructo Causam avocari peteret, et alteri committi cum litis immortalitate.

Insurgit tamen ex dicta clausula dubium illud, an ea sufficiat, ut verificetur avocationis tempore, vel sequutae inhibitionis; et *Marchesanus* (1) ait, verificandam esse tempore avocationis, quia tunc locum habet subreptio; qua de re, si tempore inhibitionis Causa esset instructa, non autem Commissionis tempore, debet Judex supersedere; et si secus fecerit, attentatum reputatur.

Antiquitus si duae Commissiones in una, eademque Causa, directae fuissent diversis Judicibus, et Causam avocari ab uno Judice, et ad alterum remitti, peteretur, Commissio Signaturae porrigenda erat, et ab eadem Pars recurrens rescriptum obtinebat, *Audiat qui praevenit*; attamen hujusmodi rescriptum in desuetudinem abiit, quum hodie Signatura degustare solet de valida praeventione, et ad illum, qui praevenit, Causam ab alio avocando, remittere; quod optima quidem ratione factum est, ex eo quia occasione istius praeventionis inter dictos Judices, quum unusquisque suam inhibitionem, ac Jurisdictionem tueretur, poterat dissensio oriri; et interdum ea de causa novae lites crearentur.

In materia Alimentorum si sententia lata fuerit favore Alimentarii, et ille, qui alimenta praestare debeat, appellet, ac Commissionem porrigat, in qua Causam Appellationis simpliciter committi petit, prima fronte dicendum quippe esset, hujusmodi Comissionem haud esse denegandam, ex eo quia de jure in omni casu appellatio est permissa; attamen diversa sane res est in Causis alimentorum, quae a jure multis privilegiis donatae reperiuntur; qua de re videndum, quomodo Signatura rescribat, quum ab eadem diversimodè fieri assolet, illam amplectendo distinctionem alimentorum futuri, vel praeteriti temporis; equidem dum agitur de alimentis praesentibus, et futuris rescribit cum clausula, *non retardata praestatione alimentorum*; et juris dispositioni congruum id est, quum venter dilationem non patitur, et illorum praestationem retardare, esset quidem hominem

(1) *Pag. 91. n. 41. edit. ant.*

nem necare, ait textus in *leg. necare*, ubi *Bartolus*, *Dig. de Lib. agnoscendis*. Si quaestio tamen sit de alimentis praeteritis, Doctores ajunt, eamdem rationem non militare, quum ex illis cibus non sumatur, ut ex aliis de praesenti, et de futuro, et Causam proinde ita summariam non esse, nec eadem habere privilegia; et Signatura simpliciter appellationis Commissionem dare solet.

Et quamvis a Doctoribus ea etiam distinctio fiat inter alimenta, quae officio Judicis, et quae jure actionis petantur, itaut quoad illa summarium judicium, et appellationem non dari, affirment, quoad haec vero appellationem admitti tantum in suspensivò; attamen *Marchesanus* testatur, hanc distinctionem a Signatura nunquam servatam fuisse, et dumtaxat illam superius adnotatam (1). Quandoque Signatura etiam in alimentis praeteritis rescribit cum antedicta clausula, *non retardata*, si nempe ille, cui alimenta praestanda erant, ob non praestationem æs alienum contraxerit; et ita in quadam causa *Bononien.* plena Signatura rescripsit, teste eodem *Marchesano* (2).

Quoad causas mercedum vigore Constitutionis Leonis x. (3) stilus invaluit rejiciendi suspensivam appellationem, nulla etiam habita ratione illius, qui pro mercede instat; eapropter Signatura in causis hujusmodi rescribere consuevit cum clausula, *sine praejudicio legitimae exequutionis*, vel *non retardata exequutione*, ut testatur pluries laudatus *Marchesanus*; exceptis tamen nonnullis casibus, quorum primus est, quando non agitur de salario convento, neque inter solitos locare, et conducere; quibus requisitis deficientibus Signatura uti solet clausula, *si quid exequendum* (4); alter vero casus est, quando salarium fuit conventum, et inter solitos locare, et conducere agatur, et Judex a quo excessit in servanda quantitate salarii; tunc enim Signatura in aliqua parte exequutionem admittit, et in alia appellationem concedit, vel cum dicta clausula, *si quid exequendum*, vel alia arbitrio suo, ajunt praedictus *Marchesanus*, et *Ursellus* laudatis in locis.

Diversimode etiam rescribit, quando agens pro salario in pri-

(1) *Marchesanus de Commiss. fol.* 165. *antiq. edit.*

(2) *loc. cit. pag.* 164. 164. *n.* 39.

(3) *Const.* 7. *in Bull. vet. to.* 1.

(4) *De Commiss. p.* 1. *in Appell. in Causis Merced.* §. 1. *n* 55. *Scaccia de Appellat. q.* 17. *lim.* 8. *Ursill. Consult.* 128. *n.* 298.

prima instantia succumbat, et in altera sibi propitiam sententiam obtineat, a qua appellatio interponatur; nam Signatura appellationem simpliciter admittere tunc consuevit (1), ea potissimum ratione, quia in judiciis aequalitas est servanda (2). Nulla deinde existente sententia, in causa salarii lata, vel forsan injusta, simplicem quoque appellationem Signatura elargitur, ut edocemur a *Rota coram Sacrato* (3); haec enim omnia, quae de appellatione admittenda in causis mercedum hic transcripsimus, recensentur *a Lanfranco Zacchia, de salario, seu operariorum mercede* (4).

Transeamus modo ad exequutoriales Commissiones, quibus quomodo Signatura rescribat etiam videamus; et hac in re certa regula dari non potest; inspecta enim qualitate facti, diversimode illam rescribere, docet *Marchesanus* (5); itaut aliquando commissionem dirigit Judici a quo, et quandoque Judici ad quem, juxta Partium contradictiones, at nulla existente, vel contradictione, vel justa causa, persaepe Judici a quo illam dirigere solet.

Quum demum, vel a Parte, justa existente causa, dilatio petitur, ne proponatur Causa in ea proxima Signatura, vel Votantes in paritate suffragiorum fuerint, aut plenam causae cognitionem non habuerint, solet Signatura rescribere, *Dilata*, quod idem est ac resolutionem differri; tunc si non adjiciatur quando denuo proponenda sit, de stilo intelligitur usque ad primam proximam Signaturam; nec ulterius retardanda est exequutio absque nova Emi Praefecti provisione.

Rescribit quoque Signatura, *non proposita, refectis*, hoc est expensis, quum nempe Collitigans conetur, procrastinare, et diutius differre Causae propositionem, praevia citatione, emissa pro inhibitione propositionis in pervigilio distributionis Scripturarum, et alter Collitigans obtinuerit Decretum ab Auditore *Citationes factas, et faciendas amplius non recipi, neque afficere ad effectum impediendi propositionem in Signatura diei* . . . Vi cujus decreti hic ipse adierit Signaturam pro Causae propositione, et alter non comparuerit ex eo quod eidem facta non fuerit intimatio dicti Decreti, etsi emanati Parte *praesente*. Ut hisce ca-

(1) *Gonzalez ad Reg. Cancellariae glos. 6. n.* 203.

(2) *Cavaler. decis.* 911. *n.* 2.

(3) *Anconit. mercedis* 23 *dec.* 1602.

(4) *Quaest.* 107.

(5) *De Commiss. Appell. cap.* 3. *p.* 2.

captiosis Causas patrocinandi modis, sive ut vulgò dicitur subterfugiis, Tribunal Signaturae obviam iret, nunquam recessit a priore sententia; itaut quoties Collitigans damnatus ut supra in expensarum refectionem adivit idem Tribunal, et reclamavit a demandata refectione ob non factam intimationem supradicti decreti, rescripsit, *in Decisis, et amplius*. Nam recte censuit, decretum latum Parte praesente haberi ac si eidem Parti intimatum esset; prout legitur inter Notabilia ejusdem Tribunalis anni 1755.

Postremo loco de Rescriptis, in causis criminalibus fieri solitis sermonem instituere decrevimus; et quidem instituta actione civili, si criminalis instantia proponatur, et super ea aliquid decernatur, recursus fit in Signatura, a qua rescribitur, ut *constito, quod causa civilis esset praejudicialis criminali, inhibeat*; ita enim, quum Episcopus *Caputaquens.*, pendente lite in *Rota* inter ipsum, *et Abbatem S. Mariae Oppidi Piani* super pertinentia jurisdictionis, criminaliter contra dictum Abbatem processisset, etiam usque ad sententiam excommunicationis in poenam jurisdictionis, ab eodem Abbate perturbatae in cognoscendo quamdam furti causam, quam Episcopus ad se spectare contendebat, proposita appellatione ab Abbate, ac habito recursu ad Signaturae Tribunal, rescriptum fuit cum clausula superius dicta, et causa Rotae commissa, prout apparet ex *Decisione Caputaquen. jurisdictionis* coram *Manzanedo*; e qua quidem decisione dignoscitur, quinam sit effectus hujusce clausulae, ut nempe, Judex ad quem, agnoscendo praejudicium, quod irrogatur ex causa civili causae criminali, inhibeat nè ulterius progrediatur in causa criminali; quid autem sit hujusmodi praejudicium, ex eadem decisione facile quisque percipier; ibi enim dicitur, *causam civilem praejudicare, quando sententia, lata in judicio civili prius intentato, potest parere exequutionem rei judicatae in criminali*, prout erat in casu illo, si in Rota resolvebatur, cognitionem Causarum spectare ad Abbatem.

Pro condemnatis ad triremes, quando appellationis Commissio huic Tribunali exhibetur, illa persaepe elargiri non solet, nisi cum clausula *non retardata exequutione*; at quandoque, exhibito aliquo injustitiae argumento, vel quia reus gravatus revera sit, Commissio appellationis simpliciter datur, Reo tamen in carceribus remanente; et aliquando, si gustato gravamine Reus sit in actu eundi ad triremes, Emus Praefectus eum retine-

neri mandat; sed ut plurimum, si tales Commissiones sint in Signaturae Justitiae Tribunali proponendae, quamvis raro id accidat, quia, utpote gratiam potius continentes, quam justitiam, Signaturae Gratiae magis aptari videantur, citandus semper est Fiscus. In caeteris vero causis citra poenam corporis afflictivam, datur commissio, ut supra, addita clausula, *servata forma motus proprii Pii* IV., *et S. Pii* V. ubi, divites appellantes, nisi facto quantitatis poenae, ad quam damnati reperiuntur, actuali deposito, et pauperes nisi praestita cautione in forma depositi de stando Juri, et judicatum solvendo, sive Reo in carceribus, ubi reperitur, firmo remanente usque ad causae expeditionem, non esse audiendos, cavetur; licèt soleat addi in commissione clausula, *cum facultate ipsum prout de jure exarcerandi*; ita plenissime ratiocinatur *Marchesanus* (1). Et haec omnia, tam de Rescriptis, quam de universo Signaturae Justitiae jure, breviter, ut ab initio polliciti sumus, hactenus exposita, satis esse arbitramur, ut qui deinde plura fortasse expetat, facile ea ab usu, et exercitatione obtinere possit.

(1) *P.* I. §. I. *n.* 130. *et* 131.

AP-

APPENDIX

PONTIFICIARUM CONSTITUTIONUM EDICTORUM, AC DECRETORUM AD SIGNATURÆ JUSTITIÆ TRIBUNAL SPECTANTIUM

Amplissimam Collectionem continens

QUamvis *Fattinellus* hujusmodi seriem Constitutionum, ac Decretorum Signaturae Justitiæ in novissimo sui operis capite intactam haud reliquerit, ea potissimum de causa, quia multa ad Signaturæ Justitiæ Collegium spectantia adeo sparsim, *et sine ulla inter se cohærentia*, (verba sunt laudati Auctoris), *vel Typis, vel manuscriptis Regestis commendata servantur, ut propter difficultatem ea in diversis Codicibus perquirendi abdita potius, quam edita publicæ notitiæ videantur*. Nihilominus appendicis loco illam nec nos prætermittere duximus, auctam tamen cæteris sanctionibus deinde editis; itaut facile cuiquam sit, animadvertere, quid usu servetur, quid verò contrariis Constitutionibus, vel consuetudinibus abrogatum. Præterea non ideo in animum inducimus, adeo absolutissimam Constitutionum, Decretorum, Edictorumque, ad Signaturam Justitiæ pertinentium, collectionem nos exhibere, ut aliqua alia, præter illa, quæ hac in eadem collectione transcripsimus, fortasse alicubi non reperiantur. Omnem enim adhibuimus diligentiam, ut quæ ejusdem Signaturæ Justitiæ propria erant, reperire fas esset; nobis proindè, collectionem hujusmodi auctiorem reddidisse, sat erit.

Ita priore in editione præfari oportuit. Nunc vero addimus, hanc ipsam collectionem numeris omnibus absolutam reddidisse; adjectis, nempe, non modò, quæ prius desiderabantur, sed etiam quæ postea ad hanc usque diem latæ fuerunt, ejusdemet Tribunalis, et Summorum Pontificum sanctionibus.

Num. I.

Privilegia, & Gratiæ Prælatorum Referendariorum utriusque Signaturæ.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam.

I. DEbita consideratione pensantes quantum Venerabiles Fratres, ac dilecti filii in minoribus constituti, utriusque Signaturæ, supplicationum videlicet, et commissionum per nos, seu in præsentia nostra signandarum, infrascripti Referendarii nostri, qui præ cæteris Officialibus, et Ministris nostris propinquius nobis assistunt circa ipsas supplicationes, et commissiones pro nostro, et Apostolicæ Sedis honore, ac Universalis Ecclesiæ utilitate, et alia gratis, prompta voluntate indefesse laborant, dignum, quin potius debitum reputamus, ut illos specialis benevolentiæ favoribus amplectamur, ac præclaris dignitatum titulis decoremus, et alias nos eis, (prout convenit), gratiosos exhibeamus.

II. Hinc est, quod nos fel. rec. Leo. X; et Clementis VII. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, eosdem infrascriptos Referendarios nostros, qui Prælati, ac etiam Familiares continui commensales nostri existunt, condigni favoris gratia, et excellentiæ dignitatum sublimare, ac opportunis favoribus munire volentes, ipsosque Referendarios, ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus, vel quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad ipsorum Referendariorum, vel aliorum pro eis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, et ex certa scientia auctoritate Apostolica tenore præsentium præfatos Referendarios, et eorum singulos, qui Præsules non sunt, ac alios infrascriptos, et eorum singulos in nostros, et dictæ Sedis Notarios gratiose recipimus, eosque, et alios, qui Præsules existunt, ac eorum singulos in Sacri Palatii, et Aulæ Lateranensis Comites, nec non, qui nobiles non sunt, nobiles facimus, constituimus, ordinamus, et deputamus, ac nobilitamus, nec non nobilitatis titulo, et favore decoramus, ac aliorum nostrorum, et Sedis prædictæ Notariorum, nec non Palatii, et Aulæ hujusmodi Comitum, ac ex magno Baronum, et Nobilium genere procreatorum numero, et consortio favorabiliter aggregamus, eosque deinceps nobiles esse, ac pro nobilibus reputari, nominari, teneri, censeri, et judicari, ac de cætero in quibusvis concessionibus, et literis, tam gratiam, quam justitiam concernentibus, a nobis, seu Sede prædicta impetratis, seu impetrandis, vel eis a nobis,

nobis, aut aliis quibuscunque concessis, et concedendis, ac instrumentis, seu aliis scriptis etiam authenticis, et privatis, nobiles nominari, et pro talibus haberi posse, et debere volumus. Eisque quod omnibus, et singulis privilegiis, et præeminentiis, indultis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, facultatibus, honoribus, antelationibus, prærogativis, etiam in assequutione quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam vigore gratiarum expectativarum, et illarum mutationum, extensionum, et revalidationum, collationum, et quarumcumque aliarum gratiarum, et indultorum, quibus cæteri nostri, et dictæ Sedis Notarii de numero participantium existentes, et absque illorum præjudicio; ac Palatii, et Aulæ prædictorum Comites, nec non veri, et indubitati nobiles, et ex nobilium genere ex utroque parente procreati tam de jure, quam de consuetudine, seu alias quomodocumque utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum in judicio, et extra, ac ubicumque locorum, uti, potiri, et gaudere debeant in omnibus, et per omnia, perinde ac si Referendarii, et alii infrascripti de dicto magno Baronum, et Nobilium genere ex utroque parente, vere, et non ficte procreati, et geniti forent, concedimus. Ac eorum singulos, sublatis quibusvis obstaculis, et impedimentis, veros nobiles esse, et de nobili, et de dicto utroque parente procreatos, censeri debere decernimus, et declaramus.

III. Et in signum honoris, et nobilitatis hujusmodi, eis, et eorum cuilibet, pro insigniis, et armis, quibus ipsi, et ab eis descendentes, et ascendentes uti possint in decorem, partem insignium nostrorum, si eis uti voluerint, etiam cum, vel absque armis suis, si illa habuerint, vel illis usi fuerint, aut sine ipsis, prout duxerint ordinandum, seu eligendum assignamus, et perpetuo decoramus,

IV. Ac eis illos, quos moribus, scientia, et ætate, aliisque requisitis qualitatibus ad officium Tabellionatus exercendum idoneos esse repererint, ad instar eorum dicti Palatii Comitum ubique locorum, extra tamen muros Urbis, seu locum, in quo Romanam Curiam residere contigeret, Notarios, Tabelliones publicos, ac Judices Ordinarios, (recepto prius ab eis juxta formam præsentibus annotatam solito juramento), creandi, deputandi, et constituendi, ac de Notariatus, et Tabellionatus, ac Judicatus officiis hujusmodi per pennam, et calamare, (ut moris est) investiendi.

V. Nec non quoscumque Spurios, Naturales, Bastardos, Mauseres, Nothos, et Incestuosos, copulative, vel disjunctive ex quocumque illicito, etiam sacrilego, vel damnato coitu, pro tempore procreatos, seu genitos, viventibus, seu mortuis eorum parentibus, legitimandi, et habilitandi, et ad hæreditates, et bona, prout Collegium Archivii dictæ Romanæ Curiæ, vel ejus Officiales juxta facultatem eis per piæ memoriæ *Julium Papa II.* etiam prædecessorem nostrum concessam, vel alias ipsi Comites Palatini de jure, vel consuetudine, legitimare, et habilitare respective possunt, legitimandi, et habilitandi, et ad officia sæcularia, publica, et privata, ac honores, et bona quæcumqne restituendi, et reintegrandi.

VI. Nec

VI. Nec non quoscumque idoneos (adjunctis in hoc sibi assistentibus duobus, aut tribus Magistris, seu Doctoribus, aut licentiatis in facultate, in qua promovendi erunt, quos ad hoc duxerint eligendos eorum votis juratis) in utroque, vel altero Jurium, et Theologia, ac artibus ad Bacchalaureatus, et Licentiaturæ, ac Doctoratus, et Magisterii gradus respective ubique locorum promovendi, eisque sic promotis legendi, disputandi, interpretandi, ac alios actus ad personas in huiusmodi gradibus constitutos, quomodolibet pertinentes faciendi, et ipsorum graduum solita insignia, et auctoritatem conferendi. Ac sic promoti, quod omnibus, et singulis privilegiis, immunitatibus, nobilitatibus, concessionibus, honoribus, libertatibus, præeminentiis, et prerogativis, quibus alii in Bononien. Parisien. Lovanien. Tholosan., ac quibusvis aliis Universitatibus, in quibus studium generale viget, promoti, etiam in assecutione beneficiorum Ecclesiasticorum utuntur, potiuntur, ac gaudent, et uti, potiri, et gaudere quomodolibet poterunt in futurum, non solum ad ipsorum instar, sed pariformiter, et absque ulla differentia, perinde ac si vere, et non ficte, in aliqua ex eisdem Universitatibus, rigore examinis præcedente, ac aliis solemnitatibus servari solitis observatis, et alias juxta formam Statutorum, ac consuetudinum ipsarum Universitatum, ac Privilegiorum illis concessorum promoti fuissent uti, potiri, et gaudere valeant, concedendi, plenam, et liberam facultatem concedimus.

VII. Præterea eisdem Referendariis, et aliis infrascriptis, ac eorum singulis, Monasteria, quorum Abbates pro tempore existentes mitra, et aliis Pontificalibus insigniis, ex Privilegio Apostolico, vel alias uti consueverunt, in Commendam pro tempore obtinentibus, in ipsis Monasteriis perinde ac si illis, ut Abbates præessent, mitra, annulo, et baculo Pastorali, ac aliis Pontificalibus insigniis hujusmodi uti. Nec non solemnem benedictionem post Missarum, Vesperorum, Matutinorum, et aliorum Divinorum Officiorum solemnia, super populum tunc interessentem (dummodo inibi aliquis Antistes, seu dictæ Sedis Legatus præsens non sit, vel si præsens fuerit, ad id ejus accedat assensus) elargiri libere, et licite valeant.

VIII. Illique, ac alii omnes, et singuli Referendarii, ac alii prædicti, ut duos familiares in rotulo familiarium nostrorum numeratos habeant, et tam ipsi Referendarii, quam duo annotandi familiares, quoad expeditionem quorumcumque literarum Apostolicarum tam gratiam, quam justitiam concernentium, nec non istrumentorum, et aliorum quorumcumque gratis ubique in omnibus officiis, tam Cancellariæ, etiam Sollicitatorum literarum Apostolicarum Cameræ Apostolicæ, quam in Auditorio Rotæ, et in quibusvis aliis, Ordinariorum, et extraordinariorum Judicum Tribunalibus absque alio speciali mandato desuper expediendo, omni contradictione, et dilatione cessantibus, expediant prout alii familiares continui commensales nostri in dicto rotulo descripti, et prout causarum Palatii Apostolici Auditores expediunt.

IX. Ipsique Referendarii, et eorum singuli pro eorum usu ex Ripa, et Ripetibus nostræ Urbis sex vegetes vini communis singulis annis gratis ad instar

instar Clericorum Cameræ Apostolicæ libere extrahere possint, indulgemus.

X. Et nihilominus Referendarios, et alios prædictos, ac eorum singulos, ac illorum omnia, et singula beneficia, et officia Ecclesiastica, quæ obtinent, ac in futurum canonice obtinebunt, et in illis pro tempore deservientes, ac Cappellanos, et familiares, et servitores suos tam præsentes, quam futuros, et sua ac illorum bona, quoad vixerint, ab omni jurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, et potestate Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum, et Ordinariorum locosum quorumcumque, illorumque Vicariorum, et Officialium Locatenentium, et Judicum, etiam a dicta Sede delegatorum, aut sublegatorum quomodolibet nunc, et pro tempore existentium; eosque in rebus, et bonis illorum propriis dumtaxat, cum eis contrahentes, a solutione, et exactione quarumcumque pedagii, gabellæ, bollectarum, decimarum, et cujusvis alterius oneris tam ordinarii, quam extraordinarii, ubicumque locorum, et ex quacumque causa etiam per Synodales Constitutiones impositi, vel imponendi, eximimus, et totaliter liberamus, ac sub Beati Petri, et Sedis prædictæ, atque nostra protectione suscipimus, nobisque, et dictæ Sedi immediate subjicimus, ac liberos, immunes, exemptos, susceptos, et subjectos omnes constituimus, et declaramus, et decernimus; ita quod Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, Ordinarii locorum, eorumque Vicarii, Officiales, Locatenentes, et Judices etiam a Sede prædicta deputati præfati, et alii quicumque etiam ratione delicti, contracti, vel rei, de qua ageretur, ubicumque committatur delictum, iniatur contractus, aut res ipsa consistat, nullam in eis, aut aliquem eorum, ac beneficia hujusmodi, et in illis deservientes, Cappellanosque, familiares, et servitores suos, præsentes, et futuros, ac bona prædicta, jurisdictionem, correctionem, visitationem, dominium, superioritatem, et potestatem exercere, aut aliàs injurias, et damna irrogare, ac excommunicationis, aliasque sententias, censuras, et pœnas proferre. Nec exactores gabellarum, pedagiorum, decimarum, et onerum hujusmodi, ad aliquam solutionem eos coarctare, aut alii quicumque, cujuscumque Ecclesiasticæ, vel mundanæ dignitatis, status, gradus, conditionis, et præeminentiæ existant, illos super præmissis, et illorum usu, a possessione, seu quasi etiam ex quocumque crimine vel delicto, præter quam in nostram, et Romanæ Ecclesiæ offensam perpetrato, directe, vel indirecte, quovis quæsito colore, vel ingenio molestare, aut alias quomodolibet impedire quoque modo præsumant, aut debeant, seu etiam valeant, sed solum Referendarii, deservientes, Cappellani, familiares, et Servitores præfati coram nobis, et Sede prædicta dumtaxat, de justitia respondere teneantur. Decernentes quoscumque processus, sententias, censuras, et pœnas Ecclesiasticas, quos, et quas per Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, locorum Ordinarios, illorumque Vicarios, et Officiales, Locatenentes, et Judices etiam a Sede prædicta delegatos, aut subdelegatos, ac alias prædictos, aut eorum aliquos contra Referendarios, et alios infrascriptos, ac deservientes, Cappellanos, familiares, et servitores præfatos haberi, seu pro-

promulgari contigerit, et quæcumque inde sequuta, nulla, irrita, et inania, nulliusque roboris, vel momenti fore, et esse.

XI. Cœterum Referendariis, et aliis prædictis, ac eorum singulis, ut literas gratiarum expectativarum cum eis generaliter concedi contigerit, absque alia Signatura desuper obtinenda, ad tres collationes per singulos eorum eligendas, et totidem beneficia etiam cum creatione in Canonicum quorumcumque trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, vel Collegiatarum Ecclesiarum sub expectatione totidem inibi præbendarum, etiam majorum, et pinguiorum, ac dignitatum, personarum, administrationum et officiorum, etiam curatorum, et electivorum, ac ferculorum, obligationum, addimentorum, præstimoniorum, seu præstimonialium portionum, aut simplicium beneficiorum, unius, duorum, vel plurium cedentium, vel decedentium ipsarum Ecclesiarum, Canonicorum, seu alias in earum Civitatibus, seu Diœcesibus beneficiatorum, aut ad tria Beneficia Ecclesiastica, etiamsi duo illorum cum cura, aut Decanatus, vel Archipresbyteratus rurales, seu Vicariæ, vel Cappellaniæ perpetuæ, qui vel quæ dignitates, etiam curatæ extra tamen Cathedrales Ecclesias repræsententur, aut dignitates, vel personatus, seu singula eorum Canonicatus et præbendæ administratio, vel officium, etiam curatum, et electivum in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, aut unum ex eis cum cura, vel sine cura, cujusvis Ordinis Regulare, etiamsi Prioratus, Præpositura, Præpositatus, vel alia dignitas, non tamen Conventualis, personatus, administratio, vel officium, etiam curatum, et electivum, non tamen Claustrale, ac illud, vel unum ex sæcularibus beneficiis hujusmodi, ex quavis caussa dispositioni Apostolicæ specialiter, vel per Cancellariæ Apostolicæ regulas, aut alias ex quavis causa, etiam de necessitate exprimenda, præterquam ratione vacationis illius apud Sedem prædictam, aut familiaritatis continuæ Commensalitatis nostræ, aut alicujus ex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus viventibus, et in Romana Curia præsentibus, quorum consensus requireretur, generaliter reservata existant, quorum fructus, redditus, et proventus ducatorum ducentorum auri de Camera, secundum taxationem decimæ, valorem annuum non excedant; sæcularia videlicet per ipsos in minoribus constitutos in titulum, regularia vero in Commendam. Ac tam regularia, quam sæcularia beneficia hujusmodi per Præsules Referendarios in commendam retinenda, etiam extra Nationem, in qua idioma non intelligunt, pro eis, et eorum quolibet cum reservationis, inhibitionis, et decreti, ac aliis clausulis opportunis expedire, ac in, et sub illis compræhensorum quorumcumque cum cura, et sine cura sæcularium, et regularium cujuscumque qualitatis existentium Beneficiorum Ecclesiasticorum assecutione, quibuscumque aliis nullis prorsus, (præter quam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus), exceptis, omnino præferri, pariter et anteferri, possint, et debeant. Et quævis antelationes, prærogativæ, decreta, declarationes, suspensiones, et clausulæ, etiam declaratoriæ, quibuscumque aliis concessæ, etiamsi in eis caveretur expresse, quod illis per alia privilegia, litteras, et indulta derogari, vel illorum effectus suspendi non possent, et in assecutione per eas facienda,

da, singulis aliis personis etiam similes, aut illis majores prærogativas pro tempore prosequentibus, omnino possent, et deberent anteferri, quominus ipsi Referendarii in hujusmodi per eos facienda assecutione potiores existant, cuiquam suffragentur; absque tamen præjudicio familiarium continuorum commensalium nostrorum descriptorum, illorum videlicet, qui pro tempore assumptionis nostræ ad Summi Apostolatus apicem nostri familiares continui Commensales exstiterunt, nec non quinquaginta aliorum post ultimum ex supradictis antiquis familiaribus descriptis annotatorum. Ipsique Referendarii ad satisfaciendum Constitutioni de publicandis acceptationibus, et provisionibus, ac illis intimandis possessoribus, seu eis ad judicium evocandis pro tempore edendis minime teneantur; sed tantum novam provisionem a die notitiæ vacationis illorum habere debeant, quæ alias diligentias fieri necessarias, ac defectus, suppleant, indulgemus. Et insuper cum singulis Referendariis, ac aliis prædictis, ut quæcumque quatuor Curata, seu alias invicem incompatibilia sæcularia, aut cum uno, vel duobus, aut tribus ex eis, seu absque illis, unum cum cura, vel sine cura Sancti Benedicti, vel Sancti Augustini, aut cujusvis alterius, etiam Cluniacen. Cistercien. Præmonstraten. vel Grandimonden. Ordinis Regularis, nec non quæcumque alia tria similia, vel dissimilia sub singulis tribus tectis quarumcumqne trium Ecclasiarum, consistentia beneficia Ecclesiastica, etiamsi sub eisdem tectis consistentia, Canonicatus, et Præbendas, ac tam illa, quam incompatibilia sæcularia, dignitates, personatus administrationes, vel officia in Cathedralibus etiam Metropolitanis post Pontificales majores, seu Collegiatis Ecclesiis hujumodi principales, aut tria ex ipsis incompatibilibus, secularibus beneficiis Parochiales Ecclesiæ, vel eorum perpetuæ Vicariæ, regularia vero beneficia hujusmodi, Prioratus, Præpositura, Præpositatus, dignitas, personatus, administratio, vel officium, seu talia mixtim fuerint. Et ad Prioratum, præposituram, præpositatum, dignitates, personatus, administrationes, vel officia hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si eis alias canonice conferantur, aut eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa, et instruantur in eis, recipere. Et sæcularia in titulum, ac regulare in commendam sub eisdem tectis consistentia, videlicet si singula illorum, Canonicatus, et Præbendæ, aut totidem dignitates, personatus, administrationes, vel officia ad annum a die habitæ per eos illorum pacifice possessionis computandum dumtaxat. Si vero alia fuerint illa, ac incompatibilia sæcularia, nec non regularia beneficia hujusmodi, quoad vixerint, retinere, illaque omnia simul, vel successive simpliciter, vel ex caussa permutationis, quotiens eis placuerit, dimittere, et eidem Commendæ cedere, ac loco dimissæ, vel dimissorum aliud, vel alia simile, vel dissimile, aut similia, vel dissimilia Beneficium, vel Beneficia Ecclesiasticum, vel Ecclesiastica, quatuor dumtaxat curata, seu alias invicem incompatibilia secularia, aut cum uno, vel duobus, seu tribus ex eis, aut absque eis, unum cum cura, vel sine cura, Sancti Benedicti, vel Augustini, aut cujusvis alterius etiam Cluniacen. Cistercien. Præmonstraten. vel Fontisebrandi Ordinis Regulare, nec non tria alia similia, vel dissimilia,

lia, sub singulis tribus tectis quarumcumque trium Ecclesiarum consistentia similiter recipere. Et insimul sœcularia in titulum, ac regulare in Commendam sub eisdem tectis consistentia, si illorum singula Canonicatus, et Præbendæ, aut totidem dignitates, pessonatus, administrationes, vel officia ad annum, ut præmittitur computandum dumtaxat. Si vero alia fuerint illa, ac incompatibilia sœcularia, nec non regularia beneficia hujusmodi, dummodo inter illa omnia, ultra quatuor incompatibilia, et inter ipsa incompatibilia sæcularia, quam tres Parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ac post dictum annum sub eisdem tectis consistentia, duo Canonicatus, et Præbendæ, aut totidem dignitates, personatus, administrationes, vel Officia, ac regulare beneficia hujusmodi dignitas Conventualis, seu Officium claustrale existant, quoad vixerint, retinere, nec non debitis, et consuetis ipsius regularis beneficii supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus, et proventibus, sicut illud in titulum pro tempore obtinentes, de illis disponere, et ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt (alienatione tamen quorumcumque illius bonorum immobilium, et prætiosorum mobilium eis penitus interdicta) disponere, et ordinare libere, et licite valeant. Quodque ratione quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum curatorum, seu alias sacros etiam Præsbyteratus ordines, etiam ex statuto, fundatione, consuetudine, privilegio, vel alias requirentium, per eos, et eorum quemlibet, nunc, et pro tempore obtentorum, usque ad septennium a fine anni a jure præfati computandum, ad aliquem ex dictis sacris etiam Presbyteratus Ordinibus se promoveri, facere minime teneantur, nec ad id a quoquam inviti compelli possint, dispensamus.

XII. Ipsosque Referendarios, et alios infrascriptos, et eorum singulos omnium Regnorum, Dominiorum, et Provinciarum legitimos, et naturales, ita quod ipsi, vel Procuratores sui illorum nomine, in Regnis, Dominiis, et Provinciis hujusmodi quæcumque, quotcumque, et qualiacumque Beneficia Ecclesiastica cum cura, et sine cura, sœcularia, et quorumvis Ordinum Regularia, etiam ut præfertur, qualificata, etiam vigore gratiarum expectativarum, specialium, vel generalium reservationum, illarum collationum, mutationum, extensionum, revalidationum per nos, et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, et Sedem prædictam eis concessarum, et concedendarum acceptare, ac de illis sibi provideri facere, et illa ac si Regnorum, Dominiorum, et Provinciarum eorumdem oriundi, ac in illis nati essent, recipere, et retinere libere, et licite valeant, creamus, constituimus, et deputamus.

XIII. Ac eisdem Referendariis, et aliis infrascriptis, ac eorum singulis, ut quoad vixerint in dicta Curia, vel aliquo Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum, aut si contigerit ipsos per nos, et Romanum Pontificem pro tempore existentem ad aliquem locum destinare, in eo loco residendo, aut literarum studio, in loco ubi illud vigeat generale, insistendo, omnes, et singulos fructus, redditus, et proventus, quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos in quibusvis Ecclesiis, sive locis, nunc, et pro tempore obtentorum, et obtinendorum, etiamsi

Canonicatus , et Præbendæ , et alias , ut præfertur , qualificata fuerint, ac personalem residentiam ex statuto , fundatione , aut consuetudine requirant , etiamsi fructus , redditus , et proventus unius beneficiorum hujusmodi , nonnisi in distributionibus quotidianis consistant, et aliorum omnium cum ea integritate , (quotidianis distributionibus , quoad alia dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperent, si in iisdem Ecclesiis , sive locis personaliter residerent , ac primam residentiam fecissent , ac quoad unum ex beneficiis ad residendum interim in eisdem Ecclesiis , sive locis , in quibus beneficia ipsa fuerint , minime teneantur , nec ad id a quoquam inviti coarctari valeant , percipere .

XIV. Ac residendo , ubi supra , eisdem beneficiis Ecclesiasticis cum cura , et sine cura , secularibus , et regularibus , quæ in eisdem Ecclesiis, sive locis in titulum , vel Commendam , ut præfertur , obtinent , et in posterum obtinebunt , per Cappellanos , seu Vicarios idoneos , ad eorum nutum amovibiles, in Divinis deserviri , et animarum curam exerceri , et quæcumque Ecclesiastica Sacramenta ministrari facere libere , et licite valeant , Diœcesani loci , et cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita .

XV. Nec non ut aliquem idoneum Præsbyterum secularem , vel cujusvis Ordinis Regularem , in suum possint eligere Confessorem , qui vita eis comite , in casibus Sedi prædictæ reservatis (præterquam offensæ Ecclesiasticæ libertatis , criminum hæresis , rebellionis , aut conspirationis in personam , vel statum Romani Pontificis , seu Sedem prædictam , falsitatis litterarum Apostolicarum , supplicationum , et commissionum , invasionis, deprædationis , occupationis , aut devastationis Terrarum , et Maris Romanæ Ecclesiæ mediate , vel immediate subjectorum , offensæ personalis in Episcopum , aut alium Prælatum , prohibitionis devolutionis causarum ad Romanam Curiam , delationis , armorum , et aliorum prohibitorum ad partes Infidelium) semel dumtaxat in vita , in aliis vero quotiens fuerit opportunum , confessionibus eorum diligenter auditis pro commissis eis debitam absolutionem impendat , et injungat pœnitentiam salutarem . Nec non vota quæcumque (ultramarino , visitationis liminum Apostolorum Petri , et Pauli, ac Sancti Jacobi in Compostella , nec non castitatis , et Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat . Quodque Confessor , quem duxerint eligendum , omnium peccatorum suorum , de quibus corde contriti , et ore confessi fuerint , etiam semel in vita , et in mortis articulo , plenam remissionem eis in sinceritate fidei , unitate dictæ Romanæ Ecclesiæ , ac obedientia nostra , et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium , persistentium , auctoritate Apostolica concedere possit . Sic tamen quod idem Confessor de his , de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda , eam illis per eos , si supervixerint , vel per alios , si forsan tunc decesserint , faciendam , injungat , quam ipsi , vel alii facere teneantur .

XVI. Liceatque eis habere Altare portatile super quo in locis ad hoc congruentibus , et honestis , sine juris alieni præjudicio , et cum qualitas negociorum pro tempore ingruentium id exegerit , etiam antequam illucescat

scat dies, circa tamen diurnam lucem, si forsan eos ad loca Ecclesiastico interdicto tam ordinaria, quam Apostolica auctoritate supposita eos declinare contigerit, in illis clausis januis, non pulsatis campanis, et submissa voce, excommunicatis, et interdictis exclusis, in sua, et familiarium suorum domesticorum, ac quatuor aliarum personarum utriusque sexus per eos, et quemlibet eorum eligendarum præsentium, (dummodo ipsi, et illi caussam non dederint interdicto, aut eis, vel illis contigerit specialiter interdici) possint per se ipsos, qui Presbyteri fuerint, aut proprium, vel alium Sacerdotem idoneum, Missas, et alia Divina officia celebrare, seu celebrari facere, nec non tempore interdicti hujusmodi Divinis interesse, ac Ecclesiastica Sacramenta recipere, et ipsis dicto tempore decedentibus, eorum corpora Ecclesiasticæ, etiam cum funerali pompa, tradi possint sepulturæ.

XVII. Nec non singulis Quadragesimalibus, et aliis temporibus, et diebus stationum Basilicarum, et Ecclesiarum Almæ Urbis, et extra muros ejus, duas Ecclesias, vel duo, aut tria Altaria, unius, vel diversarum Ecclesiarum in locis, ubi ipsos, et eorum singulos pro tempore esse contigerit per singulos pro tempore eligendos, seu eligenda, visitando, omnes, et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur si eisdem temporibus, et diebus, stationum Basilicas, et Ecclesias Urbis hujusmodi, et extra muros ejus ad id deputatas personaliter visitarent.

XVIII. Ac eisdem Quadragesimalibus, et aliis temporibus, quibus esus carnium, ovorum, casei, et lacticiniorum de jure, vel consuetudine est prohibitus, eisdem ovis, caseo, butyro, et aliis lacticiniis, ac de utriusque Medicici consilio, carnibus, absque conscientiæ scrupulo uti, frui, et vesci.

XIX. Nec non etiam quoad vixerint, et quoties eis placuerit, per se ipsos, aut cum uno, vel duobus amicis, seu familiaribus suis per eos pro tempore eligendis, horas Canonicas diurnas pariter, et nocturnas, ac alia Divina officia secundum usum, et morem dictæ Romanæ Ecclesiæ dicere, et recitare libere, ac licite valeant, et ad alium usum super hoc observandum minime teneantur, nec ad id a quoquam, etiam ratione quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum, inviti compelli possint, etiam indulgemus. Et ulterius Referendarii, et alii infrascripti, ac eorum singuli utriusque sexus Parochianos Parochialium Ecclesiarum, et aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque per eos, et eorum singulos nunc, et pro tempore obtentorum, ad eos Confessionis audiendæ caussa pro tempore confluentium confessionibus illorum per eos diligenter auditis, a quibusvis eorum peccatis, criminibus, excessibus, et delictis, in omnibus, et singulis casibus, in quibus Ordinarii locorum de jure, vel consuetudine absolvere possunt, quotiens opportunum fuerit, Diœcesani loci, et cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita, absolvere, et eis pro commissis pœnitentiam salutarem injungere.

Nec non

XX. Nec non ut de omnibus, et singulis bonis mobilibus, et semoventibus, ac immobilibus ubilibet consistentibus, nec non juribus, et actionibus, quæ ad eos, et eorum quemlibet, etiam Archiepiscopos, vel Episcopos, etiam ratione suarum, quibus præesse dignoscuntur, ac aliarum Cathedralium Ecclesiarum, etiam Metropolitanarum, ad quas eos transferri contigerit, et aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum Secularium, et Regularium quorumcumque obtentorum, et obtinendorum quomodolibet pertinent, et pertinebunt, acquisitis, et acquirendis, prout Auditores Curiæ causarum Palatii Apostolici ex Privilegio Apostolico, eis per nonnullos Romanos Pontifices Prædecessores nostros, et præsertim præfatum Julium Prædecessorem per ejus litteras, quas nos vidisse, tenuisse, et legisse etiam motu simili attestamur, etiam cum expressis Clausulis derogatoriarum derogatoriis concesso, vel alias disponere, erogare, testari, codicillari, et convertere possint tam in vita, quam eorum ultima voluntate, ut alio quocumque tempore, ac inter consanguineos, et alias quascumque personas, etiam non notas, et loca etiam caussa mortis, aut donationis inter vivos, nec non pro expensis funerum, et remuneratione illorum, qui eis viventibus servierint, disponere, erogare, testari, codicillari, et ordinare, ac illa alios in pios, et quoscumque alios licitos usus, prout videbitur expedire, convertere, absque aliquo conscientiæ scrupulo, libere, et licite valeant:

XXI. Et demum eis, et illorum singulis Beneficia Ecclesiastica cum cura, et sine cura, secularia, et quorumvis Ordinum Regularia, quæ etiam ex quibusvis concessionibus, et dispensationibus Apostolicis in titulum, et Commendam, ac ut invicem, seu aliis beneficiis ad eorum vitam unita obtinent, et inposterum obtinebunt, simul, vel successive, simpliciter, aut pro alio, vel aliis simili, vel dissimili, aut similibus, vel dissimilibus, beneficio, seu Beneficiis Ecclesiastico, vel Ecclesiasticis cum quibusvis personis secum permutare volentibus ex caussa permutationis hujusmodi, in qua tamen nulla illicita pactio, sive simoniaca gravitas interveniat, in Ordinariorum locorum, aut Canonicorum Metropolitanarum, vel aliarum Cathedralium Ecclesiarum, seu aliarum personarum in dignitate Ecclesiastica constitutarum, ad id per eos, vel Procuratores suos legitimos, eligendorum, seu eligendarum manibus extra Romanam Curiam præfatam, ejusdem Apostolicæ Sedis, seu cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita, quotiens eis placuerit, resignandi, et Commendis cedendi, nec non unionum hujusmodi dissolutioni consentiendi ipsis Ordinariis, Canonicis, et personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, resignationes ab eisdem Referendariis, et aliis infrascriptis simpliciter, vel ex eadem caussa, et ab ipsis compermutantibus personis ex dicta causa dumtaxat, et Commendarum cessiones extra eandem Curiam recipiendi, et admittendi, unionesque hujusmodi dissolvendi, nec non ea, quæ ipsi Referendarii, et alii infrascripti simpliciter resignaverint, seu quorum Commendis cesserint, aut unionum dissolutioni consenserint, idoneæ, vel idoneis ad id per eos, seu Procuratores prædictos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, et qualiacumque Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, et expectantibus, et

quæ ex eadem causa secum permutantibus personis. Quæ vero ipsæ compermutantes personæ resignaverint, beneficia hujusmodi, etiamsi, ut præfertur, qualificata, et per eos pro tempore obtenta, ex personis ipsorum Referendariorum, et aliorum infrascriptorum, vel quavis alia causa dispositioni Apostolicæ generaliter reservata, seu ex generali reservatione Apostolica affecta fuerint (dummodo prioratus, vel alia dignitas Conventualis, aut in Metropolitana vel aliis Cathedralibus post Pontificales majores, seu Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales, ac compermutantium personarum similem facultatem non habentium, beneficia hujusmodi dispositioni Apostolicæ generaliter reservata, seu affecta non existant) eisdem Referendariis, et aliis infrascriptis, per eos, quoad vixerint juxta tenorem dispensationum, eis pro tempore concessarum, in titulum, vel Commendam tenenda, conferendi, et de illis etiam providendi, omniaque, et singula alia in præmissis, et circa ea, necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, et exequendi, etiam si dicti Referendarii Beneficiorum hujusmodi possessionem per quatuor menses non obtinuerint, aut illam nondum assecuti fuerint, plenam, et liberam facultatem concedimus.

XXII. Decernentes semel admissum, et receptum in Referendarium, hactenus, et in futurum semper Referendarium existere, ac ejus officium, quoad vixerit, durare, et privilegiis aliis Referendariis concessis pro tempore gaudere, et inter illos primo quandocumque admissum, cæteris quacumque, etiam Pontificali dignitate fungentibus in officio Referendariatus hujusmodi præferri.

XXIII. Sicque pro præmissorum omnium validitate, efficacia, observatione per quoscumqpe Judices, et Commissarios, etiam causarum Palatii hujusmodi Auditores, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter sententiandi, judicandi, interpretandi facultate, sententiari, judicari, interpretari, et diffiniri debere, nec non irritum, et inane quicquid desuper per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit, attentari.

XXIV. Quo circa Venerabilibus Fratribus nostris, Archiepiscopo Sipontino, et Episcopo Nuscano, ac dilecto filio Vicario Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Mediolanensis in spiritualibus generali, tenore præsentium committimus, et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, et in eis contenta quæcumque ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Referendariorum, et aliorum infrascriptorum prædictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, præsentes literas, et in eis contenta quæcumque firmiter observari, ac per Referendarios, et alios infrascriptos, nec non singulos alios, quos ipsæ præsentes literæ, concernunt, illis omnibus pacifice gaudere, ac fructus, redditus, et proventus prædictos eisdem Referendariis et aliis infrascriptis, juxta hujusmodi nostræ concessionis de illis in absentia percipiendis, continentiam, et tenorem, integre ministrari. Non permittentes eos per Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, Ordinarios, Vicarios, Officiales, Locatenentes, Judices, et exa-

ctores

ctores præfatos, ac dilectos filios Ecclesiarum prædictarum Capitula, seu quoscumque alios quacumque auctoritate fungentes contra præmissa, vel eorum aliquod, aut præsentium tenorem, quomodolibet molestari, inquietari, perturbari, aut ad residendum in eisdem Ecclesiis, sive locis compelli. Contradictores, molestatores quoslibet, et rebelles per censuras etc. non obstantibus etc.

XXV. Volumus autem quod incompatibilia secularia, et sub eisdem tectis consistentia, ac sacros ordines requirentia, et alia sæcularia, nec non Regularia Beneficia hujusmodi, debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, quibus illa imminebit, nullatenus negligatur, sed in eis, quorum fructus hujusmodi ipsos Referendarios, et alios infrascriptos, in absentia percipere contigeret, per bonos, et sufficientes Vicarios, quibus de ipsorum Beneficiorum proventibus necessaria congrue ministrentur, et diligenter exerceatur, et inserviatur inibi laudabiliter in divinis. Ac sub eisdem tectis consistentium consueta, et regularia beneficiorum prædictorum antedicta onera congrue supportentur. Ac quod ipsi Referendarii, et alii infrascripti, infra dictum annum duo ex tribus Præbendis, aut totidem dignitatibus, personatibus, administrationibus, vel officiis sub eisdem tectis consistentibus, quæ maluerint, pro aliis beneficiis cum retentis Canonicatibus permutare, alioquin illa duo, quæ primo assecuti fuerint, ex tunc, dicto anno elapso, vacare decernimus, dimittere omnino teneantur.

XXVI. Et ne, quod absit, Referendarii ipsi propter hujusmodi gratiam, vel concessionem eligendi Confessorem, reddantur procliviores ad illicita in posterum committenda, etiam volumus, quod si a sinceritate fidei, unitate dictæ Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, et devotione nostra, vel successorum nosrorum canonice intrantium, destiterint, aut ex confidentia ejusdem concessionis, vel remissionis, aliqua forsan commiserint, concessio, et remissio prædictæ, et quoad illas dumtaxat, præsentes literæ eis nullatenus suffragentur.

XXVII. Quodque indulto celebrandi, seu celebrari faciendi ante diem parce utantur, quia cum in Altaris ministerio immoletur Dominus noster Jesus Christus Dei filius, qui candor est lucis æternæ, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce.

XXVIII. Ac quod dum eosdem Referendarios Divinis Officiis in aliquibus Ecclesiis contigerit interesse illum morem, qui in eisdem Ecclesiis observabitur circa hujusmodi horas Canonicas dicendas studeant observare.

XXIX. Nec non ut in eorumdem Ecclesiasticorum dispositione bonorum juxta quantitatem residui erga Ecclesias, a quibus eadem perceperint, se liberales exhibeant, prout conscientia eis dictaverit, et animarum suarum saluti viderint expedire. Quodque si singulorum Beneficiorum prædictorum simpliciter resignandorum, seu quorum Commendis dicti Referendarii, et alii infrascripti cesserint, aut dissolutioni unionum consenserint, fructus, redditus, et proventus viginti quatuor florenorum auri de Camera secundum communem æstimationem, valorem annuum excedant, conferen-

ferentes, et illi, quibus conferentur, etsi ex dicta causa resignationis hujusmodi, fructus, redditus, et proventus inæquales majoris valoris fuerint, etiamsi ipsa æqualitas viginti quatuor florenorum similes, secundum æstimationem prædictam non transcendat, similiter conferentes prædicti, et illi, quibus beneficia majoris valoris hujusmodi collata fuerint, de nominibus, et cognominibus personarum, et beneficiorum eorumdem, ac diebus factarum collationum hujusmodi, gentes Cameræ Apostolicæ, aut Collectores, vel Subcollectores fructuum, et proventuum eidem Cameræ debitorum in partibus illis pro tempore deputatos, infra unius, si citra, et tres merses, si ultra montes, collationes ipsæ factæ fuerint juxta Sixti IV. et Innocentii VIII. prædictorum super hoc editas literas certificare procurent, alioquin beneficia ipsa sic collata vacare censentur eo ipso.

XXX. Verum quia difficile foret, præsentes literas ad singula, in quibus de eis fides forsan facienda foret, loca deferre, similiter volumus, et eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumptis manu Notarii publici subscriptis, et Sigillo alicujus Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides in judicio, et alibi, ubi opus fuerit, adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Rome apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die trigesima Julii millesimo quingentesimo quadragesimo, Pontificatus nostri Anno sexto.

N. II.

Reformatio Referendariorum Signaturæ Justitiæ Romani Pontificis, et Ordinationes a Judicibns Romanæ Curiæ observandæ.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

I. Cum nuper nos generali Officiorum, et Tribunalium Romanæ Curiæ pro abusibus extirpandis, ac universali in ea litigantium commoditate reformationi intenderimus, et providerimus, cupientes eorumdem litigantium indemnitati in totum consulere, ac ut celerius lites terminentur providere, valde opportunum, imo necessarium esse censuimus, etiam Signaturam Justitiæ, a qua plerumque hi, qui lites in longum protrahere, aliosque diutius, et gravioribus impensis defatigare quærunt, cavillationibus, et versutiis diversa rescripta, aut superflua, aut dilationem inducentia extorqueant, reformare; idcirco pro illius reformatione visis, et etiam mature discussis nonnullis per dilectos filios Referendarios nostros adnotatis, et coram nobis etiam in præsentia nonnullorum, ex Venerabilibus Fratribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus propositis,

sitis, de eorumdem, ac cæterorum Fratrum nostrorum consilio, ac in perpetuum valitura constitutione sancimus.

II. Quod nullus ex dictis Referendariis propositas, et rejectas in Signatura gratiæ coram nobis proponere audeat, nisi talis sit materia, quæ scientiam nostram requirat, aut quæ per Signaturam Justitiæ ad eamdem Signaturam gratiæ remissa fuerit.

III. Nec in antiquis, ac arduis materiis, in quibus plures hinc inde expeditæ fuerint commissiones, et in avocatoriis a prioribus Judicibus, et quovis modo præjudicialibus, manum apponere, nisi ipsius citata coram ea parte interesse habente.

IV. Et cum agitur de revocatione, aut moderatione alicujus præinsertæ similem manum non apponat nisi in præinserta appositum sit nomen Referendarii, qui illi manum apposuit, ut rationem redderet, et eam justificare possit. Nec etiam reformatio, sive moderatio ejusdem præinsertæ ab habente Signaturam Justitiæ, nisi nomen Referendarii, ut præmittitur in ipsa præinserta appositum fuerit, aliquo modo signetur.

V. Minus in commissionibus appellationum ab Interlocutoriis, nisi expresso relevanti gravamine; nec cum appellatur a diffinitiva, aut cum clausula, aut vim diffinitivæ habente, nisi res adeo exprimatur, ut videat Referendarius, an tale sit gravamen, quod per diffinitivam reparari non possit. Et si in commissione apposita fuerit clausula cum toto negotio principali, tunc addatur justificato tamen dicto gravamine.

VI. Abstineant ulterius Referendarii ab appositione manuum in commissionibus nullitatum, et attentatorum, nisi exprimantur nullitates ex defectu jurisdictionis, citationis, vel mandati, et ipsa attentata; et pariter in illis, in quibus narratur pronunciatum fuisse prout in Cedula.

VII. Nec etiam manum apponat in commissionibus fatalium, nisi in quibus prima vice ipsa prorogatio petitur; illas vero commissiones, in quibus pro ulteriori prorogatione supplicatur in nostra Signatura gratiæ proponant.

VIII. Causæ criminales, et matrimoniales, non inferioribus Episcopis et in terris Ecclesiæ causæ criminales Clericorum in sacris constitutorum Ordinario, reliquorum vero Clericorum, et Laicorum, locorum Gubernatoribus committantur.

IX. Et ut lites quantocitius fieri possit, ac minori partium dispendio expediantur, decernimus, quod quilibet Judex, cui causæ restitutionis absque speciali commissione præfigere terminum ad docendum de causis restitutionis, ac de ipsius nullitatibus, seu attentatis, et eo lapso, et non docto, ad negotii principalis expeditionem procedere.

X. Similiter quilibet Judex in quibuslibet causis coram eo introductis, et introducendis, et etiam Auditor Rotæ in causis extra Rotam commissis, possint omnes terminos substantiales in vim commissionis a fel. rec. Innoc. Papa VIII. prædecessore nostro, quam ad omnes Judices, etiam Auditores in causis præmissis tenore præsentium extendimus, absque alia speciali commissione reiterare.

XI. Quod-

XI. Quodque ab excessiva taxatione expensarum semel tantum appellatio committatur, et duæ sententiæ habeant vim trium.

XII Causæ discussionum inter creditores, et hæredes defuncti, de cujus bonis inter ipsos creditores agitur, intra tres menses quoad præsentes, quoad absentes vero citra montes intra sex menses, ultra autem intra novem expediantur, et nullo modo, nisi ex magna causa, et per Signaturam nostram gratiæ instantia prædicta prorogetur.

XIII. Et a die obitus debitoris intra duos menses hæredes præsentes, absentes autem citra montes intra quatuor, ultra montes vero intra sex Inventarium conficere, et an velint hæreditatem adire, deliberare teneantur.

XIV. Et interim Judices, coram quibus causas discussionis hujusmodi pendere contigerit, bona ipsius debitoris defuncti, vel decoctoris debitoris creditoribus, habentibus credita eorum liquida, interim recepta idonea cautione de restituendo habentibus priora, et potiora, et contribuendo habentibus æqualia jura consignari, mandent, et faciant.

XV. Si quis autem constitutioni nostræ hujusmodi in aliquo controvenerit indignationis nostræ, ac alias arbitrii nostri pœnas incurrat. Et nihilominus commissiones contra tenorem præsentium signatæ nullius sint roboris, ac momenti, ac per præoccupationem extortæ censeantur, illisque Judices, quibus eas præsentare contingat, et minime parere teneantur; sicque per quoscumque Judices, et Commissarios quavis auctoritate fnngentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

XVI. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque.

XVII. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ Sanctionis, et Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1562. Kal. Julii Pontificatus Nostri Anno III.

N. III.

N. III.

Præfinitio numeri, et qualitatum Prælatorum Referendariorum utriusque Signaturæ Romani Pontificis cum Privilegiorum concessione.

SIXSTUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

I. QUemadmodum providus agricultor ad uberiorem ejus futuram frugem temporum vices sollicite observat, arbores ordine disponit, et ne illarum vires latius diffusæ evanescant, nimiam frondium, ramorumque frequentiam, comprimit, et resecat, ac ibidem inordinata, et indisposita, si quæ sint, ad meliorem formam reducere satagit; ita nos agri Dominici curæ superna dispositione præpositi, efficacem, et fructuosam operam in illius cultura impendere credimus, cum ad ea vigilantiæ nostræ studium sedulo convertimus, per quæ hujus Sedis Apostolicæ dignitates, et officia, præsertim nostram gratiæ, et justitiæ Signaturam concernentia, tamquam feraces plantæ in ipso agro Dominico consitæ, utili, et commoda rerum dispositione salubriter dirigantur, et ex eorum administratione sperati fructus ad Dei gloriam, et illius gregis utilitatem, dictæque Sedis decorem majori in dies cum fœnore proveniaut; abusus vero, qui in illis passim, absque personarum delectu, conferendis irrepserunt, resectis, et veluti putatis ramis sterilibus de medio submoveantur. In quam curam, cogitationemque pro officii nostri debito incumbentes, opportunum, immo necessarium esse censemus, ut ad ejusdem Signaturæ tam gratiæ, quam justitiæ ministeria, nonnisi cognitæ, et spectatæ virtutis viri assumantur, et proinde illius Referendariorum cœtus nimia præteritorum temporum indulgentia, et quorumdam instantia supra modum, non sine pristinæ suæ dignitatis diminutione, adauctus, resecata illorum multitudine ad certum determinatum numerum, inque compositum ordinem redigatur, ne multitudo ipsa rebus gerendis confusionem, et impedimentum afferat, et spes uberioris fructus, quæ iu eorum muneribus rite, et fideliter obeundis posita esse debet, Nos, atque ipsos frustretur.

II. Itaque opportuna circa hæc remedia adhibere volentes, motu proprio etc. et ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura Constitutione, statuimus, et ordinamus. quod nullus deinceps in Referendarium alterutrius Signaturæ prædictæ, etiam cedentibus, vel decedentibus, aut alias deficientibus, qui nunc sunt ex Referendariis præfatis, omnino admittatur, donec, et quousque omnium Referendariorum hujusmodi numerus imminutus, et ad centum dumtaxat reductus fuerit. Illo autem sic reducto, et imminuto, præscriptus centenarius numerus Referendariorum hujusmodi nullo umquam tempore

augeatur; sed neque inter hos omnes ultra septuaginta Signaturæ gratiæ Referendariis esse possint.

III. Nec ullus numero, et consortio Referendariorum justitiæ de cœtero adscribatur, nisi sit ex legitimo matrimonio, honestisque parentibus procreatus, et Clericali charactere insignitus, ac utriusque, vel alterius jurium Doctor in aliqua studii generalis Universitate promotus, et in Romana Curia habitu, et tonsura Clericalibus incedendo per biennium versatus, vitæque integritate, ac morum probitate commendatus, et saltem in 25. ætatis suæ annis constitutus, habentque in bonis temporalibus, vel Beneficiis Ecclesiasticis, unde in ipsa Curia dignitatis suæ gradum valeat decenter sustinere.

IV. Porro antequam ad ipsius admissionem procedatur per ejusdem Signaturæ justitiæ Præfectum, vocatis, et congregatis ad id sex antiquioribus Referendariis, secretò examinari, et ad hunc effectum saltem binas supplicationes, seu commissiones sibi ab ipso Præfecto ex tempore porrectas proponere debeat. Quod si collectis Præfecti, et sex antiquiorum Referendariorum præfatorum suffragiis, super quibus eorum conscientiam oneramus, taliter in hujusmodi propositione se habuerit, ut relatione super hoc per dictum Præfectum nobis, aut pro tempore existenti Romano Pontifici facta, meruit commendari, et approbari, tunc, et non alias in Referendarium ejusdem Signaturæ justitiæ admittatur, præstito prius per eum in manibus ejusdem Præfecti solito juramento.

V. Ad Signaturam vero gratiæ nemini pateat ascensus, nisi saltem triennio in Signatura justitiæ fuerit laudabiliter versatus, exceptis dumtaxat causarum Palatii Apostolici Auditoribus, et Cameræ Apostolicæ Clericis, quorum quisque ad utramque Signaturam quovis tempore ascisci valeat.

VI. Insuper, quod eidem Signaturæ gratiæ semper decem, et octo Referendarii in Curia præsentes, nec legitimo impedimento detenti, duodecim videlicet antiquiores, penes quos sententiæ dicendæ in ipsa Signatura gratiæ suo quisque loco, et ordine facultas existit, et alii tres, quibus onus libellos supplices proponendi incumbit, reliqui vero tres successive propositurì, nec non Thesaurarius Generalis, et etiam Generalis Auditor Causarum Curiæ dictæ Cameræ, ac unus ex Palatii Apostolici Auditoribus, et unus ex ejusdem Cameræ Clericis alternatis vicibus, item nostri in Urbe Vicarii, et causarum Curiæ præfatæ Auditoris Locatenentes, nec non Secretarius Apostolicus, ac in eadem Signatura gratiæ proponendi munus a Referendariorum Decano ad cæteros omnes per turnum juxta suæ cujusque receptionis, et admissionis ordinem deducatur.

VII. In Signatura vero justitiæ circa rationem proponendi ibidem servari solitam, nihil ducimus innovandum.

VIII. Ne autem quo quisque tempore in Signatura, tam justitiæ, quam gratiæ sit admissus, hæsitari contingat, singuli Referendarii nunc existentes, quibus suum cuique locum, et ordinem salvum, et illæsum esse volumus, intra tres menses a data præsentium computandos, alii vero in futurum admittendi, ante cujusque eorum admissionem, literas Apostolicas sub plumbo super concessione sui officii Referendariatus hujusmodi expedire

re teneantur, quæ nostri, et pro tempore existentis Romani Pontificis Datarii manus subscriptæ eamdem prorsus roboris firmitatem obtineant, quam obtinerent si juxta stylum Cancellariæ Apostolicæ, seu dictæ Cameræ per omnes, et singulos Officiales, et alios, ad quos literarum Apostolicarum expeditio pertinet, rite, et legitime forent expeditæ.

IX. Cæterum, ut Referendarii præfati ad suscipiendos pro dicta Sede labores eo promptiores reddantur, quo exinde spiritualibus, et temporalibus gratiis se cognoverint uberius esse refertos, omnes, et singulos nunc, et pro tempore existentes Referendarios utriusque, vel alterius Signaturæ hujusmodi in nostros et pro tempore existentis Romani Pontificis familiares, continuos commensales gratiose recipimus, et ab omni jurisdictione Ordinariorum locorum quorumcumque eximimus, et totaliter liberamus, ac nobis, et dictæ Sedi immediate subjicimus, nobilitatisque titulo decoramus, ac veros, et indubitatos familiares, continuos commensales nostros, et pro tempore existentis Romani Pontificis, ut præfertur, liberos, exemptos, et nobiles esse, seque tales in quibuscumque Apostolicis, et aliis literis, scripturis, et actibus tam publicis, quam privatis scribere, et nominare, ac ab aliis inscribi, et nominari debere decernimus, et declaramus; eisdemque Referendariis nunc, et pro tempore existentibus, in signum honoris, et veræ nobilitatis, insignia nostra gentilitia; una cum suis armis, et insigniis gestare, ac omnibus, et singulis privilegiis, præeminentiis, indultis, immunitatibus, honoribus, et gratiis, quibus alii veri, et indnbitati nobiles ex nobilium, etiam illustrium genere, ex utroque parente procreati tam in judicio, quam extra, ubicumque locorum de jure, vel consuetudine, ac alias quomodocumque utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere possint, et poterunt quomodolibet in futurum in omnibus, et per omnia, perinde ac si de nobilium, etiam illustrium genere, vere, et non ficte procreati, et geniti forent, uti, et potiri, et gaudere.

X. Nec non in Monasteriis per eos in Commendam pro tempore obtentis, quorum præteriti Abbates mitræ, et aliis Pontificalibus insigniis ex privilegio Apostolico, aut alias uti consueverunt etiam mitra, anulo, et baculo, cæterisque Pontificalibus insigniis, et ornamentis perinde ac si eisdem Monasteriis tamquam Abbates præessent, etiam uti, nec non post Missarum, et aliorum Divinorum officiorum solemnia populo tunc interessenti solemni more, dummodo inibi præsens non sit aliquis Antistes, seu dictæ Sedis Legatus, aut si præsens fuerit, ad id ejus accedat assensus, benedicere, libere, et licite valeant.

XI. Nec non aliquem idoneum Presbyterum secularem, vel cujusvis Ordinis Regularem, ab Ordinario approbatum in suum possint eligere Confessorem, qui omnium peccatorum, de quibus corde contriti, et ore confessi fuerint, semel in vita, et in mortis articulo plenariam remissionem, et indulgentiam eis sacra Communione refectis, et in catholicæ Fidei sinceritate, Romanæque Ecclesiæ unitate, ac Romani Pontificis canonice intrantis obedientia perseverantibus, dicta auctoritate concedere possit.

XII. Liceatque eisdem Referendariis, ubi negotium, et temporum ra-

 tio

tio expostulabit, Missas antequam elucescat dies, circa tamen auroram, nec non si forsan ad loca, Ecclesiastico interdicto, tam ordinaria, quam Apostolica auctoritate supposita, eos declinare contigerit, in illis submissa voce, clausis januis, et non pulsatis campanis, ac excommunicatis, et interdictis exclusis, in sua familiariumque suorum domesticorum, et trium aliarum personarum, eorum arbitrio eligendarum, præsentia, dummodo ipsi et qui præsentes fuerint causam non dederint interdicto, neque eis specialiter interdictum fuerit; similiter Missas, et alia Divina officia per se ipsos si Presbyteri fuerint, vel per proprium, aut alium idoneum Sacerdotem ab Ordinario approbatum celebrare, et celebrari facere, illaque audire, et eis interesse; nec non tempore interdicti hujusmodi sacram Eucharistiam et cœtera Sacramenta recipere; ipsisque dicto tempore decedentibus eorum corpora Ecclesiasticæ sepulturæ etiam cum funebri pompa Christiano ritu tradi possunt.

XIII. Nec non Quadragesimali, et aliis temporibus, ac diebus stationum Basilicarum, et Ecclesiarum dictæ Urbis et extra ejus muros, si in iis locis in quibus eos etiam Romæ esse contigerit, duas Ecclesias, aut unius, vel diversarum Ecclesiarum eorum arbitrio eligendas, visitaverint, ac ibidem Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam saltem ter devote recitaverint, omnes, et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur, si eisdem temporibus, et diebus stationum, Basilicas, ac Ecclesias Urbis, et extra ejus muros hujusmodi, ad id deputatas personaliter visitassent.

XIV. Eisdem quoque Quadragesimali, et aliis temporibus, quibus esus carnium, ovorum, et lacticiniorum usus de jure, vel consuetudine est prohibitus, eisdem carnibus, ovis, et lacticiniis de consilio utriusque Medici, ac secreto, et sine scandalo uti, et vesci libere, et licite valeant, dicta auctoritate tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

XV. Præterea Constitutiones fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. predecessoris nostri, quæ incipit, Statutum, ad eosdem Referendarios nunc, et pro tempore existentes, extendimus. Ita ut ipsi omnes sint, et esse censeantur Ecclesiastica dignitate præditi, et juxta dispositionem Constitutionis hujusmodi qualificati, etiam ad hoc, ut in eorum, tamquam personarum in dignitate Ecclesiastica constitutarum, manibus, pensiones ab eis, qui sufficienti ad hoc facultate suffulti fuerint, transferri valeant, ac translationes pensionum ab ipsis faciendæ hujusmodi validæ, et efficaces existant, suosque effectus sortiri debeant.

XVI. Decernentes, præsentes literas nullo umquam tempore de subreptionis, vel obrectionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, aut in jus, vel controversiam revocari, ne sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, validasque, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore spectabit observari, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales,

les, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

XVII. Quocirca universis, et singulis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, nec non dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, et quibusvis aliis personis in dignitate Ecclesiastica, et ubicumque locorum constitutis, per præsentes committimus, et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, et in eis contenta quæcumque ubi, et quando opus fuerit, aut quoties pro parte Referendariorum prædictorum, vel alicujus eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, et in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter observari, ipsosque Referendarios, ac eorum singulos illis pacifice frui, et gaudere, non permittentes, eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras, et pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia appellatione postposita, compescendo, nec non legitimitis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, et pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

XVIII. Non obstantibus præmissis, ac præfati Bonifacii prædecessoris, de una, et in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, nec non Lateranensis etiam novissime celebrati, et præfati generalis, et aliorum Conciliorum, ac piæ mem. Innocentii IV., Sixti etiam IV., Innocentii VIII., Pauli II., et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum contra exemptos editis, nec non Pii IV. similiter prædecessoris nostri de gratiis interesse dictæ Cameræ concernentibus, in eadem Camera registrandis, aliisqne Apostolicis, ac in Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non Cameræ præfatæ, et Ecclesiarum, Monasteriorum, et Locorum quorumcumque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, illis, eorumque Præsulibus, Capitulis, Abbatibus, Conventibus, et personis, nec non præfatis locorum Ordinariis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, et dictam Sedem sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, nec non irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet, etiam iteratis, et multiplicatis vicibus concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu

quævis

quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenoris hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, et ad effectum præmissorum omnium harum serie specialiter, et expresse derogamus; aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem

XIX. Verum quia difficile foret, præsentes literas ad singula loca, in quibus de eis fides forsan facienda foret, deferre, volumus, et eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et alibi, ubi opus fuerit, adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli etc.

Datum Romæ 10. Kal. Octobr. Anno a Nativ. Domini 1586. Indict. 14. die vero 16. mensis Octobris, Pontificatus SS. D N. Sixti divina providentia Papæ V. Anno secundo.

N. IV.

Breve super Officio Acolytorum Apost. collato Votantibus Signaturæ Justitiæ.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

I. NUper certis ex causis tunc expressis omnia, et singula officia Subdiaconorum, et Acolytorum Apostolicorum nuncupatorum suppressimus, et abolevimus una cum eorum Collegiis, juribus, prærogativis, et emulumentis quibuscumque, ac singulorum Subdiaconorum, et Acolytorum prædictorum nominatim enumeratorum titulis, et concessionibus, ita ut ex tunc in posterum singula Collegia præfata extincta penitus essent, et cessarent omnino, neque singuli, ut præfertur, enumerati Subdiaconi, et Acolyti appellari, seu denominari, aut nuncupari possent, et alias prout in Cedula motus proprii nostri desuper manu nostra signata, cujus tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, et verbatim inserto haberi volumus, uberius continetur. Quamobrem ne propter suppressionem, et abolitionem hujusmodi nos, et Romani Pontificis successores nostri necessario Subdiaconorum, et Acolytorum ministerio in solemni Missarum, et aliorum divinorum officiorum celebratione, cæterisque functionibus Ecclesiasticis careamus, pro nostra pastorali cura providere volentes, motu proprio, ac ex certa seientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, dilectos filios Cappellanos

nostros

nostros, causarum Palatii Apostolici Auditores, nunc, et deinceps perpetuis futuris temporibus existentes Subdiaconos Apostolicos, nec non dilectos etiam filios utriusque Signaturæ nostræ Referendarios, qui nunc sunt, et pro tempore quandocumque erunt nostræ Signaturæ justitiæ votantes, Acolytos Apostolicos tenore præsentium facimus, creamus, constituimus, et declaramus, ipsumque prædictorum Auditorum Collegium, nec non præfatos Signaturæ justitiæ Votantes in locum Subdiaconorum, et Acolytorum per nos, ut præmittitur, suppressorum, et abolitorum respective, cum eodem omnino honore assistendi, et inserviendi nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti, tam in Cappella nostra, quam in aliis, in quibus nobis, et Romano Pontifice pro tempore existente, præsentibus divina celebrantur officia, Ecclesiis, nec non Processionibus, cæterisque functionibus Pontificiis, ad quod dicti Subdiaconi, et Acolyti, ratione suorum officiorum ante illorum suppressionem, et extinctionem, ut præfertur, factas, quomodolibet tenebantur, et obligati erant, et cum omnibus, et singulis honoribus, prærogativis, præcedentiis, et præeminentiis, quæ de jure, aut ex constitutionibus, et indultis Apostolicis, vel ex usu, et consuetudine, et alias quomodocumque Subdiaconis, et Acolythis Apostolicis, ut præmittitur, suppressis, et abolitis, illorumque Collegiis ante suppressionem, et abolitionem hujusmodi competebant, exceptis tamen quibusvis redditibus, et emolumentis temporalibus ipsis Subdiaconis, et Acolythis illorumque Collegiis olim assignatis, et ante easdem suppressionem, et abolitionem illis debitis, et per eos percipi solitis, quæ Cameræ nostræ Apostolicæ per nos jam applicata, et incorporata sunt, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine et tenore paribus substituimus, et subrogamus. Ac insuper præfatis Auditoribus, et eorum singulis, nunc, et in futurum quandocumque existentibus pro majori ministerii eis per præsentes injuncti decore, ac suarum personarum ornamento, ut deinceps vestem interiorem, quæ subtanea, nec non aliam exteriorem, quæ mantellectum vulgo nuncupatur, violacei coloris, ac etiam Galeri redimiculum, cordone vulgo dictum ejusdem coloris violacei ubique deferant, præcipimus, et mandamus. Injungentes propterea dilectis pariter filiis Cæremoniarum ejusdem Cappellæ Magistris, ut eosdem Auditores ad Subdiaconorum, et Votantes præfatæ Signaturæ justitiæ ad Acolytorum respective officia in Cappella, aliisque Ecclesiis, ac processionibus, cæterisque actibus, et functionibus præfatis cum assignatione loci congrui, ut moris est, exercenda, admittant; ac decernentes, easdem præsentes literas etiam ex eo quod quicumque etiam speciali expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes ad ea vocati, et auditi, seu causæ, propter quas ipsæ præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, ac justificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque causa, colore, prætextu, et capite etiam in corpore juris clauso etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, et interesse habentium consensus, et alio quolibet quantumvis magno, substantiali, et inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalida-

validari, in controversiam revocare, ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam motu simili concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum, et voluntatum revocationibus, suspensionibus, et aliis contrariis dispositionibus comprehendi, aut comprehensas censeri, sed ab illis semper exceptas, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori data per eos, ad quos pro tempore spectabit, respective eligenda, de novo concessas, firmasque validas, et efficaces perpetuo existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et alios qualibet auctoritate, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, et singulis, quæ in prædicta Cedula motus proprii voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXVI. Octobris MDCLV. Pontificatus nostri Anno I.

G. Gualterius.

N. V.

Constitutio Alexandri Papæ VII. super erectione Collegii ex Referendariis utriusque Signaturæ, et super qualitatibus admittendorum deinceps in Referendarios.

ALEXANDER EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

I. INter cæteras Apostolicæ sollicitudinis curas, quibus incessanter urgemur, ea semper nobis cordi fuit, ut Prælati Romanæ Curiæ, qui tamquam stellæ in Firmamento militantis Ecclesiæ relucent, ac in arduis quibusque negotiis Apostolicæ Sedi opera, et consilio præsto esse debent, ii demum deligantur, qui optima indole, moribus, ac literis præstantiores veræ virtutis exemplar seipsos præferunt. Ad hæc sane licet nonnulli Summi Pontifices Prædecessores nostri eorum constitutionibus, multa præsertim pro Referendariis utriusque Signaturæ statuerint, quorum tamen nonnulla temporum cursu, ut sæpe solet, antiquata, et forsan neglecta fuerunt; propterea nos illa innovare, ac pristinæ observantiæ restituere, et aliqua etiam addere quæ rerum experientia docuit expedire, duximus oppor-

opportunum , Hac igitur nostra perpetuo valitura constitutione prædictas nostrorum prædecessorum , in illis partibus , quæ præsenti non adversantur, aut alias legitime reformatæ non fuerint , confirmamus, et innovamus. Insuper erigimus , et instituimus Collegium eorumdem Referendariorum , quod volumus repræsentari ex duodecim Votantibus Signaturæ Justitiæ de corpore, ac numero ipsorum Referendariorum electis, et in posterum eligendis , quorum caput , ac moderatorem perpetuo constituimus Præfectum ejusdem Signaturæ justitiæ pro tempore existentem ; et antiquior eorum in officio appellabitur Decanus. Horum autem officium erit formare inquisitiones , ac processus super qualitatibus eorum , qui ad præfatum Referendarii munus, ac dignitatem admittendi erunt, prout singulis Præfectis Signaturæ speciali rescripto demandabitur, ut infra statutum est. Præterea eisdem Decano, et Collegio incumbet cœteros Referendarios, præsertim in posterum recipiendos diligenter instruere de eis , quæ spectant ad exercitium eorum officii, et omnibus intimare decreta, et ordinationes quascumque , tam nostras , quam ejusdem Præfecti , eorum personas , ac munus concernentes , et concernentia , nec non dies, ac tempora, et servitia a singulis eorum nobis tam in Cappella nostra, quam in aliis functionibus præstanda, ac etiam curare, ut tabellæ indicantes Signaturas , et Congregationes faciendas congruis temporibus a Ministris deputatis, ut moris est, exponantur, ac omnibus demum incumbere , quæ totius ordinis interesse concernent . Quoties vero dictum Collegium convocari , et coadunari necesse erit , requiratur prius licentia Præfecti, et de ejus mandato per Decanum convocetur , atque in domo habitationis ejusdem Præfecti, et non alibi, nec aliter convocari, et coadunari possint, nisi de expresso ejusdem Præfecti consensu, ac licentia in scriptis tantum præstanda. Volumus autem præfatum Collegium a nobis institutum eisdem privilegiis, et exemptionibus perfrui , ac potiri, quibus cœtera Collegia Prælatorum Romanæ Curiæ potiuntur, et gaudent. Porro illi, qui in ordinem Referendariorum cooptari petent, ante omnia curabunt, ut relata nobis, et successoribus nostris a Præfecto Signaturæ eorum instantia, nostrum , ac Successorum præfatorum beneplacitum præcedat. Deinde ut ab eodem Præfecto, unus ex Prælati præfati Collegii delegetur pro conficiendo processu , in quo infrascriptæ instantium qualitates legitime justificentur. Primo, scilicet, ut ex vero, et legitimo matrimonio, et probis, ac honestis parentibus nati, et procreati sint, ac bonæ indolis, vitæ, ac famæ prorsus inculpatæ fuerint, atque in vigesimo quinto ætatis anno constituti : præterea in aliqua publica Universitate studiis legalibus saltem per quinquennium operam dederint , ac in eadem utriusque juris scilicet Canonici , et Civilis lauream Doctoratus assecuti fuerint : atque annuos etiam redditus summam scutorum mille quingentorum monetæ constituentes vere, ac realiter, et pacifice possideant , vel a Parentibus, aut propinquis fuerint illis valide assignati : ac demum in hac Curia Romana saltem per biennium versati fuerint, et studio praxeos penes aliquem ex Auditoribus Rotæ nostræ, vel alios Prælatos, Officiales seu Advocatos ejusdem Curiæ sedulo incumbuerint : super quibus compilato diligenter processu, fiat a

Ponente, seu delegato illius relatio in Collegio, cui si videantur probata sufficienter præmissa, tunc Orator admittatur ad examen, assignatis illis, (ut moris est) duabus supplicationibus, seu commissionibus coram ipso Collegio proponendis: et subinde peracto examine si ejusdem Præfecti, atque Collegii, quorum conscientiam oneramus, fuerint concordi judicio vel saltem per duas ex tribus partibus votorum, quæ secreto per fabas albas, et nigras proferri volumus, approbatus; tunc Præfectus omnibus nobis, et successoribus nostris relatis, illum auctoritate nostra pronunciabit Referendarium, ac in aliorum numerum adscribi mandabit, præstito tamen prius in ejus manibus solito juramento. Postremo ut in Signaturis tam gratiæ, quam justitiæ liberior sit causarum discussio, et Votorum prolatio, prohibemus omnibus, et singulis tam Votantibus, quam aliis quibuscumque in eisdem Signaturis intervenientibus, ac eorum Auditoribus, et studiorum Coadiutoribus, vota ipsa cuiquam alteri, etiam speciali expressione digno, referre, aut propalare oretenus, vel in scriptis per se ipsos, vel alios quacumque forma, et exquisito modo, sub pœna indignationis nostræ. Decernentes præsentes literas, validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit in futurum inviolabiliter observari: sicque per quoscumque Judices, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere: irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, et Cancellariæ Apostolicæ regula de gratiis non concedendis ad instar, ac felicis recordationis Pii Papæ IV. prædecessoris nostri de gratiis interesse Cameræ Apostolicæ quomodolibet concernentibus in prædicta Camera registrandis, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ præfati prædecessores in dictis constitutionibus voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, innovationis, erectionis, institutionis, voluntatis, et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indiguationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCLIX. Idibus Junii, Pontificatus nossri Anno V.

J. Cardinalis Prodat.

Visa de Curia P. Ciampinus = M. Duratius = Registrata in Secretaria Brevium = P. Ciampinus.

N. VI.

N. VI.

Dilecto Filio nostro Flavio tit. S. Mariæ de Populo S. R. E. Presb. Cardinali Chisio nuncupato, nostro secundum carnem ex Fratre Germano Nepoti.

ALEXANDER PAPA VII.

I. DIlecte filii noster salutem, et Apostolicam benedictionem. Cum interdum contingat, ut in prosecutione causarum appellationum a sententiis Ordinariorum locorum interpositarum, quæ juxta Decreta Concil. Trid. ab Ordinariis vicinioribus cognosci deberent, ob nimiam eorumdem Ordinariorum distantiam, præsertim in partibus Indiarum, litigantibus ipsis plurimum incommodi, et dispendii afferatur. Nos Christifidelium in similibus casibus commoditati, et indemnitati prospectum esse cupientes, circumspectioni tuæ, quascumque supplicationes commissionum similium causarum personis in dignitate Ecclesiastica constitutis faciendarum in Signatura nostra Justitiæ in forma solita signandi, ac omnia, et singula in præmissis, necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, et exequendi, plenam, et omnimodam facultatem, et auctoritatem per præsentes concedimus, et impertimur. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub anulo Piscatoris die 20. Julii MDCLXI. Pontificatus nostri Anno VII.

Sumptum ex minuta originali Brevium diversorum fel. rec. Alexandri Papæ VII. collatum concordat.

Loco ✠ Sigilli. *J. F. Card. Albanus.*

N. VII.

CLEMENS PAPA IX.
Ad perpetuam rei memoriam.

EGregiis dilectorum filiorum utriusque Signaturæ nostræ Referendariorum in Signatura nostra Justitiæ Votantium in nos, et Sedem Apostolicam meritis, gravibusque, et assiduis laboribus, quos pro nostro, et dictæ Sedis servitio in administratione justitiæ laudabiliter sustinent, facile adducimur, ut spirituali eorum consolationi quantum cum Domino possumus benigne consulamus. Volentes itaque dictis Votantibus gratiam facere specialem, et eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dum-

taxat consequen. harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnibus, et singulis Referendariis dictæ Signaturæ justitiæ Votantibus, nunc, et pro tempore quandocumque existentibus, ut in privato domus cujuslibet eorum habitationis, etiam in hac alma Urbe nostra Oratorio, ad hoc decenter muro extructo, et ornato, seu extruendo, et ornando ab omnibus domesticis usibus libero, per dilectum filium nostrum in eadem Urbe Vicarium in spiritualibus generalem, quoad Oratoria in dicta Urbe, et quoad alia extra eamdem Urbem, per Ordinarium loci respective prius visitando, et approbando, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in domo hujusmodi celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per se ipsos, si Sacerdotes fuerint, celebrare, seu per quemcumque Sacerdotem approbatum secularem, vel de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in sua, aut cujuslibet eorum familiæ præsentia celebrari facere libere, et licite possint, et valeant: Ita tamen ut familiares eorum servitiis non necessariis ibidem Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto liberi minime censeantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam, et facultatem concedimus, et impartimur. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, et quosvis alios quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Apostolicis, ac Universalibus, Provincialibusque Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus, et ordinationibus cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub anulo Piscatoris die XIV. Martii MDCLXVIII. Pontificatus nostri Anno I.

In Dei nomine Amen. Fidem facio per præsentes Ego Notarius publicus infrascriptus, qualiter die 23. Septembris 1677. præsens copia extracta fuit ex suo primo originali mihi Notario publico exhibito ab Illustrissimo, et Reverendissimo Domino Alexandro Ursino utriusque Signaturæ SS. D. N. Papæ Referendario, et eidem exhibenti restituto, cum quo collationata concordat, salva semper etc. In quorum etc. Romæ hac die, et Anno prædictis.

Ita est pro Hieremia de Rubeis Notario Eminentissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Vicarii. *Ludovicus Martolus Connotarius etc.*

N. VII.

N. VIII.

Costitutio Innocentii Papæ XII. super electione Signaturæ Justitiæ Votantium, et indulto eisdem concesso Rocchettum in Romana Curia, et Cappam Magnam, in ejusdem Signaturæ Collegiali congressu deferendi.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

INter gravissimas, et multiplices curas, quibus ex debito Pastoralis Officii humilitati nostræ divinitus crediti incessanter urgemur, in illam peculiaribus studiis intendimus, per quam administratio justitiæ nedum ab absurdis, quæ irrepserant, vindicetur, sed in meliorem formam redacta, exactiori ordini restituta, ac Judicibus majori tum virtutis, tum honoris prærogativa decoratis commissa, in dies magis magisque refulgeat.

I. Hujus considerationis intuitu cum alias particularem congregationem nonnullorum dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super abusuum, præsertim judicialium, reformatione, deputaverimus, quamplura ab eadem Congregatione desuper edita, et impressa decreta oretenus approbavimus, nec non de ejusdem Congregationis consilio nostris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo 15. Kalend. Octob. sub plumbo expeditis literis, particularia Almæ Urbis nostræ Tribunalia ex privilegio constituta suppressimus, et abrogavimus, eademque Privilegia, et Tribunalia ad jus commune, et Judices Ordinarios memoratæ Curiæ reduximus. Et ulterius, ut officia causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generalis Auditoris, nec non ejusdem Cameræ Thesaurarii generalis, duodecim Clericorum, et Præsidentis, quæ prius mediante pretio ad vitam concedi consueverant, in posterum ad nostrum, et Romani Pontificis pro tempore existentis, et Sedis Apostolicæ beneplacitum viris vitæ, et morum integritate præstantibus literarum scientia præditis, rerumque humanarum experientia insignibus, ad majorem Dei gloriam ejusdem Romanæ Curiæ, et Prælaturæ decorem, nec non virtutis incitamentum, et prœmium, gratis, et nullo recepto pretio concederentur, per alias similes nostras eodem anno x. Kal. Novembris expeditas literas, præfatorum Officiorum venalitatem suppressimus, extinximus, removimus, et abolevimus.

II. Et insuper ex tunc etiam ad nostrum Signaturæ Referendariorum Collegium, quod alias fel. rec. Alexander Papa VII. Prædecessor noster in suis similibus literis sub Dat. videlicet Anno ejusdem Incarnationis millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono, Idibus Junii inter cætera erexit, et instituit, ac ex duodecim Signaturæ Justitiæ Votantibus sub eorum Capite, et Moderatore ejusdem Signaturæ Justitiæ pro tempore existente Præfe-

cto

cto, repræsentari voluit, mentis nostræ aciem convertentes, et ut ad præfatum Collegium viri similiter dignissimi, quoad fieri posset, semper admitterentur, cupientes, consideravimus, quod licet idem Alexander Prædecessor in præfatis suis literis hujusmodi Votantes de corpore, et numero dictorum Referendariorum eligendos esse statuisset, nulla facta mentione, an eligendi essent priores, seu Antiquiores Referendarii, diuturnus tamen usus ante, et post easdem literas invaluerat, in Votantes Præfectos assumendi, seu eligendi dictos Priores, seu Antiquiores Referendarios. Quo circa nos virtutis præstantiam non in sola muneris prioritate, seu antiquitate consistere, et aliquando posteriores in officio prioribus doctiores, et aptiores existere, perpendentes, et propterea antiquitatis rationem nonnisi cæteris paribus habendam esse volentes, motu proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine ex tunc memoratum Collegium deinceps fore merè, simpliciter, et dumtaxat electivum, nec in ejusmodi Votantium electione, seu assumptione muneris, vel Officii Referendarii prioritatem fore amplius attendendam, sed Votantes hujusmodi ad nostram, et pro tempore existentis Romani Pontificis electionem, et providam deliberationem, habito ad virtutis prærogativam, et meritorum excellentiam respectu, eligendos, et assumendos esse statuimus, decrevimus, et declaravimus, et pro majori hujusmodi statuti, decreti, et declarationis firmitate, ac prompta, et opportuna exequutione, antiquum, seu tunc existens Signaturæ Justitiæ Votantium Collegium penitus, et omnino suppressimus, ac extinximus, novumque partim ex antiquis, et partim ex tunc noviter assumptis Votantibus pietate, doctrina, prudentia, et rerum usu præstantioribus, Collegium hujusmodi, cum omnibus, et singulis eidem Collegio quomodolibet concessis, seu competentibus juribus, facultatibus, prærogativis, præeminentiis, et privilegiis ereximus, et constituimus.

III. Cum autem super præmissis literæ Apostolicæ adhuc confectæ non fuerint, et memoratam præfati Collegii renovationem, seu reformationem, cujus exactam rationem in vacationibus, et electionibus respective interim subsequutis habuimus, administrationi justitiæ valde proficuam, et decori ejusdem Collegii admodum consentaneam, trium pene annorum experientia edocti fuerimus. Hinc motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, etiam tenore præsentium præmissa plenissime, et amplissime approbamus, confirmamus, et innovamus, illisque perpetuæ, et inviolabilis firmitatis robur adjicimus; et nihilominus omnia, et singula præmissa iterum, et ex integro etiam harum serie statuimus, decernimus, et declaramus, ac in omnibus, et per omnia perpetuis futuris temporibus inviolabiliter, et inconcusse observari volumus, et mandamus.

IV. Præterea ad præclarum hujusmodi Signaturæ Justitiæ Votantium Collegium, nec non ad laudabilia probitatis, et virtutum dilectorum Filiorum modernorum Votantium hujusmodi merita, paternæ dirigentes considerationis intuitum, ac benigne perpendentes, quantum decoris ex præfato Collegio Romanæ Curiæ, quantumque utilitatis ex sedulo illorum labo-

labore justitiæ administrationi proveniat, eosque proinde, ac illorum Successores, ut alacrius fidem, operam, industriam, et sedulitatem in tanti muneris exercitio adhibere studeant, aliqua majoris honorificentiæ accessione decorare, ampliorisque favore gratiæ prosequi volentes, ac ipsorum modernorum Votantium singulares personas a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine similibus, præfatis modernis, et pro tempore perpetuo existentibus Signaturæ Justitiæ Votantibus, ut de cætero in omnibus, et singulis, et quibuscumque Congregationibus, Sessionibus, Processionibus, pompis, Consiliis, et functionibus, negotiis, cæterisque actibus publicis, et privatis, etiam coram nobis, et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus Successoribus nostris, Rocchettum in præfata Romana Curia palam deferre, et gestare, illoque indulti publicè incedere, et comparere, nec non Cappas Magnas, quibus iidem Votantes in Capella nostra utuntur, similiter quando causarum commsssionibus, aliisque resolutionibus in Signaturæ Justitiæ congressu collegialiter assistunt, etiam deferre, et gestare, libere, et licite possint, et valeant, earumdem tenore præsentium perpetuo concedimus, et indulgemus.

V. Decernentes, easdem præsentes literas, etiam ex eo quod antiqui, seu tunc existentes Votantes, veteris, seu ut præfertur, tunc suppressi Signaturæ Justitiæ Votantium Collegii, ac alii quicumque, etiam speciali nota digni in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, iisdem præmissis non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aliave quavis de causa quamtumvis legitima, et juridica, de ullo subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, alioque quocumque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, minusque sub similium, vel dissimilium gratiarum moderationibus, limitationibus, revocationibus, et quibuscumque aliis contrariis dispositionibus per quoscumque Romanos Pontifices Successores nostros, et Sedem prædictam, etiam motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, ac etiam Consistorialiter, et alias quomodolibet pro tempore factis, et faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori data quandocumque eligenda de novo concessas, semperque validas, firmas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, ac dictis Signaturæ Justitiæ Votantibus suffragari, et ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, invio-

violabiliter observari; sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos quavis auctoritate, præeminentia, aut potestate fungentes, et functuros, nunc, et pro tempore existentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, judicari, e definiri debere; Irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

VI. Non obstantibus præmissis, et quatenus opus sit, nostra, et Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, et aliis quibuscumque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, nec non prædicta, aliisque quibuscumque, quamtumvis antiquissimis, et immemorabilibus consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis ad favorem utriusque, vel alterius Signaturæ nostræ Referendariorum, vel Votantium, seu eorum, et quorumcumque Collegiorum, vel Tribunalium, etiam speciali nota dignorum, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis Clausulis, et decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, et de potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet per Prædecessores nostros Romanos Pontifices concessis, innovatis, confirmatis, et approbatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales, idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo, ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, exprimerentur, vel insererentur, iisdem præsentibus pro plenè, et sufficienter expressis, et insertis habentes ad effectum præsentium, illis alias in suo robore permansuris, harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

VII. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, statuti, decretorum declarationis, voluntatis, mandati, absolutionis, concessionum, indulti, et derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millessimo, sexcentesimo nonagesimo quinto, tertio decimo Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno V.

B. Cardinalis Prodat.

J. F. Card. Albanus = Visa de curia = J. Sacripantes = D. Ciampinus.

Loco ✱ plumbi.

re-

N. IX.

Assegnamento di scudi cento in ciascun mese al Collegio de' Votanti della Signatura.

MOnsignore Giuseppe Paravicini nostro Tesoriere generale. Essendo per morte del Cardinal Flavio Chigi vacata la Prefettura della Congregazione de' confini del nostro Stato Ecclesiastico, et avendo noi risoluto di sopprimere a favore della nostra Camera l' annuo emolumento di scudi mille ducento settantasei d' oro altre volte assegnato a detta carica, e solito pagarsi al Cardinal Prefetto *pro tempore* dalla Depositaria generale della medema nostra Camera, con applicarne però in avvenire per la rata di scudi 1200. moneta l' anno al Collegio de' Votanti della Segnatura di Giustizia per rimunerazione delle loro gravi, e continue fatighe; quindi è, che di nostro moto proprio certa scienza, e pienezza della nostra potestà Apostolica, avendo nel presente nostro Chirografo per espressa la Costituzione 73. della sa. me. di Urbano Ottavo sopra l' erezione della detta Congregazione de' confiini in data del 1. Ottobre 1627. l' uso fin' ora praticato di pagare il detto assegnamento di scudi 1276. d' oro annui al Cardinal Prefetto *pro tempore* di detta Congregazione, et ogni altra cosa necessaria ad esprimersi, e volendo noi, che dal giorno della morte di detto Cardinal Flavio Chigi Prefetto, mentre visse, di detta Congregazione si abbia per intieramente soppresso, et estinto il sopradetto assegnamento, siccome noi quello intieramente, e totalmente sopprimiamo, ed estinguiamo; ordiniamo a voi, che in nome nostro, e della nostra Camera assegniate, siccome noi assegnamo, al Collegio de' dodeci Votanti della Segnatura di Giustizia un menstruo assegnamento di scudi cento moneta da ripartirsi egualmente, ed anticipatamente fra di loro nel principio di ciaschedun mese, incominciando dal primo del prossimo mese d' Ottobre, e per l' effetto sudetto spedirete mandati, e darete al detto Depositario Generale della nostra Camera tutti gli ordini, che stimerete necessarj, et opportuni, acciò con li denari della nostra Camera esistenti nella Depositaria generale paghi il predetto menstruo assegnamento alli dd. dodici Votanti, loro Decano, Vice-Decano, e Camerlengo, o altro loro Procuratore, essendo tale la mente, e volontà nostra espressa; volendo, e decretando, che il presente nostro Chirografo ammettendosi, e registrandosi in Camera alla forma dalla Constituzione della sa. me. di Pio IV. nostro Predecessore abbia il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore, non ostante la sudetta Constituzione 73. d' Urbano Ottavo sopra l' erezione della predetta Congregazione de' confini, la Constituzione di Simmaco, di Paolo II. Paolo IV. Pio V. Clemente VIII. Alessandro VII., e di altri Sommi Pontefici nostri Predecessori *de rebus Cameræ, & Sedis Apostolicæ non alienandis*, e qualsisia altra Bolla, Chirografo, Statuto, riforma, uso, stile, consuetudine, decreto, anche Consistoriale, et ogn' altra cosa, che facesse, o potesse fare

e

in contrario, alle quali tutte, e singole per questa volta solamente, et all' effetto sudetto pienamente, ed amplamenre deroghiamo. Dato nel nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo, questo dì 30. Settembre 1693.

Innocentius Papa XII.

Registrato appare nel libro *Signaturarum Innoc. XII. an.* 1693. per gli atti dell' Antamoro Segretario di Camera al foglio 139. e seguenti, presentato in Camera piena il dì 30. Ottobre, et ammesso in quella il dì 6. Novembre 1693.

N. X.

Concessione di scudi 50. annui a ciascheduno Votante della Segnatura in luogo della franghigia delle gabelle.

MOnsignore Giuseppe Paravicini nostro Tesoriere Generale. Avendo noi risoluto di regolar le franghizie delle Dogane, e gabelle di Roma, solite godersi per uso loro, e delle loro famiglie dal Governatore di Roma, dall' Auditor della Camera, dal Tesoriere generale, da' Chierici di Camera, e dagl' altri Camerali, e di concedere per grazia singolare, che non passi in esempio le medesime franchizie alli Votanti della Segnatura di Giustizia nell' istessa quantità, e modo, che si godono dagli Auditori di Rota. Quindi è, che di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra potestà Pontificia avendo nel presente nostro Chirografo per espressi li privilegj conceduti al Tribunale della Camera Apostolica, suoi Ministri, ed Offiziali, l' uso antichissimo pratticato sino al presente giorno, ed ogn' altra cosa necessaria ad esprimersi, ordiniamo a voi, che in avvenire dal nostro Doganiere generale, e per esso dal presente Amministratore, o da altri, a quali spetta, facciate pagare con denari della nostra Camera alli sudetti, Governatore di Roma, Auditore della Camera, Tesoriere generale, Chierici di Camera, Presidente, ed altri Camerali, come sopra, et a ciascuno di loro respettivamente, ed in oltre a ciascuno Votante della Segnatura di Giustizia la somma, e quantità di scudi cinquanta moneta ogn' anno per causa, ed occasione delle franchizie delle dette Dogane, e gabelle di Roma, nel modo, e forma che si pagano, all'Auditori di Rota, e senza alcuna differenza fra di loro, benchè si pretendesse, che per uso loro, e delle loro famiglie la detta franchizia importasse somma maggiore, e stante detto pagamento di scudi cinquanta da farsegli annualmente, come sopra, vogliamo, e comandiamo, che le robbe per uso loro, e delle loro famiglie non debbano godere alcuna esenzione delle dette Dogane tanto di terra, che di Ripa, e Ripetta, e sopra di ciò darete gli ordini necessarj, et opportuni, perchè così è nostra mente, e volontà espressa, volendo, e decretando, che il presente nostro Chirografo, benchè non ammesso, nè registrato in Camera, abbia il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore con la semplice nostra sottoscrizione, non ostante

te la bolla di Pio IV. *de registrandis*, e qualsivoglia altra Bolla, Constituzione, e Ordinazione Apostolica, emanata a favore del Tribunale della nostra Camera, suoi Ministri, et Offiziali, e qualsisia altro uso, stile, statuto, riforma, decreto, legge, ed ogn' altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole per questa volta solamente, et espressamente deroghiamo. Dato nel nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo questo dì 15. Ottobbre 1692.

Innocentius Papa XII.

Registrata nella Computistaria della Reverenda Camera appresso Angelo Biondi Computista.

N. XI.

Ordine del Pontefice Innocenzo XII. circa il darsi la mano all' Avvocato Fiscale quando informa per la Camera.

LA Santità di Nostro Signore ordina, che quando l' Avvocato Fiscale tratterà degli interessi, spettanti alla Camera Apostolica solamente, debba darseli la mano in tutti i Tribunali della Corte Romana; quando poi il medesimo Avvocato Fiscale tratta interessi non concernenti la Camera Apostolica si osservi lo stile che si pratica con gli altri Avvocati.

Ansaldo Ansaldi Auditore.

N. XII.

In Reformatione Tribunalium almæ Urbis, et ejus Officialium.

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.
Ad perpetuam rei memoriam.

Universi Agri Dominici etc.

De Signatura Gratiæ, et Justitiæ.

I. IN primis quod nullus Referendariorum Commissionem expediat, in qua non adsit a tergo nomen Procuratoris, seu impetrantis, noti saltem ipsi Referendario, cujus solius citatio sufficiat in reformatione ipsius.

II. Verum ipsi Procuratores, seu impetrantes suum nomen a tergo manu propria inscribant, et de mendacio convicti, juxta juris dispositionem puniantur.

III. Ubi vero in Commissionibus expediendis requiritur citatio partis, una saltem citatio una die pro altera fieri debeat personaliter, aut factis diligentiis per duos Cursores, ut moris est, dimissa copia.

 At-

IV. Atque in ipsis Citationibus apponatur semper nomen Referendarii, alioquin Reierendarii ipsi Commissionem non expediant.

V. Similiter nullus Referendariorum propositas, et rejectas in Signatura Justitiæ Commissiones, in Signatura Gratiæ coram nobis proponere audeat, nisi per Signaturam Justitiæ ad eamdem Signaturam Gratiæ remissæ fuerint, vel nisi talis sit materia, quæ scientiam nostram requirat, et tunc præhabita semper licentia nostra, et Successorum nostrorum Romanorum Pontificum vel saltem Cardinalis Præfecti pro tempore Signaturæ Gratiæ, qui parte audita deliberare poterit, an causa proponenda fit.

VI. Nec in antiquis, et arduis materiis, in quibus plures hic inde expeditæ fuerint Commissiones, et in Avocatoriis a prioribus Judicibus, et quovis modo præjudicialibus, Referendarii manum apponant, nisi prius citata coram eis parte interesse habente.

VII. Et cum agitur de revocatione, aut moderatione alicujus Præinsertæ, similiter manum non apponant, nisi in præinserta appositum sit nomen Referendarii, qui illi manum apposuit, ut rationem reddere, et justificare possit.

VIII. Nec etiam reformatio, sive moderatio ejusdem præinsertæ a Præfecto Signaturæ Justitiæ, nisi nomen Referendarii, ut præmittitur in ipsa præinserta appositum fuerit, aliquo modo signetur.

IX. In Commissionibus Appellationum ab Interloquutoris manus non apponatur, nisi expresso relevanti gravamine, neque in Commissionibus Appellationum a definitiva, cum clausula, aut vim diffinitivæ habente, nisi res adeo exprimatur, ut videat Referendarius an tale sit gravamen, quod per diffinitivam reparari non possit, etsi in Commissione apposita fuerit Clausula cum toto negotio principali, tunc addatur justificato tamen dicto gravamine. Et idem servetur, quando est apposita Clausula, quam, et quas, quæ tamen non sit restricta per sola verba de ut super præmissis.

X. Et nihilominus in supradictis Commissionibus appellationum ab Interloquutoriis semper citetur pars, etiam si exprimatur gravamen, ut supra dictum est, quod per diffinitivam irreparabile videatur.

XI. Et ab excessiva taxatione expensarum, semel tantum appellatio committatur, et duæ Sententiæ habeant vim trium.

XII. Ubi pars commissionem aliquam dolose extorserit, et ob id Commissio reformata fuerit, Præfectus Manu regia, et executive expensas factas in Reformatione Commissionis restituere faciat, fine litis minime expectato.

XIII. Commissio pro dilatione, vel alternativa semel tantum concedatur, quam qui jam impetraverit, lapso trimestri, aliam, nisi a nobis, vel successoribus nostris, et Signatura nostra Gratiæ impetrare nequeat, et impetrata non suffragetur, nec tribuat jurisdictionem.

XIV. Abstineant præterea Referendarii ab appositione manuum in Commissionibus Nullitatum, et Attentatorum, nisi exprimantur Nullitates ex defectu jurisdictionis, citationis, vel mandati, et ipsa attentata.

XV. Item in Commissionibus molestationum, et jactationum, nisi addita clausula, dummodo non sint judicialiter illatæ.

Et

XVI. Et omnino abstineant ab illis, in quibus narratur pronunciatum fuisse, prout in Cedula.

XVII. Nec etiam manum apponant in Commissionibus prorogationis fatalium in causis criminalibus, nec illæ concedantur ultra primam vicem, nisi prævia subscriptione Judicis asserentis Commissionem sibi signandam videri, et citato Fisco.

XVIII. In civilibus autem prorogationes hujusmodi ultra primam vicem, nonnisi ex causa concedantur.

XIX. Et similis instantia, quæ causis discussionem præscripta est, nullo modo, nisi ex magna causa, et per Signaturam nostram Gratiæ prorogetur.

XX. Quilibet autem Referendarius teneatur recipere contra Commissiones, et eas omnino in eadem Signatura proponere, eoque casu sufficiat partem adversam per quinque dies ante Signaturam suprascripto citatam.

XXI. Causæ Matrimoniales, et Criminales Clericorum, et aliarum personarum Ecclesiasticarum committantur iis tantum, quibus dispositum est per Concil. Trid. committendas esse,

XXII. Causæ vero Criminales Laicorum in Terris Ecclesiæ locorum Gubernatoribus committantur.

XXIII. Regens Cancellariæ, et alii Officiales, ad expeditionem Commissionum Signaturæ Justitiæ deputati, absque mora, receptis Commissionibus illas expediant, nec sub quovis prætextu illas penes se retineant. Et qui illas per turnum distribuere debent, illas sine aliqua ordinis ipsius turni perversione distribuant, illasque ad Bancum Cursorum, etiam irrequisiti, sine mora transmittant sub pœna privationis arbitrio nostro, et Successorum nostrorum Romanorum Pontificum.

N. XIII.

Decreta Collegii ejusdem Signaturæ.

Die 15. Julii 1659.

Convocato Collegio DD. Votantium Signaturæ Justitiæ per D. Octavianum Caraffa Decanum de mandato Eminentiss. D. Card. Sacchetti ejusdem Signaturæ Præfecti, in eo intervenerunt infrascripti Domini coadunati coram dicto Eminentiss. in ejus Palatio.

D. Caraffa Decanus.	D. Farnus.
D. Amadeus.	D. Dondinus.
D. Gaetanus.	D. Ciceri.
D. Pauluccius.	D. de Angelis.
D. Manfronus.	D. Emerix.

Fuit per omnes Votantes viva voce deputatus in Secretarium dicti Collegii D. de Angelis, eidemque mandatum, ut librum conficeret, in quo describantur omnia Decreta, omnesque Actus ejusdem Collegii.

Successive fuit deputatus in Notarium dicti Collegii Notarius Archivii pro tempore, et in Bidellium unus ex ejus substitutis, cui incumbat onus intimandi DD. Votantes, quotiescumque convocandum erit dictum Col-

Collegium, eidemque convocato semper assistat ab extra pro indigentiis occurrentibus. Notarius autem construat Archivium particulare, in quo custodiantur omnes processus Dominorum admissorum ad Referendariatus dignitatem, omnesque scripturas concernentes interesse dicti Collegii, dictoque Archivio duæ Claves apponantur, quarum una retineatur a Secretario pro tempore dicti Collegii, altera a dicto Notario Archivii.

Die 16. Aprilis 1676.

Fuit Signatura Justitiæ coram Emin. ac Rev. D. Card. Flavio Chisio Præfecto in suis ædibus, ac coram Illustrissimis, et Reverend. DD. Votantibus.

Bussio	Ginnetto.
Muto de Papazurris.	Bernino.
Bentivolo.	Filicaja.
Zelonio	

Et deinde fuit omnium votis decretum, quod in posterum non admittantur amplius Prælati in Signatura, tam illi qui emunt officia, quam alii, qui quoquo modo obtinent Prælaturam, nisi prius in eadem Signatura fuerint admissi ad examen, proponendo juxta morem duas Commissiones, in forma ipsis assignandas, et fuerint successive Votorum suffragio approbati, et præstiterint deinde solitum juramentum.

Mutus de Papazurris Secretarius.

Quod decretum in alia Signatura, habita sub die 23. Aprilis 1676. coram eodem Eminentiss. ac Reverendiss. Card. Flavio Chisio Præfecto in suis ædibus, ac Illmis, et Rmis DD. Votantibus.

Crescentio Decano.	Zelonio.
Ursino.	Bentivolo.
Bussio.	Bernino.
Muto de Papazurris.	

Fuit denique confirmatum omnium Votis, habita super eo antecedenter matura consideratione, eoque plene discusso.

Mutus de Papazurris Secretarius,

Die 2. Martii 1679.

Cum sub die 13. Februarii proxime elapsi in Congregatione, habita immediate post Signaturam, Eminent. ac Rev. D. Card. Flavius Chisius noster Præfectus proposuisset de mandato Sanctiss. D. N. Papæ Innocentii XI. an congruum videretur, quod amplius non concederentur extra numerum pro propositione causarum, responsum fuit, esse raro permittendum, et nonnisi in casu necessitatis.

et ita fuerunt omnes unanimiter in Voto.

Cumque de his dictus Emin. et Rev. D. Card. Præfectus relationem fecerit Sanctitati Suæ, ipseque Sanctissimus benigne annuerit, et servari mandavit, ac fieri Decretum, ut Emin. ait, de vivæ vocis oraculo.

Ideo insimul congregati in Congregatione habita immediate post Signaturam idem Em. et Rev. D. Card. Flavius Chisius Præfectus in suis ædibus, ac Illustriss. et Reverendiss. D. D. Votantes.

Ursinus Decanus.	Vincentinus.

Bussius

Bussius. Berninus.
Mutus de Papazurris Secretarius. Scarincius.
Zelonius. Victorius.
Thomatus.

Omnia supradicta decreverunt, ut supra, ac fore servanda, et hic registrari.

Die 22. *Augusti* 1680.

In Congregatione Signaturæ Justitiæ habita coram Em. ac Rev. Dom. Card. Flavio Chisio Præfecto, ab Illm̃is, et Rev. DD. Vot.

Muto de Papazurris Decano, ac Secretario.
Maculano. Scarincio.
Zelono. Victorio.
Ginnetto. Buratto.
Bernino.

Decretum fuit, quod non concedatur amplius licentia redeundi ad Signaturam pro iis causis, quæ fuerunt omnium Votis resolutæ, utraque parte infirmante, etiam quod in ea Signatura non fuerint, *nisi octo* solum Illustriss., et Reverendiss. Votantes, ac singularum causarum Ponentes; secus si in minori numero, idque ad parcendum litigantium expensis, et pro sollicita magis, quæ summopere desideratur, causarum, ac Justitiæ expeditione, et complemento.

Die 10. *Maii* 1685.

Fuit habita Signatura Justitiæ coram Em̃o, et Rm̃o D. Flavio Cardinali Chisio ab Illm̃is, et Rm̃is ejusdem Signaturæ Votantibus.

Maculano Decano, et Secretario
Ottono. Butio.
Bentivolo. Victorio.
Ginnetto. Thomato.
Bussio. Brunetto.
Vallato.

Et post eamdem resolutum, ac decretum, quod si quis Procurator, seu causarum Patronus petierit, et consequutus fuerit novam Audientiam, et licentiam redeundi adversus Rescripta Signaturæ in illis Causis in quibus fuerit appositum, *et amplius non proponatur*, sub aliquo mendicato prætextu alicujus novi supervenientis motivi, non in Signatura discussi, de cujus invaliditate, et insubsistentia appareat, ac ideo dignoscatur Procuratoris pervicacia, et cavillatio ad effectum partes defatigandi, ac per hoc Signatura omnino steterit in primo loco decisis, ac decretis, idem Procurator teneatur solvere Principalibus ex adverso comparentibus, sic ad novam trutinam provocatis omnes, et singulos sumptus in Propositione factos, nullo penitus excluso, etiam quoad illos, factos in Scripturis Copistarum ad instar Attentatorum, et sic inviolabiliter servari debeat in futurum.

Cumque mihi injunctum fuerit ab eodem Em̃o Præfecto, et Illm̃is Patribus, quod præsens Decretum registretur in libro Actorum Signaturæ, et publicetur.

C. Maculanus Decanus, et Secretarius.

N. XIV.

N. XIV.
Decretum editum ab Emo de Luca anno 1677.

Die Lunæ 6. septembris 1677. Illmus, et Rmus D. Joannes Baptista de Luca Sanctissimi D. N. Papæ Innocentii XI. Auditor mandat in Tribunali Auditoris Cameræ; ejusque Officiis confici Broliardum Contradictarum, in quo pro faciliori negotiorum per contradictas expeditione adnotari debeant jurium productiones, omniaque alia acta in omnibus illis causis tam exequutivis, quam ordinariis, aut alterius cujusvis generis per contradictas expediri contingerit in solo Tribunali tam coram Illmo, et Rmo D. A.C.met, quam coram Illmis et Rmis DD. Locumtenentibus, aliisque Judicibus per eum deputatis, et tam Ordinariis, quam Commissariis, et ulterius in illo fieri, et conscribi etiam debeant protestationes, nuncupatæ *Nihil fieri*, tam adversus citationes Camerales, quam Monitoria, aut alias quascumque inhibitiones, et similiter adnotari omnes, et quascumque reproductiones Citationum Cameralium, etiamsi per contradictas non procedatur pariter in toto Tribunali, et coram omnibus ut supra, et hoc ad distinctionem aliorum Broliardorum, dum in isto poterunt relinqui paginæ albæ inter unam, et aliam, dum ad effectum retrotrahendi acta, prout opus fuerit facienda per contradictas tantum protestationes, et *nihil fieri* omnes debeant adnotari in ipsa die, qua fiunt, in aliis prohibuit expresse sub pœnis suo arbitrio relinqui similes paginas; imo voluit, quod sero quolibet delineentur paginæ in fine illius partis conscriptæ, ne quid ulterius, vel addi, vel scribi possit, et ita servari mandat etc.

N. XV.
Resolutio Signaturæ plenæ, qua præscribitur quod Rota procedere debeat omnino juxta commissionem die 13. Martii 1681.

CUm a Mandato de immittendo *in Causa Bononiensi Fideicommissi de Benatiis inter Petrum Ciamenghum, et Julium Cæsarem Mazza ex una, et Franciscum Tacconum* ex alia, *Signatura* commisisset Appellationem *in Rota* cum clausula: *Constito quod sit locus Ægidianæ*, ex principali motivo, quod inter bona, super quibus petebatur immissio, adessent bona Ecclesiastica; et cum *Rota* processerit ad expeditionem Causæ absque cognitione *Ægidianæ*, et *Tacconus* appellans recursum habuerit in *Signatura*, fuit dubitatum, an Rota potuisset ita procedere ex defectu jurisdictionis, quia Commissio ei directa fuisset antecedenter signata cum sua clausula: *Constito quod sit locus Ægidianæ*: et fuit prima vice in Signatura, habita sub die 22. augusti 1680. rescriptum, *Circumscriptis omnibus gestis post Rescriptum Signaturæ, Rota procedat ad formam Commissionis*, at Rescriptum fuit: *Dilata*, et ad *D. Decanum juxta mentem*. Recurrente parte succumbente sub die 5. septembris

bris sequentis, qui *D. Decanus* aperiendo *Mentem Signaturæ*, decrevit, quod relaxaretur, et signaretur Commissio hujus secundæ Appellationis cum Clausula: *de Appellatione circumscripta possessione, et restitutis fructibus*. Ratio itaque hujus Resolutionis fuit, quod quum partes tacite in *Rota* renunciaverint Ægidianæ, non disputando, an esset dictæ Ægidianæ locus, causa remanebat de sui natura appellabilis, et propterea non potuerat capi Bonorum possessio intra tempus ad appellandum etc. absque vitio attentatorum, ut propterea talis capta possessio esset circumscribenda cum omnibus inde sequutis, et deberent exinde fructus percepti restitui. Nec voluit Signatura persistere in primo suprascripto Rescripto emanato sub die 22. Augusti 1680. circumscriptis omnibus gestis etc. ex aliquali æquitate, quia fuit doctum de aliquali consuetudine Rotæ in procedendo quando Partes consentiunt, vel saltem non dissentiunt; quamvis in coutrarium urgeret motivum, et de juris rigore attendendum, quod Rota quando est Judex appellationis non possit in Causis procedere contra, seu præter formam Commissionis, et Rescripti Signaturæ in Commissione appositi.

Rebus sic stantibus fuit pro parte dictorum *Petri Ciamenghi, et Julii Cæsaris Mazza* incapsata dicta secunda Commissio appellationis in Rota cum clausula: *sine præjudicio* etc. scribente pro ipsis *Innocentio Meula* Procuratore. At cum hoc factum fuisset contra mentem Signaturæ, et Decretum exinde factum ut supra a Domino Decano Signaturæ *de Appellatione, circumscripta possessione, et reservatis fructibus*, Signatura sub die 16. Januarii 1681. recurrente *Francisco Taccono*, et pro eo scribente *Jacobo Tesino* Procuratore rescripsit *circumscripto Dubio Rotali cum omnibus inde sequutis relaxetur Commissio juxta formam Decreti Domini Decani Signaturæ, et quoad liquidationem fructuum, et damnorum ad Dominum Rattam (qui est Auditor Signaturæ pro Eminentissimo Præfecto) pro præfixione Termini Taccono ad liquidandum*.

Dum hæc Causa sic agitabatur, fuit a dicto *Jacobo Tesino Procuratore Tacconi* habitus recursus ad Signaturam exponendo, quod fuerat a Tribunali Rotæ suspensus ab exercitio Procuratoris in illo Tribunali ob recursus ad Signaturam habitos. Sed ægre hoc ferente Tribunali Signaturæ, utque non esset angustiandus recursus ad Principem, scilicet ad Tribunal Signaturæ cum plena, et usque nunc habita libertate, fuit propterea a Rota reintegratus, quamvis a Tribunali Rotæ allegaretur, quod non propter recursum ut supra ad Signaturam fuerat suspensus, sed quod tam ipse dictus Tesinus quam omnes alii Procuratores fuerant suspensi, qui scribebant in Rota, nec fuerant approbati et examinati; quæ tamen Rotæ excusatio non fuit in hujus contingentia Causæ a Tribunali Signaturæ acceptata, quamvis cæterum relicta sub dispositione Rotali *Tesini* ac Procuratorum suspensio, quia non fuissent examinati, et approbati, extra tamen casum et contingentiam hujus Causæ, ut propterea reintegratus omnino fuerit a Rota in omnibus, et per omnia dictus Tesinus Procurator.

Tandem quia dicti *Petrus Ciamengus et Julius Cæsar Mazza* paruerunt Rescripto Signaturæ reformando Commissionem ex adverso interpositam cum clausula; *de Appellatione*, et renunciando possessioni captæ, et protestando se paratos ad restituendos fructus perceptos, ex adverso liquidan-

dos vel enunciandos; et quia non posset dubitari de non integra paritione juxta mentem Signaturæ et Decretum dicti Dñi Decani Signaturæ, preces porrexerunt eidem Signaturæ, quæ sub die 13. martii 1681. rescripsit *Attenta paritione Rota procedat ut in precibus ad formam Commissionis reformata juxta Decretum Dñi Decani Signaturæ justitiæ*; quæ preces apparent in Memoriali per dictos *Petrum*, et *Julium Cæsarem* porrecto *ab Innocentio Meula* dicto Procuratore hic alligato.

Hujusmodi factum, sic ut supra narratum cum Rescriptis Signaturæ, ut supra appositis, et cum omnibus inde ut supra sequutis, fuit hic de mandato Emi, et Rmi D. Cardinalis Flavii Chisii Præfecti, ac Illmorum et Rmorum DD. Votantium, ac totius Tribunalis Signaturæ a me appositum, narratum et registratum, infrascripto Secretario ac Decano, ad hoc ut perpetuo appareat et in fidem etc.

F. Mutus de Papazurris Decanus ac Secretarius.

N. XVI.

Votum veritatis, emanatum mense Septembri 1695. ab Illmo Collegio Patronorum Sacri Palatii Apostolici, quo firmatur.

QUod in vim mandati exequutivi pro obligatione Camerali relaxati, licitum sit creditori variare in exequutione ipsius de re ad personam, et e converso; itaut per subsequentem exequutionem realem non censetur priori exequutioni renunciatum, cumularique possint vigore unici mandati super diversis Corporibus diversæ exequutiones, dummodo tamen non processerit citatio ad videndum subhastari alterum ex Corporibus exequutis.

N. XVII.

Facultas transferendi pensiones Ecclesiasticas usque ad summam scutorum centum monetæ Romanæ pro RR. PP. DD. in Signatura Justitiæ Votantibus.

CLEMENS PAPA XI.
Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex supremus gratiarum dispensator in terris a Domino constitutus, illos, qui assiduos, gravesque labores pro Justitia unicuique æqua lance administranda laudabiliter substinent, specialibus privilegiis exornat, sicut eorum meritis convenire arbitratur. Itaque ad eximia dilectorum filiorum modernorum utriusque Signaturæ nostræ Referendariorum in Signatura nostra Justitiæ Votantium in nos, ac Apostolicam Sedem merita paternæ dirigentes considerationis intuitum, eosque proinde,

ac

ac illorum successores, ut eo alacrius, fidem, operam, et industriam, atque sedulitatem in ejusdem Sedis obsequium adhibere studeant, specialis favore gratiæ prosequi volentes, et ipsorum modernorum singulares Votantium personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine prædictis modernis, et pro tempore existentibus Referendariis dictæ Signaturæ Justitiæ Votantibus, ut ipsi pensiones annuas Apostolica sibi Auctoritate super quibusvis fructibus Ecclesiasticis reservatas, et pro tempore reservandas usque ad summam centum scutorum monetæ dumtaxat ad favorem unius, seu plurium personarum Ecclesiasticarum, seu Clericorum ac alias pensionum hujusmodi capacium, etiam in mortis articulo coram Notario, et Testibus, et cum alicujus Prælati, seu personæ in Ecclesiastica dignitase constituti, interventu, transferre (servata tamen forma Constitutionis fel. rec. Innoc. PP. XI. prædecessoris nostri super translatione pensionum editæ) libere, et licite possint, et valeant, tenore præsentium concedimus, et indulgemus, decernentes easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali defectu, notari, impugnari, retractari, infringi, seu ad terminos juris reduci, aut in controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; neque ipsas præsentes literas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos, vel Romanos Pontifices successores nostros, et Sedem præfatam in genere, vel aut alias quomodolibet, et quandocumque faciendis comprehendi, et comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriore data per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligenda, concessas intelligi, firmasque, validas, et efficaces existere, et fore, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime snffragari: sicque et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, et irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contige-

 rit

rit attentari; quocirca dilectis filiis nostris ejusdem S. R. E. Vice-Cancellario, et Camerario, et Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes motu pari committimus, et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque ubi, et quando opus fuerit, et quoties pro parte prædictorum Votantium, seu alicujus eorum, vel aliorum interesse in præmissis pro tempore habentium desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra ipsas præsentes literas, et in eis contenta hujusmodi ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter observari, ipsosque modernos, et pro tempore existentes Votantes, et alios, quos eædem literæ concernent, in futurum præsentium literarum, et in eis contentorum, eorumdem commodo, et effectu pacifice frui, et gaudere, non permittentes illos, seu eorum quempiam desuper quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari, vel impediri; Contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras, et pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus; sententias, censuras, et pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus fel. rec. Bonif. PP. VIII. prædecessoris nostri, de una et in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, ac quatenus opus sit de præstando consensu in paritionibus, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et ad textum insertis, habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die XXVIII. Martii MDCCI. Pontificatus nostri anno primo.

F. Oliverius.

N. XVIII.

N. XVIII.

Extensio facultatis transferendi pensiones usque ad summam Scutorum centum monetæ, aliàs concessæ Votantibus Signaturæ Justitiæ, sive declaratio, quod dimissis Officiis hujusmodi ea uti possint.

CLEMENS XI.
Ad perpetuam rei memoriam.

I. CReditæ nobis divinitus dispensationis ratio exigit, ut illos, qui plus laboris, et obsequii in Apostolicæ Sedis honorem, ac Ecclesiæ Catholicæ utilitatem jugiter perferre, et impendere non desistunt, peculiari paternæ Charitatis affectu prosequentes, ejs uberiora Pontificiæ nostræ benignitatis dona largiantur.

II. Alias siquidem nos tunc, et pro tempore existentibus Referendariis Signaturæ nostræ Justitiæ Votantibus perpetuo concessimus, et indulsimus, ut ipsi pensiones annuas Apostolica Auctoritate eis super quibusvis fructibus Ecclesiasticis reservatas, et pro tempore reservandas usque ad summam Centum Scutorum Monetæ dumtaxat ad favorem unius, seu plurium Personarum Ecclesiasticarum, seu Clericorum, ac alias pensionum hujusmodi capacium, etiam in mortis articulo coram Notario, et Testibus, ac cum alicujus Prælati, seu personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ interventu transferre (servata tamen forma Constitutionis felicis rec. Innocentii PP. XI. prædecessoris nostri super translatione pensionum æditæ) libere, et licite possint, et valeant, et alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 28. Martii proximè præteriti, expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum haberi volumus, uberius continetur. Nunc autem nos ad egregia dilectorum Filiorum modernorum ejusdem Signaturæ Justitiæ Votantium merita paternæ dirigentes considerationis intuitum, ac benignè perpendentes, quantum ipsi singulari sint Sedi præfatæ adjumento, Romanæque Curiæ ornamento, eosque proinde, ac illorum Successores, ut alacrius in dies ad præstanda eidem Sedi obsequia reddantur amplioris favore gratiæ prosequi volentes, et ipsorum Modernorum Referendariorum Signaturæ Justitiæ Votantium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes motu proprio, ac ex certa scientia, et liberalitate nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præfatis modernis, et pro tempore existentibus Referendariis ejusdem Signaturæ Justitiæ Votantibus,

tibus, ut ipsi etiam dimissis Votantium hujusmodi Officiis facultate transferendi pensiones annuas, usque ad summam centum scutorum monetæ a Nobis per nostras literas præfatas, ut præfertur, concessa, uti, frui, gaudere libere pariter, et licite possint, et valeant in omnibus, et per omnia, perinde ac si Officia Votantium hujusmodi tunc exercerent, tenore præsentium concedimus, pariter, et indulgemus. Decernentes easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque nullo umquam tempore de subreptionis, et obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali defectu, notari, impugnari, retractari, infringi, seu ad terminos juris reduci, aut in controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impretrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, atque ipsas præsentes literas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum evocationibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per Nos, vel Romanos Pontifices Successores nostros, et Sedem præfatam in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet, et quandocumque faciendis comprehendi, vel comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenariè reintegratas, et etiam de novo sub quacumque posteriori data, per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligenda, concessas intelligi, firmasque validas, et efficaces existere, et fore, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari.

III. Sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Jndices, Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R, E. Cardinales etiam de latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, ablata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

IV. Quo circa dilectis filiis nostris ejusdem S. R. E. Vice-Cancellario, ac Camerario, et Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes motu pari committimus, et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel per alium; seu alios, easdem præsentes literas et in eis contenta quæcumque ubi, et quando opus fuerit, et quoties pro parte prædictorum Votantium, seu alicujus eorum, vel aliorum in præmissis pro tempore interesse habentium, desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant Auctoritate nostra, ipsas præsentes litteras, et in eis contenta hujusmodi ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter observari, ipsosque modernos, et pro tempore existentes Votantes, et alios quos eædem literæ concernent in futurum, et præsentium literarum,

et

et in eis contentorum commodo, et effectu pacificè frui, et gaudere; non permittentes illos, seu eorum quempiam desuper quomodolibet indebitè molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, Contradictores quoslibet, et Rebelles per Sententias, et Censuras, et pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione posposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, et poenas ipsas iteratis vicibus etiam aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii Secularis; non obstantibus omnibus, et singulis, quæ in suprædictis nostris literis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque: Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Augusti MDCCI. Pontific. nostri Anno I.

F. Oliverius.

N. XIX.

NOTIFICAZIONE.

BEnchè molti Editti della Segnatura di Giustizia altre volte publicati d'ordine dell' Eminentissimo Signore Card. Scotti Prefetto, e specialmente in quello de' 12. Genn. 1719. §. *Volumus* sia ordinato, che chiunque ricorre alla piena Segnatura, debba dare in Summario, oltre la Commissione, il Decreto, o Sentenza, contro cui si domanda venghi commessa la causa, e ciò non ostante, più volte siasi trascurata l' osservanza di detti Ordini, credendo talvolta il ricorrente sanare l'incorsa contravenzione con dare il Decreto, o sentenza in mano di Monsignor Ponente della Causa, oppure nella risposta. Quindi è, che d'ordine del sudetto Eminentissimo Signor Card. Prefetto, e per l'intiera esecuzione de' suoi Editti, si fa sapere a tutti i Curiali, che onninamente debbano in avvenire registrare nel Sommario della prima Scrittura da darsi a tutti li Signori Prelati Votanti tanto il decreto, quanto la Sentenza, dalla quale si domanda l'Appellazione, nè suffragarà dare quello, o quella nella risposta della Causa, o pure a Monsignor Ponente, mentre ciò non ostante incorreranno la stessa pena, ingionta nei sudetti Editti, ed inoltre non si farà conto de' detti Decreti, o Sentenze, come se non fossero dati nel Sommario, ed il Procuratore, che scriverà nella Causa, sarà condannato a pagare le spese del proprio, senza alcuna remissione d' applicarsi ad arbitrio di S. E. In Roma questo dì 7. Ag. 1721.

A. de Abbatibus Auditor.

N. XX.

NOTIFICAZIONE.

D'Ordine dell' Eminentissimo Signor Card. Scotti Prefetto della Segnatura di Giustizia per togliere gli abusi, e le soverchie lunghezze troppo pregiudiziali alli litiganti, si fa sapere a tutti li Signori Curiali, che dal giorno presente in avvenire non si leggeranno avanti l' E S. citazioni di veruna sorte, nè in qualsivoglia causa, se prima non saranno sottoscritte col *poterit*

legi

legi di mano dell' E. S., e fatte diversamente senza la detta sottoscrizione non si dovranno attendere, ne cagioneranno veruna sorte di Attentati, come se fatte non fossero, proibendosi di più a qualsivoglia Notaro, che non le debba ricevere, e molto meno leggere, eccettuate le Cause criminali, nelle quali vi sii il carcerato; intendendo però, che restino ferme tutte le precedenti Notificazioni, ed ordini publicati dall' E. S. in tutto ciò, che non è contrario a quanto si dispone nella presente. Questo dì 8. Febraro 1722.

A. de Abbatibus Auditor.

N. XXI.

NOTIFICAZIONE.

Essendosi riconosciuto dall' Eminentissimo Signor Cardinale Scotti Prefetto della Signatura di Giustizia, che nelle proposizioni delle Cause, che si fanno in detta Segnatura si siano introdotti alcuni abusi, da' quali risulta non solamente un grave incommodo a chi amministra la giustizia, ma ancora un' evidente pregiudizio delle parti litiganti, e ciò per l'inosservanza di quanto dall' E. S., e da suoi Predecessori è stato altre volte con loro particolari Notificazioni, ed Editti prescritto, ed ordinato; volendo S. E. provedervi, affinchè la giustizia conseguisca il suo vero, e felice corso.

Quindi è, che inerendo alle medesime Notificazioni, ed Editti, e particolarmente a quelli della chiar. memoria del Cardinal Flavio Ghigi publicati il dì 4. Agosto 1661., 18. Aprile 1677., 12. Giugno, 9. e 19. Agosto 1692., agli altri della chiara memoria del Card. Fabrizio Spada publicati sotto li 18. Gennaro 1701., 12, Giugno 1706., et 5. Decembre 1712., e respettivamente a quelli di S. E. istessa del 1. Luglio 4. Decembre 1717., e 12. Gennaro 1719. ordina, ed espressamente comanda.

Primieramente, che le Scritture debbano onninamente distribuirsi la sera del Sabato precedente alla proposizione della Causa.

Secondo, che nell' istessa sera si distribuischino ancora all' E. S., e per essa a Monsignor Auditore alle di lui stanze nel Palazzo di Monte Citorio; a cui successivamente si dovranno dare le Risposte, e Repliche nel modo appunto, e nell' istesso tempo, che si distribuiscono alli Signori Prelati Votanti.

Terzo, che tale distribuzione debba farsi agli detti Signori Votanti, benchè non intervenghino in quella Signatura.

Quarto, che debba darsi nel principio del Sommario, non solo la Copia per *extensum* della Commissione, che sarà stata transmessa alle parti, ma anco quella dell' ultima Sentenza, o sia Decreto, da cui si ricorre.

E finalmente per avere il certo debitore di tutto ciò, che sarà stato esposto, tanto nelle Scritture, che ne' Sommarj, ordina, che quelle Copie sì dell' une, come degl' altri, che si distribuiscano a S. E., debbano sottoscriversi di proprio Carattere delli Procuratori, che compariscono nelle Cause.

Volen-

Volendo l'E. S., che venga inviolabilmente osservato quanto resta di sopra prescritto sotto pena agli trasgressori di scudi quattro di moneta per ciascheduna trasgressione, da applicarsi *ipso facto*, et irremissibilmente alla Congregazione di S. Ivo, ed altre anco maggiori ad arbitrio dell' E. S.

Dato in Roma questo dì 5. Giugno 1726.

G. Sanminiati Auditore.

N. XXII.

Facultas concessa Votantibus Signaturæ Justitiæ utendi Galeri redimiculo, vulgò *Cordone* coloris violacei.

BENEDICTUS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

ROmani Pontificis, supremi gratiarum dispensatoris in terris a Domino constituti, providentia circumspecta, illos, qui continuos labores pro administranda justitia ad publicam utilitatem, et Sedis Apostolicæ honorem in dies laudabiliter substinent, et quorum fidem, industriam, prudentiam, ac dexteritatem multis rerum experimentis spectatas habet, ea libenter concedit, per quæ eis aliqua fiat decoris accessio, ut eo alacrius majora eidem Sedi obsequia sua impendant, et in munerum sibi demandatorum functione studiosius perseverent.

I. Itaque ad egregia dilectorum filiorum Votantium Signaturæ nostræ Justitiæ in Nos, et dictam Sedem fidei, et devotionis, aliaque multiplicia merita paternæ dirigentes considerationis intuitum, eorumque virtutem aliqua honoris prærogativa decorare volentes, et eorum singulas personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia mera deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eisdem Signaturæ Justitiæ Votantibus præsentibus, et futuris, ut ipsi omnes, et singuli Galeri redimiculum *corone* vulgariter nuncupatum coloris violacei in quibusvis functionibus, et actibus publicis, ac privatis, ubique deferre, et gestare libere, et licite possint, et valeant, tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

II. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices, Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, et alios quoslibet quacumque præminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata

eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

III. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die XII. Julii MDCCXXVII. Pontificatus nostri Anno IV.

N. XXIII.

Constitutio Benedicti XIII. sub dat. IV. Kal. maii 1728. quæ varia decreta, ordinationes, et provisiones pro recta in Curiis Urbis justitiæ administratione complectitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

Quum nostrum in primis officium sit providere etc.

De Custodia Scripturarum, illarumque productionibus.

CUstodiant diligenter Notarii scripturas omnes, processus de partibus, extractus, et registra quæcumque: et quatenus contingat illas accommodare, caveant ne accomodatio fiat Principalibus, sed Procuratoribus in Urbe cognitis, prævia descriptione qualitatis, et substantiæ cujuslibet scripturæ, non in confuso, sed specifice facienda in libro Accomodatorum ad hunc effectum retinendo, in quo etiam specificare teneantur folia ex quibus componuntur ipsæ scripturæ, diem, mensem, et annum productionis scripturarum, quæ accommodantur, nec illas tradant, nisi cum receputa ipsius Curialis cogniti, facienda in eodem libro in calce partitæ, cum obligatione ipsius recipientis de illas reportando in termino octo dierum, vel longiori, si agatur de processibus, extractibus, aut registris. Et nihilominus ipsi Notarii curent infra annum a die accommodationis illas recuperare, et recuperatas annotare in eodem libro Accommodatorum cum expressione diei illarum reportationis, sub pœna reficiendi de proprio expensas pro iterata dictarum scripturarum extractione, aut transcriptione, quatenus deperditæ fuerint, et ad omnia damna partibus, aliisque arbitrio reservatâ eisdem Notariis actione pro repetitione dictarum expensarum contra eos, in quorum manibus deperditæ fuerint. Quæ tamen annalis dilatio eis non suffragetur in casu obitus, vel perpetui discessus Procuratorum ab Urbe, tunc enim sub eisdem pœnis teneantur Notarii solliciti esse de statim recuperando scripturas eis accommodatas sub eisdem pœnis.

Scri-

Scripturæ insuper, et jura quæcumque producta non retineantur in pulpitis, sed infra biduum a die earum productionis in filciis reponantur, etiam quod productio fuerit in calce citationis annotata, excepto casu delationis earundem scripturarum ad Judices, quæ ab his recuperentur, ut infra.

Cedulæ Sacri Montis Pietatis, et Banci S. Spiritus, et quorumvis Mercatorum in actu productionis registrentur per extensum in Boliardo actorum, sive intra sequentem diem in alio particulari libro ad hunc effectum specialiter retinendo. Et ipsæ cedulæ originales statim ponantur in filcia peculiari retinenda, quæ sub clavi custodiatur.

At quia persæpe contingit, quod in Instrumentis præsertim transactionum, quæ in dies conficiuntur, inserantur scripturæ originales, aut aliæ in judicio productæ, volumus quod de hac insertione fieri debeat annotatio in scriptis in margine illarum productionis in Broliardo, ne scripturæ appareant deperditæ, vel relinquatur earum fidelis copia in filciis, ex quibus dictæ scripturæ fuerunt extractæ, cum annotatione apponenda in calce ipsius copiæ, qua enuncietur insertio originalis in Instrumento, designando illius diem, mensem, et annum, ac nomen Notarii de dicto Instrumento rogati.

Curent etiam Notarii, ut jurium productiones, protestationes, et alia acta expeditè fiant in eorum Officiis, pro majori Curialium, et Litigantium commoditate, quodque omnes Substituti, ac Juvenes ad scribendum requisiti, indistinctè eadem acta scribant in Broliardis, sive libris actorum, dummodo non fuerint in aliis negotiis Officii tunc temporis impediti.

Nequeant Notarii, eorumque Juvenes, et Substituti scribere quemquam Principalem in actis, uti instantem, producentem, aut protestantem, seu quomodolibet comparentem, nisi is tunc præsens fuerit; nec suffragetur mandatum generale Notario datum a quavis persona, ut possit ejus nomen in causis, vel actis ponere, minusque sufficiat exprimere nomen Procuratoris in comparitionibus, productionibus, expeditionibus, et citationibus, aliisque actibus, nisi talis Procurator sit in Curia notus, ad hoc ut citari possit, vel saltem eligat domicilium ubi citari velit.

Productiones scripturarum, et jurium, necnon protestationes scribantur contextualiter in Broliardo sub eadem die, nec recipiantur in foliis volantibus; et quatenus ob earum prolixitatem recipiantur in hujusmodi foliis, volumus ut hæc receptio statim annotetur in ipso Broliardo, et deinde in ipsa die si fieri poterit, vel per totam diem sequentem, et non ultra registrentur per extensum in eodem Broliardo.

Attergationes autem, quæ de stylo fieri solent in scripturis, quæ producuntur in actis, nempe *pro N. contra N.* omnino fiant, et scribantur propria manu, et charactere illius Substituti, vel Juvenis, qui productiones recipit, illasque in Broliardo scribit; nec recipiantur si factæ fuerint, aut scriptæ a Curialibus, vel ab aliis, præterquam a dictis Substitutis, aut Juvenibus recipientibus productiones, ne unquam dubitari possit de identitate cripturæ productæ, et deinde accommodatæ, sub pœna in casu contravensonis omnimodæ privationis, et perpetuæ inhabilitationis ipsorum Substi-

tutorum, et Juvenum ab exercitio: et nihilominus ipsæ scripturæ attergatæ alia manu quam Substituti, vel Juvenis recipientis illarum productionem, pro suspectis in judicio reputentur.

Officiorum libri tam judiciales, quam protocolla, et cedulæ accommodari nullo modo possint, nec ab Officiis ex quacumque causa extrahi, præterquam si opus fuerit agnosci, et explorari a Superiore, vel Judice; quo casu iis a Substituto exhibeantur, atque tradantur nullo alterius medio; et quatenus Superior, vel Judex nequeant statim illos explorare, sciant nostræ voluntatis mandatum esse, eorumque conscientiam oneramus, ut quamprimum poterunt, ad obviandum deperditioni scripturarum, ut sæpe evenisse liquet, ipsa Protocolla, libros, cedulas recognoscant, et Substitutis restituant, atque ipsi Substituti die immediate sequenti post consignationem adeant ipsum Superiorem, et Judicem pro reportatione præfatorum librorum, et scripturarum, et deinde singulis diebus; et quatenus Substituti diligentias hujusmodi pro recuperatione neglexerint, pœnas etiam inhabilitationis nostro arbitrio incurrant, ultra pœnas incurrendas per Notarios non custodientes scripturas. Quod si aliquis liber, aut Protocollum ab Officio subreptum fuerit, ut nonnunquam gravi partium detrimento contigit, debeat statim Notarius id Superiori Tribunalis deferre, qui diligenter veritatem scrutari curet, librosque subreptos recuperare, ac reos deprehensos rigidis pœnis afficere; ipseque Notarius hujusmodi inquisitioni, et recuperationi insistat, cum animadvertere debeat, se utpote ad fidelem, cautamque custodiam librorum obstrictum, fore obnoxium cuicumque partium detrimento.

De variis provisionibus circa acta judicialia.

EXamina testium, et reorum, tam in civilibus, quàm in criminalibus ab initio, et in ipso actu examinis inserantur in libro bene compacto, et compaginato, ac integre, et iisdem verbis, prout ex eorum ore profluunt; sicuti responsiones, interrogatoriis clare iis proponendis, scribantur fideliter, sine ulla cassatione verborum, etiam in casibus, in quibus testes examinari contingat extra Officia Notariorum, et in domibus particularibus.

In examine testium cum interrogatoriis tam in civilibus, quàm in criminalibus in quocumque Tribunali, et Curia, quælibet sessio durare debeat spatio trium horarum vere et effective continuando exercitium, nec aliquid amplius ultra julios quinque pro qualibet sessione accipiatur ab interprete, etiam sub prætextu quòd examen fiat extra Officium.

Manualia citationum omni diligentia conficiantur in ipso Officio, non autem extra illud, saltem infra mensem à die decreti, et distincta sint per Judices; ac in eis registrentur per extensum citationes cum suis decretis; solumque permittimus redigi in summarium citationes ad dicendum contra jura, contra articulos, ad terminos substantiales, et ad sententiam; et præfata Manualia non solùm scribantur charactere claro, et intelligibili, et in charta non bibula, sed ulteriùs habere debeant opportunos indices, seu rubricellas. Caveant autem Notarii, Substituti, et ipsi Scriptores Manualium, ne in decretis

tis in singulis citationibus extendendis, seu registrandis, relinquant in albo nomen, et cognomen Procuratoris, qui decretum obtinuit, sub pœna unius scuti pro quolibet decreto, in quo in posterum reperiri contingat nomen Procuratoris comparentis in albo relictum; ad quam pœnam teneri volumus etiam ipsos Scriptores, seu registratores Manualium, qui curare tenebuntur, ut Substituti nomen Procuratoris comparentis extendant in decreto, antequam ad illius registrationem in manuali procedant.

Simili modo Notarii conficiant Manuale citationum criminalium, et duplex registrum, in quorum altero registrentur sententiæ criminales, et in altero sententiæ civiles; et hæc registratio fiat intra terminum trium dierum immediate sequentium ab earum publicatione, unà cum citationibus ad sententiam, cum opportuna rubricella seu indice; nec hujusmodi obligationi censeatur satisfactum, redigendo in librum, seu volumen easdem sententias originales, cum reformatio fel: rec: Pauli V. quam servari volumus, utrumque demandet.

In quacunque partita registranda in libris Memorialium, apponatur indicatio principii, et finis Judicii, et signanter diei productionis jurium, prout à pluribus Notariis servatur; sicut et in libris Receptorum, Expeditionum, et Rogituum, in singulis partitis, in eis registrandis omnino annotetur dies, qua registrantur, et describuntur, ab eo qui recipit, rogat, et respectivè expedit; et in libris Receptorum habeatur rubricella per alphabetum: decernentes etiam quòd non dentur expeditiones, nisi prius fuerint annotatæ in libris Expeditionum, sicut etiam in libris Receptorum statim stipulato Instrumento.

In Manualibus, Broliardis, seu libris actorum conficiendis, non tamen contradictarum, nec citationum, caveant Notarii ne dimittant, aut relinquant folia ulla, sive in totum, sive in parte alba, sed ubi alba remanserint, ea interlineare de die in diem in clausura nocturna Officii teneatur.

Non audeant Notarii, aut Substituti inconsulto Judice facere aut extendere ex se decretum aliquod, nec quidem de mutuo consensu Procuratorum in causam comparentium, nec aliquem terminum, quamvis brevissimum *in forma*, ut ajunt, *servare*, sed semper Judicem adeant, et citationes omnes coram eodem legant, ab eoque decreta sumant, et deinde in actis apponant.

Decreta extendantur à tergo citationum immediate post audientiam, et de die, absque aliqua excusatione; sed quoad Notarios A. C. indulgemus, ut tantum decreta emanata diebus mercurii, et sabbati, in quibus ob necessitatem incumbendi expeditionibus, nequeunt Substituti habere temporis copiam ad extendenda decreta interposita in audientiis dictarum dierum, quod illorum extensio fiat, et compleatur per totam diem immediate sequentem. Citationes in illis causis in quibus procedi non potest in contumacia, non recipiantur nisi fuerit à tergo annotatum nomen Procuratoris, vel partis citationem reproducentis.

Mandata de delendo vincula contenta in Locis Montium, necnon super pecuniis depositatis in Bancis publicis non concedantur, neque expediantur in posterum per quoscumque Judices, tam Ordinarios, quam Commissarios, etiam vigore specialium commissionum, et chirographorum manu nostra, vel

vel Successorum nostrorum pro tempore signatorum, nisi exhibitis in actis necessariis documentis, ac præviis citationibus personaliter executis contra omnes interesse habentes, super dictis Locis Montium, aut pecuniis, et quorum favore vincula repeŗiuntur apposita, itaut satis non sit procedere per citationes domi dimissa copia, vel in manibus domesticorum executas, nec etiam contra Procuratorem, etiam personaliter citatum, nisi in actis Notarii talia mandate expedientis constiterit de illius legitimo, et sufficienti mandato procuræ ad hunc actum, sub pœna ab ipsis Notariis, et Substitutis incurrenda privationis officii, et exercitii, necnon refectionis omnium damnorum partibus læsis reficiendorum; itaut evinculatio perinde habeatur, ac si facta fuisset sine citatione, salvis etiam juribus parti læsæ competentibus contra alios quos de jure, et prout de jure; et nihilominus in concedendis, vel expediendis dictis mandatis non possint recipere Notarii, Substituti, vel Juvenes nisi emolumentum mandati, juxta taxam in his præfixam pro singulis Tribunalibus; neque possint etiam à sponte dantibus, aut sub prætextu revisionis scripturarum, aliquid ultro recipere, sub pœna dupli, inhabilitatis ad officia, et aliis gravioribus juxta facti circumstantias arbitrio nostro infligendis, et ipsimet Judices Ordinarii, qui juxta eorum ordinarias facultates procedunt, et absque particulari commissione manu Romani Pontificis signata, non possint titulo propinæ, revisionis scripturarum, vel ex alio titulo aliquid recipere.

In antedictis mandatis, nec non in mandatis de trasferendo Loca Montium, quum fieri contingat mentio literarum patentium ipsorum Locorum Montium, aliorumque documentorum, cum clausula = *Ad quas, seu ad quæ habeatur relatio* = quum in hoc aliquoties pravus irrepserit abusus exigendi indebitam mercedem pro copiis dictarum literarum patentium licet non factis, sed simpliciter enunciatis, districte prohibemus sub pœnis arbitrio infligendis omnibus Notariis quorumcumque Tribunalium, ne prætextu cujusvis consuetudinis audeant in posterum aliquid exigere, pro dictis copiis non insertis, sed contenti sint consueta mercede pro ipsis mandatis taxata.

In mandatis de consignando pecunias existentes in quocumque Banco Urbis, ac in pluribus cedulis contentas, etsi confectis diversis diebus, et annis, teneantur iidem Notarii conficere copiam unam post alteram dictarum cedularum, ac sub eis extendere mandatum; sed si receperint mercedem pro mandato de immittendo ab hærede illius, in cujus hæreditate repertæ fuerint dictæ cedulæ, non valeant recipere mercedem pro mandato de consignando in vim dictarum cedularum, nisi summam debitam loco duplicati pro quolibet Banco.

In rogitibus Instrumentorum consensuum ad expeditionem cujuslibet mandati de delendo, resignando, consignando, et similium præstandorum, si plures sint personæ consentientes unico actu, et pro eodem interesse, pro uno tantum actu mercedem recipiant in primo capite juxta rei valorem, et dummodo idem consensus non pendeat ab aliquo actu præcedenti, de quo sit idem Notarius rogatus; quo casu non exigant nisi taxam præscriptam in reformatione san: mem: Pauli V. §, *pro Instrumentis quorum*

rumcumque consensuum etc. Si vero plures sint personæ, quæ pro eodem effectu consentiant, sed unaquæque ex eis sive separatim, sive non, consentiant pro suo jure diverso, et particulari independenter ab aliquo actu in eisdem actis rogato, tunc servetur taxa, ut supra in primo capite pro quolibet consensu.

Nequeant etiam Notarii concedere mandata de transferendo Loca Montium, delendo vincula, et de consignando pecunias in publicis Bancis depositatas, ac hujusmodi, nisi prius producta in eorum actis copia publica testamentorum, aliorumque jurium, quoties ista mandata non expediantur a Notariis, qui de testamentis prædictis rogati sunt; et caveant ne dicta mandata concedant per solam indicationem dictorum testamentorum, extra eorum acta rogatorum, sub pœnis scutorum viginti, et aliis arbitrariis.

Mandata de immittendo vigore testamentorum expediri volumus per acta illius Notarii, qui de testamento rogatus fuit, quatenus de illo traditum non fuerit a Notario rogato sumptum publicum; quo tantum casu, prævia illius productione in actis alterius Notarii, possint per eadem acta dicta mandata expediri, sub pœnis ut supra.

Notarii quorumcumque Tribunalium tradere teneantur petentibus copias simplices Instrumentorum, ab eis aut eorum antecessoribus rogatorum, recepta simplici mercede copiæ, exceptis dumtaxat Instrumentis testamentorum, codicillorum, et donationum causa mortis.

Citationes, monitoria, seu quasvis alias provisiones, extra Urbem mittendas, non expediant ad alicujus instantiam, nisi notato in actis, seu in libro Memorialium, nomine Procuratoris, qui sit in Urbe cognitus, vel principalis aut alterius illas obtinentis, qui pariter sit in Urbe cognitus, ut si ad illarum moderationem sit procedendum, possit pars incontinenti scire, quis sit citandus; ejusque citatio sufficiat ad obtinendam moderationem; et quatenus obtinens non sit notus in curia, annotetur electio domicilii, in quo citari debeat.

In mandatis executivis vigore Instrumentorum, sive apocharum relaxatis, tam exequendis in Curia quam extra, apponatur dies, mensis, et annus Instrumenti, sive apochæ, cujus vigore mandatum relaxatum fuit, nec non decretorum relaxationis, et expeditionis ejusdem mandati.

Notarii nullam prorsus mercedem, aut emolumentum etiam minimum recipiant, quod prius in libro Receptorum, seu expeditionum respective fideliter non annotaverint, cum expressione diei, causæ, summæ, et personæ solventis, ut ex eodem libro incontinenti recognosci valeat, si quid ultra taxas indebite receperint.

Conficiant Notarii omnes diligens Inventarium de omnibus Protocollis, Broliardis, cæterisque libris, et filciis scripturarum, quæ in eorum Officiis, et Archivis asservantur, illudque singulis annis exhibeant, et Consignent Comissario generali nostræ Cameræ; et in casu negligentiæ puniantur arbitrio Executorum hujus nostræ Constitutionis etiam pœnis pecuniariis; omnesque teneantur de libris, et scripturis inventariatis rationem reddere toties quoties fuerint requisiti; et de prædicta exhibitione, con-

consignatione unus Notarius alteri fidem faciat in calce copiæ, per ipsum Notarium consignantem retinendæ.

Præterea ab unoquoque ex Notariis omnium Tribunalium retineatur publicè expositum, et affixum in loco magis obvio, et visibili eorum Officiorum exemplar Taxæ emolomentorum eis debitorum, sub pœna scutorum vigintiquinque incurrenda in casu contraventionis etiam pro prima vice.

Nullus insuper Notariorum cujuscumque Curiæ, sive criminalium, sive civilium causarum, audeat quidquam exigere pro eorum emolumentis, et expeditionibus, nisi juxta Taxam respective præscriptam præsertim in visitatione anni 1704. Cardinalis Mariscotti, sub pœna suspensionis ab officio, aliisque arbitrio executorum hujus Constitutionis.

Sententiarum, decretorum, aut aliarum quarumcumque scripturarum, tam civilium, quam criminalium copiam unicuique petenti dare teneantur, soluta competenti mercede; nec audeant differre, vel retardare publicationem, ostensionem, et lectionem dictarum sententiarum tam civilium, quam criminalium, sub pretextu non solutæ notæ ipsarum, vel registri, seu alterius cujuscumque mercedis eis debitæ.

Si Notarii eorumque Substituti, Actuarii, vel Juvenes quicumque se quoquo modo directe, vel indirecte, sub quovis etiam amicitiæ nomine, vel prætextu ingesserint, interposuerint, vel tractaverint, seu mediatores fuerint in aliquo censuum, societatis officiorum, aut aliorum quorumcumque negotiorum contractu, et signanter in alienatione, seu resignatione Locorum Montium vinculatorum cum deletione vinculorum, non possint ullas pecunias, bona, seu res etiam minimæ quantitatis, a quoquam, etiam sponte dante occasione præmissa recipere, sed sint et esse debeant contenti debita eis mercede rogitus Instrumenti, si quod ab eis fuerit rogatum, vel alio emolumento in Taxis comprehenso, et permisso, sub pœna dupli ejus quod ultra Taxam receperint, pro medietate delatori applicanda, et suspensionis ab officio.

Teneantur itidem Notarii omnes acta quæcumque apud eos producta, partibus interesse habentibus, ad earum beneplacitum gratis ostendere, ipsisque copiam facere, et tradere, soluta solita competenti mercede: hoc idem servari volumus quoad copias sententiarum in Curia latarum, et neminem possint astringere ad accipiendum exempla publica sententiarum aliorumque actorum. nisi ita ipsis contrahentibus, aut aliis interesse habentibus placuerit.

Mandata suspicionis fugæ, quæ sine citatione debitoris olim expediri consueverunt, in posterum non expediantur, neque dentur a Substitutis, nisi facto prius verbo cum Judice, eoque instructo per dictos Substitutos de qualitate crediti cum exhibitione scripturarum originalium, quibus illud probari prætenditur, tum etiam de conditione debitoris, non obstante quod creditor in actis docuerit de suo credito, et de suspicione fugæ juraverit, quod juramentum per se ipsum, vel per Procuratorem habentem speciale mandatum præstari debeat, ita ut non sit in facultate, et arbitrio eorumdem Substitutorum dicta mandata extendere in chartulis, in

albo

albo a Judice subscriptis, sed debeant illa Judici deferre ad subscribendum, postquam extensa fuerint, sub pœna contrafacientibus perpetuæ privationis, et inhabilitationis ad munus Substituti exercendum, aliisque arbitrio.

Nequeant insuper dare mandata vigore termini, in eorum officiis suscepti, quando jam mandatum a Judice causæ in alio Tribnnali est relaxatum: eo vero nondum relaxato, in arbitrio sit, et potestate creditoris illud utrobi voluerit accipere; cogi tamen ad id non possit.

Atque in præfata termini susceptione non admittant, aut scribant aliquam conditionem, reservationem, aut protestationem terminum petentis, sive suscipientis, sed tantum simplicem debiti confessionem, et obligationem de solvendo summam confessatam in fine termini, et non aliter.

Caveant Substituti quorumcumque Notariorum, ne post extensa decreta in citationibus in audientia lectis, audeant illa corrigere, delere in parte, vel in totum, interlineare, aut alio modo vitiare, sub prætextu erroris, vel oblivionis, aut malæ eorum intelligentiæ in percipienda mente Judicis, nec quidem ad instantiam, et de consensu partium, seu Procuratorum in causa comparentium; sed quoties aliquis error contigerit in extensione decretorum, teneantur ad Judicem redire, et novum decretum sub nova citatione legitime executa reportare, et extendere, sub pœna scutorum decem, a contravenientibus incurrenda pro qualibet vice, et nihilominus ipsa decreta, ut supra, vitiata nullius sint roboris, vel momenti, et habeantur ac si interposita non fuissent.

Præterea Substituti omnes nequeant partibus tradere listas, seu notulas emolumentorum Officii, nisi prius fuerint visæ, recognitæ, et subscriptæ a Notario principali; et si secus attentaverint incurrant pœnam scutorum decem qualibet vice, aliasque arbitrio.

Notarii omnes tam Civiles, quam Criminales tradere teneantur pauperibus gratis extractus, registra, Instrumensa etiam publica, copias, et alias quascumque expeditiones, et scripturas tam civiles, quam criminales, et ostendere teneantur etiam gratis originalia Advocato, et Procuratori dictorum pauperum, de quorum paupertate stetur arbitrio Judicis, et si contingat desuper Testes examinari, hoc examen gratis, et summarie fiat, et ad formam decretorum in calce Concilii nostri Romani.

In causis in quibus comparuerunt Procuratores legitime constituti, vel in quibus ipsi principales fecerunt in actis specialem electionem domicilii, in quo citari velle declaraverint, non recipiantur citationes non executæ contra Procuratores qui comparuerunt, vel in domicilio electo, quamtumvis executæ fuerint contra ipsos Principales, vel in eorum domo, aut in manibus domesticorum; volentes citationes hujusmodi, et decreta super eis extensa non afficere, et proinde haberi ac si non emanassent itaut possint impune sperni; et ipsi Substituti notitiam habentes de Procuratore constituto, ac de domicilio electo, quatenus contravenerint puniri valeant Judicis arbitrio, et omnia damna exinde causata reficere teneantur.

Quum irrepsisset a nonnullis annis intolerabilis abusus, ut Substituti,

aliique Juvenes Officiorum accedere nolint ad Iudices Ordinarios, aut Deputatos, seu Commissarios, aliosque Romanæ Curiæ, et etiam Iudices existentes intra Curiam Innocentianam pro legendis horis certis citationibus, aut decretis recipiendis, sive exhibendis scripturis, nisi aliquam summam excipiant pro viatico, idque etiam fieri solet in causis tenuis quantitatis, et personarum miserabilium; hinc hujusmodi abusui provide occurrere intendentes, volumus, atque mandamus, ne occasione, aut prætextu dictorum viaticorum ulla summa prætendi valeat pro accessibus faciendis, ut supra ad dictos Iudices, et præsertim ad Iudices, et Officiales quoscumque degentes intra dictam Curiam Innocentianam, sub pœnis arbitrio Iudicum executorum hujus Constitutionis.

Notarii itidem diligenter invigilent, ut prædicti Substituti, et Juveues prompte accedant, toties quoties fuerint requisiti, juxta causarum exigentiam ad Judices, et Officiales prædictos, sub præfatis pœnis.

De Extractibus, Regiſtris, Exemplis, ſeu Copiis.

QUum ad removendos, et extirpandos abusus, qui non sine gravi litigantium dispendio, Judicum incommodo, et expeditæ Justitiæ detrimento, irrepserant in confectione Extractuum, et Registrorum in causis ordinariis, et commissariis, visum fuerit opportunum in visitatione habita de anno 1704. a præfato Cardinali Mariscotto jussu fel. rec. Clementis XI. nostri Prædecessoris, abrogare stylum, et formam in præteritum servatam in illorum confectione, cum inutilibus superfluitatibus, et repetitionibus, eorumque loco subrogare Instrumenta actorum, prout jacent, exemplandorum absque ulla terminorum extensione, taxata competenti mercede tam pro singulis actis, et citationibus, quam pro registratura, et exemplatione Jurium productorum, et repetitorum; et nihilominus quum in ultima Visitatione de mandato nostro peracta à præfato Cardinali Petra compertum fuerit, decreta antedictæ Visitationis non adhuc fuisse in hac parte exacte observata, quum in pluribus Extractibus, et Registris permultæ superfluitates adinventæ fuerint, et plura ex illis reperta non bono, ac legibili charactere exarata, ac insuper in registratura scripturarum servatam minime fuisse legem præscriptam quoad numerum linearum, et syllabarum; hinc Nos providere cupientes cuicumque litigantium præjudicio, et expeditiori Justitiæ administrationi, simulque congruum adhibere remedium, ne quicumque Notarii, Extractistæ, et alii quibus incumbit ordinatio, confectio, seu extensio dictorum Extractuum, ac Registrorum, audeant vel in minimo ab observantia præscriptarum ordinationum deflectere, statuimus, et ordinamus, ac districte præcipimus, ut in posterum prædicta instrumenta actorum loco Extractuum, et Registrorum, fiant modo, et forma statutis, et designatis in præfatis decretis Visitationis, habitæ de anno 1704., nempe ut acta scribantur, et exemplentur prout jacent absque ulla terminorum extensione, et resecatis omnibus, et quibuscumque superfluitatibus, præsertim respicientibus expres-

sio-

sionem facultatum Judicum Ordinariorum, quæ notissimæ sunt, deputationes Locumtenentium, repetitionem titulorum dignitatum eorumdem Judicum, loci eorum Tribunalium, similia, cæremonialia potius, quam substantialia Judicii.

Insuper declaramus, quod in Registris, et Extractibus causarum, in quibus per duos, vol tres annos nihil actum fuit, non ponantur in reassumptione dictarum causarum mutatio anni, vel mensis, indictio vacantiarum, creatio Pontificis, et similia ad substantiam causarum non conferentia; quodque pro illis annis, in quibus intermissa remansit illarum prosecutio nihil à Notariis exigi possit, sub titulo *Generalium*, seu *pro Generalibus*.

Hoc etiam exacte servari volumus, quod singula folia in Extractibus, aut Registris confectis coram quibuscumque Tribunalibus, aut Judicibus, contineant in qualibet illorum pagina, seu facie ad minus lineas vigintiquatuor, et unaquæque linea ad minus syllabas duodecim; quodque scribantur literis bonis, claris, et intelligibilibus, atramento nigro, et in charta bona, ac solida, non infecta, aut maculata, nec alioquin liceat unicuique tam Judicum, quam Partium, vel Procuratorum litigantium folia aliter scripta lacerare; et nihilominus sive lacerata sint, sive non, debeant Notarii eorum sumptibus, et expensis illa convenienter rescribi facere, aut si Judici, et Partibus, seu Procuratoribus magis placuerit, folia sic male scripta taxentur pro medietate, vel alia rata ad Judicis arbitrium.

Processus de partibus, etiam compilati vigore cujuscumque subdelegationis in Urbe factæ, itemque remissoriales, compulsoriæ, et alia, nulla scripturæ habita ratione, sive sit longa, sive brevis, sive excedat numerum foliorum viginti quatuor, et etiamsi non fuerint colligata in forma processus, per Notarios Rotæ non registrentur, neque in Registris, aut Extractibus describantur, sed tantum rubricentur, si rubricati non fuerint; et hæc rubricatio ab alio fiat, quam a Notario causæ; et pro hac rubricatione solvatur merces ipsius processus originalis tantum, nisi quando scriptura dicti originalis in qualibet facie excederet lineas triginta, continentes in earum qualibet ultra syllabas decem et octo, quo casu excessus reguletur, et solvatur ad rationem linearum, et syllabarum, ut supra: nec possint Notarii hanc rubricaturæ mercedem petere, aut exigere, nisi processus vere, et cum effectu fuerint ab eis bene rubricati. Quoad verò relationes Peritorum super redditione rationis, ac super alio facto à Iudicibus deputatis, si in eis fuerint confectæ scripturæ, et jura semel producta, et registrata in eadem causa, istæ scripturæ, et jura amplius non registrentur, sed dumtaxat annotetur folium, in quo fuerunt alias registrata.

Teneantur quoque Notarrii gratis accommodare Procuratoribus causarum Extractus, et Registra, nec quidquam vel minimum exigere audeant, vel prætextu arrhæ pro futuris actis, vel styli, usus, consuetudinis, seu contrariæ observantiæ.

Neque exigant Notarii quicumque illi sint, mercedem Extractus, sive

Registri, nisi illis completis, et quoad acta facta usque ad diem petitæ confectionis Extractus, seu Registri.

Inhærendo Reformationibus hactenus factis per nostros Prædecessores, et signanter fel. rec. Clementem XI. in decretis de ejus mandato editis die 22. Junii 1715. et ab eo approbatis, in quibus cautum fuit, ut *in causis in quibus Judices delegati, et Urbis Tribunalia procedunt vigore unius dumtaxat Commissionis, non liceat eis exigere, nisi unicam tantum propinam, juxta taxam in Reformatione Pauli V. editam, ac in literis Apostolicis Innocentii XI. et Innocentii XII. confirmatam, etiamsi in Commissionibus fuerint expressa, et inclusa diversa credita, seu bona, diversæ actiones, et diversæ personæ, ac etiam non obstante, quod ad instantiam collitigantium, vel alterius ipsorum fuerint divisa, et disputata diversa dubia, separatæ prodierint decisiones, latæque separatæ sententiæ* = et quum sub cap. 3. ita fuerit dispositum = *In causis concursus creditorum, non percipiatur, nisi unica propina, habito respectu ad totam summam, solvendam tamen proportionabiliter ab omnibus creditoribus per contributum* = volumus proinde, atque mandamus, ut etiam in casibus præmissis nequeant Notarii, nisi unicum tantum conficere Registrum itaut omnia ut supra disposita respectu ad Judices, inviolabiliter servari debeant per Notarios, qui unicum tantum Registrum conficere possint, et pro uno solo Registro mercedem exigere valeant, et non ultra.

Quamvis in Reformatione Pauli V. nostri Prædecessoris edita Kal. Martii 1611. *in tit. de Auditorio Rotæ* §. 5. *sub num.* 11., *et* 12. dispositum fuerit, ut Auditor non pronunciet in causa nisi perfecto Registro, et illo ad Rotam delato, quodque in ultima anni audientia, etiam Registro non perfecto, ex actis originalibus pronunciare valeat; nihilominus prælaudata dispositio non solum non fuit servata, quinimo et non sine animi nostri dolore audivimus, in Visitatione nuper peracta per eumdem dilectum nostrum filium Cardinalem Petram, recognitum fuisse, innumeras expeditas fuisse causas nullis confectis Registris, etiamsi partes in expeditione earumdem causarum solitam mercedem prompte persolvissent, sub spe ut ex post Registrum esset conficiendum; quod postmodum fuit neglectum in maximum damnum, et præjudicium litigantium, qui in prosecutione causarum ob Registrorum defectum, et scripturarum ex lapsu temporis deperditionem, ad ulteriora in eorum Jurium experimento procedere impediti remanserunt: consulendo itaque litigantium, ac etiam Notariorum indemnitati, volumus atque mandamus, ut imposterum postquam demandata fuerit in Rota expeditio causæ, ne ejus effectiva expeditio retardetur ex causa non confecti Registri, quod sæpe contingere solet, et præsertim in ultima audientia ante ferias generales, ob causarum multiplicitatem ut procedatur ad expeditionem causarum, etiamsi Registrum non fuerit neque in totum, neque in parte confectum, cum hoc tamen, ut in actu expeditionis, pars illa, quæ ad expeditionem devenire intendit, loco solvendi pecuniam animo ut ex post conficiatur Registrum, exhibeat in actis cedulam Sac. Montis Pietatis, vel Banci S. Spiritus, ad liberam dispositionem Procuratoris, qui expedire debet causam, vel ipsius principalis, quatenus sit in Urbe, continentem quantitatem verisimiliter proportionatam mercedi Registri, de eaque fiat nota in libro Receptorum, ad hoc ut

facta

facta expeditione Notarius sollicitus esse debeat in conficiendo Registro ; quo expleto , et prorsus terminato , ac a Procuratore causæ recognito , solvatur debita merces ipsius Registri juxta taxam , vel in pecunia numerata cum restitutione ipsius cedulæ , vel per liberam ipsiusmet cedulæ giratam faciendam completo tamen vere Registro ; et in casu quo Procurator giraverit præfatam cedulam Registro non completo , tunc teneatnr Procurator propriis expensis ad curandam confectionem dicti Registri , alias ad omnia damna ; et quatenus merces registri non ascendat ad quantitatem contentam in cedula , debeat totum , id quod superest per Notarium restitui ; et è converso , si aliquid deficiat , ille qui causam expedivit , teneatur supplere . Caveant Notarii post expeditam causam , quamcito conficere Registrum , et saltem intra terminum duorum mensium , et non ultra ; quo termino elapso , licitum sit ipsos Notarios compellere ad perficiendum dictum Registrum , per recursum ad Executores hujus nostræ Constitutionis ; quos monemus , et in Domino hortamur , ut omni adhibita sollicitudine , eosdem Notarios per gravatorias , aliaque juris remedia cogere non desinant pro adimplemento , salva tamen facultate Nobis , et Successoribus nostris pro tempore existentibus , providendi , quoad Registra , quæ ex negligentia Notariorum , tam modo adhuc exercentium , quam et eorum Prædecessorum , non fuerunt hucusque confecta , prout Iuris fuerit , et expedire videbitur .

Si causa terminata fuerit per concordiam , aut renunciationem legitime factam , et Notarius fuerit judicialiter interpellatus a Partibus , vel ab una ex illis , ne conficiat , vel prosequatur Registrum actorum , nequeat a die executæ interpellationis hujusmodi (quam fieri posse volumus per acta cujuscumque Notarii Urbis) Registrum facere , aut prosequi , et si fuerit inchoatum possit tantummodo prætendere mercedem registrationis illorum actorum ; quæ usque ad diem executæ interpellationis constiterit registrata fuisse ; pro reliquis autem si quæ imposterum registrata fuerint , nihil prætendere valent , etiamsi in principio causæ , vel alias quandocumque data fuerit arrha pro confectione Registri ; declarando ulterius , ut renunciatio litis pendentis possit fieri per acta cujuslibet Notarii , et coram quocumque Iudice , ita tamen ut pars , quæ renunciaverit , teneatur saltem infra quinque dies a die emissæ renunciationis , publicum documentum per Notarium , coram quo emissa fuit renunciatio subscriptum , exhibere in actis Notarii coram quo pendet causa , ad hoc ut semper ex eisdem actis deprehendatur , causam fuisse per renunciationem terminatam , soluta Notario præfato pro adnotando in Broliardo antedicto documento , mercede debita juxta quantitatem correspondentem foliis Registri ejusdem scripturæ exhibitæ .

Utque præmissa omnia , et singula fideliter , et exacte observentur , omnisque prorsus imposterum tollatur occasio Notariis , se se excusandi a mala confectione Extractuum , et Registrorum sub prætextu incuriæ Scribarum , vel aliorum ab eis præpositorum , volumus , atque mandamus , ut completis modo quo supra Extractibus , sive Registris , aut Instrumentis actorum , ipsi Notarii principales teneantur ea scribere , et in eorum subscriptione testari , illa fuisse fideliter , et exacte confecta , et exarata juxta formam in hac Constitutione præscriptam , et Notarii tradentes hujusmodi Extractus sine dicta sub-

subscriptione, et attestatione, amittant jus petendi mercedem eis debitam, et quatenus illam exegerint restituere teneantur. Quod si post earum subscriptionem, et fidem ut supra faciendam, detegantur dd. Extractus, seu Instrumenta actorum confecta, non servata forma superius expressa, et in Constitutione sa: me: Pauli V., ac Reformatione Card. Mariscotti contenta, Notarii ultra amissionem mercedis teneantur de proprio, et eorum expensis ad iteratam illorum confectionem.

Licet in Reformatione edita per Cardinalem Mariscottum provisum fuerit, sub Taxa facta pro Notariis Rotæ, quod pro citatione ad terminos substantiales in actis reproducta, percipere possit Notarius pro registro scutum unum, et bononenos octuaginta; quia tamen excitata fuit prætensio totidem etiam exigendi pro casu, in quo pluries consimiles in eadem causa reproducantur citationes, volumus, atque declaramus; quod exacta pro prima supradicta mercede, pro aliis quotquot erunt exigere non valeant nisi bononenos sexaginta pro qualibet.

Rursus in eadem Reformatione sub eadem Taxa provisum fuit, ut pro citationibus coram Præfecto Signaturæ Iustitiæ, sive Gratiæ, et Auditore Papæ, pro tempore existentibus, ad videndum supersederi, et inhiberi, vel prorogari supersessoriam, aut capi quamcumque provisionem, solvantur bononeni triginta: verum quia per Notarios contenditur, pro omnibns aliis citationibus coram iisdem factis, præter individualiter expressas, majorem mercedem exigi posse, prout exigitur pro citationibus coram propriis Iudicibus factis, pro submovenda hac controversia, etsi sufficienter explicata sub generalitate, sub iis verbis *pro quacumque provisione* in dicta Reformatione contentis, mandamus, atque expresse declaramus, ut pro omnibus, et quibuscumque aliis citationibus, quas coram præfatis Cardinalibus Præfectis, et Auditore respective fieri contigerit, exigatur eadem quantitas bononenorum triginta, et non ultra.

Quum ex incuria litigantium abusus irrepserit in causis Rotalibus deveniendi ad concordationem dubiorum coram Ponente, et multoties quoque ad discussionem dubii in plena Rota, non facta prius transportatione Actorum, Registrorum, vel etiam Processuum de partibus, in illis causis, quæ ad Rotam a Iudicibus de partibus devolvuntur, et ex hoc inordinato modo, ut plurimum impediatur expeditio causæ; idcirco ad reparandum hujusmodi abusum præcipimus, atque mandamus, ne in posterum deveniri possit ad concordationem, et respective subscriptionem dubiorum, nisi in citatione, quæ fit coram Poneute ad comparendum, et concordandum de dubio, Notarius causæ per ejus subscriptionem gratis faciendam, testetur fuisse in actis productum, seu repetitum Extractum, Processum, vel Registra; et sine dicta subscriptione Auditor nullatenus procedat ad concordiam dubii in Rota proponendi.

Volumus autem, circa alia in præsenti nostra Constitutione non expressa, exacte servari omnia disposita per fel. rec. Paulum V. Prædecessorem nostrum super Reformatione Tribunalium §. 20. *tit. de Registris*, *Extractibus*, *copiis*, *seu exemplis*, necnon in Reformationibus san: mem: Innocentii XI., et XII., atque Clementis XI., ac etiam dicta Reformatione ab eo approbata edita per Card. Mariscottum.

Mandantes omnibus, et singulis Iudicibus quibuscumque, ac etiam Rotæ Auditoribus prædictis, sub indignationis nostræ pœna, ut pro præmissorum inviolabili observatione, in causis coram eis ad præsens pendentibus, et quæ inposterum pro tempore pendebunt, nulla aliter, quam ut præfertur, confecta Registra, et Extractus admittant, et recipiant; imo illa tamquam in fraudem, ac damnum partium litigantium confecta reiiciant, suosque Notarios, ut Extractus, et Registra hujusmodi juxta præmissa conficiant, cogant, et compellant, atque ut ita observent diligenter curam adhibeant; nec non ultra obligationem confectionis Registri, modo præscripto per Notarios faciendi, ulterius inhibemus eis sub quinquaginta scutorum, pro aliqua portione litigantibus arbitrio Executorum hujus nostræ Constitutionis applicandorum, ac privationis, et amissionis Notariatus per quemcumque contravenientem eo ipso incurrendis pœnis, ne de cætero in causis. in quibus Notarii deputati fuerint; et scripserint Registra, et Extractus aliter quam ut præfertur, omnibus semotis fraudibus conficere, aut solutionem pro iis petere vel recipere audeant, seu præsumant, prout etiam ipsimet scribæ Extractuum, et Registrorum, qui in illis scribendis præmissa omnia non servaverint, possint ab eisdem Executoribus eorum arbitrio pœnis puniri.

Specialia pro Notariis Archivi.

QUum in Visitatione Officii Archivi compertum fuerit, in maximum damnum, et præjudicium litigantium, neglectam fuisse confectionem Registrorum in quampluribus causis, etiamsi exacta fuerit in actu expeditionis earumdem causarum debita merces pro illorum confectione, ad proprium commodum Notariorum applicata; hinc pro reparando hujusmodi præjudicio, cui fuit jam provisum quoad omissa durante tempore præsentis Notarii cum confectione Registrorum deficientium, ex vigilantia dicti Cardinalis Visitatoris, ne in futurum idem contingere occurrat, inhærendo jam dispositis circa Tribunal Rotæ, pariter præcipimus, atque mandamus; ut in actu expeditionum causarum, quatenus Registrum non sit undique completum, Pars quæ ad expeditionem devenire intendit, debeat simili modo deponere in manibus ejusdem Notarii cedulam Montis Pietatis, vel Banci S. Spiritus liberam, et cantantem ad creditum illius, qui expeditioni incumbit, proportionate ad quantitatem Registri; et quatenus ex tenuitate summæ infra scuta decem cedula præfata haberi non possit, tunc depositum fiat in Banco Depositarii nostræ Cameræ, et cedula ab eo reportata exhibeatur ut supra, et de dicto deposito fiat nota in libro Receptorum, ad hoc ut completo Registro, illoque recognito, illa Pars quæ restituere, vel respective supplere debet, suppleat, vel restituat: quæ cedula exhibita subscribi debeat a Procuratore, in cujus faciem est facta, recognito Registro terminato et non antea, sub pœna solutionis de proprio mercedis prædictæ pro Registro; quam quidem registrationem omnino perfici, ac terminari volumus infra duos menses a die expeditionis; et in ultima audientia post tres menses; quibus terminis elapsis possit Notarius cogi ad adimplendum, prout dispositum fuit circa Notarios Ro-

Rotæ, eaque disposita in omnibus respective servari hic volumus reservata pariter Nobis, ac Successoribus nostris facultate providendi quoad Registra a prædecessoribus Notariis non confecta.

Pro faciliori quoque commodo litigantium volumus, atque mandamus, ut inposterum in libro, in quo registrantur mandata, quæ expediuntur in Curia, fiat sua distincta rubricella, cujus medio possit mandatum, quod requiritur, reperiri; et in libro Receptorum, in quo expeditio dicti mandati adnotatur, indicetur folium alterius libri, in quo ut supra fuit registratum.

Quum ad nostram notitiam pervenerit, quod dictus Notarius renuat admittere indicationes, et repetitiones cum simplicibus copiis exhibitis Instrumentorum in Urbe rogatorum, nec non etiam, et aliorum Iurium coram diverso Iudice, hinc consulendo indemnitati litigantium, qui ut plurimum ex causa expensarum perterriti desistunt a prosecutione causarum, volumus, atque injungimus, ut præcedente solita citatione contra aliam partem, ad declarandum an velit stare indicationi, vel simplicibus copiis, ista emissa non possit Notarius impedire ut procedatur per indicationem, seu repetitionem cum simplicibus copiis, ubi permissum fuerit.

Curet adamussim Notarius servari taxas in expeditionibus, registris, aliisque actibus, cum ad aures nostras pervenerit aliquando abusus aliquos evenisse, et in casu quo aliquod gravamen inferatur, Curiales, et partes omnino reclament ad Cardinalem Præfectum Signaturæ Iustitiæ, qui cumulative cum Congregatione Reformationis, ut supra erit executor hujus Constitutionis in hoc Officio, imo volumus expresse teneri eundem Notarium pro quibuscumque excessibus, et culpis ratione emolumentorum indebite exactorum.

De Taxis servandis in Curiis Urbis.

QUum fel. rec. Paulus V. noster Prædecessor in sua Constitutione incipiente *Universi*, edita *Kalendis Martii* 1611. mandaverit servari in Curiis Urbis Taxas ab eodem respective præscriptas, tam circa Instrumenta, quam circa actus Judiciales, ipsasque Taxas affixas in Officiis Notariorum retineri jusserit: attamen in quibusdam Curiis in omnibus non servantur, sed exiguntur emolumenta juxta Taxam consuetudinariam, absque approbatione introductam, imo neque in scriptis redactam, necnon in expeditionibus, de quibus non fit mentio in Taxis Paulinis, exiguntur emolumenta ad beneplacitum taxata; prætereaque in aliquibus Officiis retinentur affixæ Taxæ Paulinæ, sed cum aliis Taxis emolumenta exiguntur, idque cum vergat in publicum præjudicium, et in non debitam executionem Apostolicarum provisionum; Nos extinguere volentes hujusmodi abusus, mandamus quod intra sex menses, a die publicationis præsentis Constitutionis, Superiores omnium et quorumcumque Tribunalium recognoscant, quas Taxas respective servent Notarii eorum Tribunalium, tam in civilibus, quam in criminalibus, et in stipulationibus Instrumentorum ob prætensum usum, et si quid contra, vel præter non expressa in Taxis paulinis exigatur, distinctam deinde nobis relationem faciant, cum exhibitione Taxarum, quæ in eorum respective Tribunalibus servantur, ad effectum ut di-

dictas Taxas recognoscamus, et juxta nostri arbitrii modum eas approbationis munimine roboremus; alias dicto tempore elapso teneantur servare in eorum Tribunalibus Taxas Pauli V., nec ultra Notarii aliquid exigere pro quacumque expeditione audeant prætextu cujusvis consuetudinis, sub pœna scutorum decem, et aliis arbitrio executorum, etiam suspensionis ab officio pro quacumque transgressione.

De Curſoribus, & Mandatariis.

Cursores, et Mandatarii quicumque eorum officium fideliter, et ea qua decet integritate, diligentia, peritia, et discretione exerceant.

Ad dicta officia non admittantur personæ suspectæ de falsitate, et qui nesciunt legere, vel scribere latine, et non habeant intelligibilem characterem, neque infirmi non valentes ambulare propriis pedibus, vel senes excedentes annum sexagesimum: et si quis ex illis postea fuerit infirmitate detentus, itaut nequeat per se ipsum munus obire, tunc in ejus locum nequeat alter succedere ad exercendum officium, nisi fuerit approbatus à Superiore Tribunalis.

Cursores solitam, et debitam assistentiam irreprehensibiliter observent, Consistoria publica, et secreta, necnon alias solemnitates, et Divina Officia, ac Congregationes intimari solitas, fideliter debito tempore de more intiment Cardinalibus, et aliis quibus tenentur.

Citationes, et intimationes personales, vel ad domum, vel in valvis, et locis publicis, tam Cursores, quam Mandatarii pro eorum Officio, et Curiis quibus serviunt, fideliter, et mature exequantur, et executas referant, et contra proprias personas, non suppositas, vel falsas, aut non cognitas per eos, sub pœna amissionis Officii. Et quando personæ citandæ eis notæ non sunt, non assertioni Partis, sed duorum Testium depositioni de personis citandis veram notitiam habentium, stare debeant, alias executionem citationis facere, vel factam referre non debeant; et de personali apprehensione in ipsa relatione mentionem facere teneantur, exprimendo in ea -- *feci personaliter* -- sub pœna suspensionis, et aliis corporalibus arbitrio Superioris Tribunalis, nec sub prætextu quod citationes executi fuerint in manibus Juvenum cujuscumque Procuratoris in causa comparentis, vel in manibus Sollicitatorum, audeant fidem facere de executione peracta Personæ Procuratoris, sub pœna falsi, aliisque ut supra arbitrio Superioris Tribunalis.

Sub eadem pœna nequeant Cursores, vel Mandatarii citationes ab aliis Cursoribus, vel Mandatariis executas subscribere, etiam quod inter se citationes, vel Urbis regiones distribuant, sed illemet Cursor, vel Mandatarius, qui citationem est executus, in pede ejusdem debeat fidem, et relationem facere executionis per eum factæ.

Præ cæteris curent, et assiduò invigilent, quod copiæ citationum exequendarum, vel personaliter, vel domi dimissa copia, aut in manibus domesticorum, sint omnino conscriptæ bono, et ab omnibus intelligibili chara-

ctere, sub pœna unius julii pro qualibet copia citationis, male, et non intelligibiliter conscripta, judicio illius Judicis, coram quo citatio facta fuerit et refectionis damnorum parti, prout de jure, ac etiam sub pœna privationis exercitii, et inhabilitationis ad præfatas copias citationum exarandas.

Citationes, intimationes, et alia non exequantur prædicti Cursores, et Mandatarii personaliter post horam primam noctis, et quoad alias dimissa copia post quintam noctis. Per affixionem autem nonnisi de die, et tunc in relationibus exprimant fecisse de die, dimissa copia affixa in tali loco; et præcipue caveant, quoad citationes domi dimissa copia executas, earum copias bene inserere, et introducere in buxulis ad januas paratis, itaut non compareant illarum extremitates extra foramen buxulæ, ne possint ab aliis extrahi; et per hanc rationem caveant etiam illas apponere in foramine clavis, aut seræ; sed in januis, in quibus non adsint buxulæ, teneantur per rimulas ipsius januæ taliter illas introducere, ut à transeuntibus extrahi nequeant, sub pœnis arbitrio Superioris Tribunalis. Si verò contigerit, ut aliquis eorum probetur fuisse in dolo, reponendo citationem in domo modo aliquo ut valeat extrahi è parte exteriori, ne notitia illius perveniat ad citatum, tunc hujusmodi delinquentes graviter puniantur pœna falsi, et triremium, ac remaneant inhabiles perpetuò ad hujusmodi munus, ultra pœnam reficiendi omnia damna in omnibus dictis casibus.

Quoad citationes, quæ Cursoribus, et Mandatariis consignantur exequendæ de licentia Judicis, apponentis in calce citationis originalis verba -- *Poterit legi* -- volentes occurrere malitiis eorum, qui ad expiscandas dilationes, et retardandas expeditiones mandatorum, seu decretorum, quandoque ausi fuerunt confingere dicta verba, et falsificare manum Judicis, districte præcipimus dictis Cursoribus, et Mandatariis, ut omni cura invigilent in recognoscendo, in subscriptio dictarum citationum facta fuerit propria manu judicis, vel potius falso imitata.

Volumus insuper, atque mandamus, quod citationes continentes licentiam judicis pro illarum executione, cum dicta clausula -- *Poterit legi* -- Cursores nonnisi semel exequi possint, itaut reiterare nequeant illarum executionem sub quovis prætextu, vel causa. Et nihilominus postquam semel executæ fuerint non inhibeant, neque afficiant, nisi judex novam citationem subscripserit cum appositione diei, in qua legi debeat.

Præterea volumus, atque præcipimus, ut in omnibus citationibus apponant à tergo nomen, et cognomen Procuratoris, vel principalis in Curia cogniti, ad cujus instantiam executio dictarum citationum fieri debet; alias nec reproductio earumdem citationum ullo modo valeat, et nihilominus ipsi Cursores teneantur gratis, et absque consueto emolumento iterum exequi dictas citationes, cum attergatione nominis.

Subscriptionem Iudicis cum clausula -- *Poterit legi* -- contentam in citationibus exequendis, apponere teneantur Cursores, et Mandatarii etiam in exemplaribus, vulgo *Copiette*, quæ dimittuntur in manibus, vel ad domos citatorum, sub pœnis arbitrio Superioris Tribunalis.

Pro emolumento autem dictis Cursoribus, et Mandatariis debito ratione eorum Officii, volumus exactè servari Taxam, statutam in Reformatione fel. rec.

rec. Pauli V. *tit. de Cursoribus*, *et Mandatariis*, quæ retineatur affixa in banco respective eorum; itaut nil ultra exigere valeant, sub pœna suspensionis ab officio, et restitutionis dupli.

Teneantur insuper Cursores omnes pro debito eorum Officii, singulis diebus juridicis præsentes esse in eorum banco, de mane saltem ad sonitum campanæ Collegii Romani, cum citationibus executis, et Curialibus restituendis, nec possint ab illo discedere, nisi prius facta restitutione omnium citationum dictis Curialibus, et litigantibus. Et similiter de sero teneantur præsentes esse in eodem banco ab hora vigesima secunda cum dimidio, et in eo assistere pro citationibus recipiendis, sub pœna scutorum decem monetæ, irremissibiliter incurrenda pro qualibet vice, in qua transgressores inventi fuerint. Bancus autem teneatur apertus à die 15. mensis Martii ad diem 15. Octobris, usque ad horam unam cum dimidio noctis, et â die 15. Octobris ad diem 15. Martii, usque ad secundam noctis, et non ultrà; itaut statis horis predictis illicò debeat claudi, et Cursores immediate pergere ad citationes exequendas, sub eadem pœna.

In citationibus autem exquendis in diebus festis de licentia Superioris, caveant ne procedant ad illarum executionem, antequam dictam licentiam obtinuerint, et apponatur hora in relatione executionis, sub pœna scutorum decem pro qualibet vice.

Provisiones variæ quoad Judices, et Curiales.

Quamvis Nobis ignota non sit Tribunalium etc.

Quoniam vero ipsum caput honoris, decorisque Curiæ nostræ agitur quum ad Procuratores, et Curiales in ipsa Curia versantes nostræ mentis aciem vertimus, licet in ordine Curialium, et Procuratorum, sicuti semper effulserunt, adhuc præluceant nostris temporibus viri doctrina, atque integritate commendabiles, itaut ab hujusmodi seminario aliquando assumpti fuerint ad supremos Magistratus, atque ad Dignitates amplissimas, nihilominus tamen serio meditantes in tanta multitudine, præsertim adolescentulorum qui eidem Curiæ se se addicunt, aliquos malæ indolis, et ingenii se intrudere posse, alios vero absque sufficienti doctrina, et praxi, qui non solum sibi ipsis labem, et infamiam, temporis successu inferunt, sed in longinquas regiones alicujus ex ipsis malefactorum fama pervolante, sub nomine Curialium toti ordini quodammodo dedecus infligunt. Quapropter Curiæ nostræ decori consulentes, nihil utilius judicamus, quam Curialium, et Procuratorum tam in causis civilibus, quam criminalibus delectum fieri, antequam in Tribunalibus, et coram singulis Judicibus ipsi admittantur. Innovantes igitur Constitutionem Pauli V. Prædecessoris nostri incipien. *Universi Agri Dominici Kalen. Martii anno* 1611. super reformatione Tribunalium Almæ Urbis, et ejus Officialium, in primis Rotæ Decano sedulo commendamus observantiam, et executionem dispositionis contentæ in §. 18. ejusdem constitutionis nempe = *Non omnes passim, sed hi solum ad procurandum in Rotæ Audito-*

rio admittantur, qui doctrinæ usus, et morum examen subierint, et per ipsius Rotæ Decanum, vel alium loco Decani arbitrio Rotæ deputandum, adhibitis duobus, vel tribus Procuratoribus ab ipso Collegio deputatis, super his universis approbati fuerint, unde si qui tales in præmissis idonei reperti non erunt a Procuratoris officio removeri volumus, ac pro dicto examine aliquid exigi; vel solvi debere expresse prohibemus = quæ cum in Rotæ Auditorio servari nostris temporibus prospiciamus, miramur subsequentem dispositionem circa Procuratorum delectum in aliis Tribunalibus nostræ Urbis, ab usu recessisse. Quum igitur idem Paulus V. Prædecessor noster in Constitutione præfata disposuerit eodem §. 18. *In Tribunalibus Gubernatoris, Auditoris Cameræ, Vicarii, et Senatoris Procuratores non admittantur, qui non sint prius approbati a Superioribus illius Tribunalis, et in libro particulari descripti* = saluberrimam hujusmodi dispositionem innovantes, atque extendentes, etiam ad Tribunalia Signaturæ Justitiæ, nec non Cameræ nostræ Apostolicæ, et alia quæcumque Tribunalia Urbis, in quibus Justitia in causis contentiosis ministratur, cum infrascriptis declarationibus inposterum omnino servari præcipimus, et mandamus: ut nempe Procuratores, qui prævio examine doctrinæ, theoricæ, et practicæ necnon morum in Rotæ Auditorio juxta dispositionem antedictam Pauli V. fuerint admissi, in cæteris Tribunalibus, absque alia approbatione, causas patrocinari valeant; dummodo tamen ex laudabili stylo, vel privilegio, aliqua Tribunalia particulares Procuratores non habeant, vel non admittant nisi cum speciali deputatione; quibus stylo, vel privilegiis per præsentes nullatenus derogare intendimus. Procuratores verò qui in Rotæ Auditorio non fuerint admissi et approbati, à quibuscumque Urbis Tribunalibus excludantur, nisi fuerint specialiter approbati, et admissi in eo Tribunali in quo causas agere, vel defendere volunt, itaut in uno Tribunali approbati, in altero admissi nullatenus censeantur. Approbatio verò, et admissio hujusmodi in Tribunalibus Cameræ nostræ Apostolicæ, et Signaturæ Justitiæ, à Prælatis decanis respective eorum Tribunalium fiat, in Tribunali Vicarii à Vicesgerente, in Tribunali Auditoris Cameræ ab ipsomet Auditore, in Tribunali Gubernii à Gubernatore Urbis, in Curia Capitolina à Senatore, et in aliis quibuscumque Tribunalibus, in quibus causæ contentiosæ aguntur, à Judicibus respective eorumdem Tribunalium. Ita verò approbari, et admitti volumus, et mandamus Procuratores in supradictis Tribunalibus, ut prævia extrajudiciali informatione circa mores, et theoricam legalem, ac praxim illius Tribunalis, in quo admittuntur (approbantium conscientiam stricte onerando) singuli approbati describantur in libro peculiari juxta prædictam dispositionem Pauli V. qui liber Procuratorum illius Tribunalis nuncupatus, publice retineatur, et custodiatur respective in Officio alicujus proprii Tribunalis Notarii, atque ejusdem libri consimile exemplar retineatur apud eum, qui approbationem interposuit; omnia vero gratis fiant, absque eo quod aliquid exigi à Procuratoribus possit. Districte igitur injungimus, et mandamus omnibus, et quibuscumque Tribunalibus, singulisque Judicibus, exequutionem hujusmodi saluberrimæ provisionis circa Curialium, sive Procuratorum delectum; et pro ejus omnimoda obser-
van-

vantia precipimus, ut in futurum non admittantur Procuratores apud acta, nisi ut supra approbati; approbatio verò, et admissio fiat quotiescumque, et quandocumque de debitis requisitis constiterit. Pro iis verò Procuratoribus, qui jam officium exercent, injungimus, ut intra terminum quindecim dierum à publicatione præsentium, Superiores, ad quos hujusmodi approbatio, et admissio spectat, notificationem publicent, quod exinde post terminum duorum mensium, in singulis respective Tribunalibus non admittantur Procuratores, qui non fuerint Rotales, vel particulariter approbati, respective, ut supra; prout Nos mandamus eos â Procuratoris officio removeri, et respective non admitti, etiam cum consensu partium, qui intra dictum terminum non comparuerint, vel comparentes super præmissis, veluti idonei approbati non fuerint; quam exclusionem, et respèctive non admissionem non solum exequatur Iudex ex officio, sed etiam ope exceptionis; quæque deinceps una sit præ cæteris à partibus in Iudicio contra Procuratorem alleganda, et admittenda.

Procuratores verò idonei in Tribunalibus approbati, et admissi, ut in omnibus ad eorum munus spectantibus, Iudicibus, vel Tribunalibus, coram quibus causas agunt, vel defendunt, rationem reddant, propria manu, et charactere subscribant tam scripturas, quam summaria, et originalia eorum si typis impressa fuerint, quæ ipsis Iudicantibus exhibent; illi autem qui sine propria subscriptione in scripturis nomen suum apponi permittunt, sciant ab ipsis rationes, et pœnas fore exigendas, si in scripturis fuerit delictum deprehensum.

Tum in dicendo, cum in scribendo Procuratores summam animi moderationem, et modestiam, ut decet, adhibeant. Si quid jure expostulandum, vel conquerendum adversus alteram ex partibus, ipsis contingat, potius modeste coram Iudice conquerantur, quam injurias, et contumelias reponant, ne speciem vindictæ referre videantur. In iisdem verò causis, personas tam principales, quam defensores criminari, eoque magis satyras voce, vel scripto componere, veluti grave delictum condigna pœna, pro modo culpæ, puniatur ab ipsis Iudicibus, vel Tribunalibus, coram quibus causæ aguntur.

Stylum respective Curiarum Procuratores sedulo observent, tam in exhibendis, quam in producendis, et communicandis juribus, et scripturis. Si qui vero clam, vel ex improviso, vel post tempus determinatum, scripturas Iudicibus exhibuerint, ut dolose partem alteram circumveniant, et veritatem obnubilent, et involvant, sicut etiam qui legalitatem in officio Procuratoris non servant, sed Iustitiam, et veritatem subvertere student, et nituntur, si unquam hujusmodi pestiferi homines in nostra Curia fuerint (quod non credimus) pro modo culpæ gravibus pœnis omnino puniantur, ultra eas, quæ continentur in Constitutionibus Apostolicis. Quoniam verò expedit ut qui in officio delinquunt, ab officio removeantur, omnibus, et singulis Tribunalibus, et Iudicibus, etiam inferioribus, facultatem impartimur suspendendi ad tempus, vel perpetuò removendi ab officio Procuratoris, et delendi eorum nomen à libro in quo sunt descripti, ex informata eorum conscientia, absque processu, et appella-

tio-

tione, sive recursu remoto, illos qui in eorum munere, dicto vel facto deliquerint; sine præjudicio procedendi contra dictos culpabiles per Executores hujus nostræ Constitutionis, etiam ex officio ad pœnas pecuniarias, et corporales, ac suspensionis quoque perpetuæ, non solum in eo Tribunali, in quo ipsi deliquerint, sed etiam in omnibus, et quibuscumque aliis nostræ Urbis Tribunalibus.

. . . .

. . . .

Volumus tandem atque mandamus pro omnimoda observantia hujus nostræ Constitutionis, quod unusquisque Notarius Tribunalis, et cujuscumque Curiæ Urbis, Notarius Archivi Scriptorum, et Notarius Archivi Urbani retinere debeant perpetuo affixum exemplar hujus nostræ Constitutionis in eorum Officiis respective; nec non affixum retineatur in Archivio Urbano apud Palatium nostrum Vaticanum, et in Archivo Notariorum Curiæ Capitolinæ in ædibus Capitolii existente, sub pœnis scutorum decem. etc.

Non obstantibus. etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo octavo, iv. Kal. Maii Pontificatus Nostri Anno IV.

N. XXIV.

Indultum Pontificium, quo Auditori Signaturæ concessa fuit facultas deferendi Rocchettum, et redimiculum violaceum in pileo ad instar Votantium ejusdem Signaturæ.

BEATISSIMO PADRE.

L'Auditore della Segnatura di Giustizia umilissimo Oratore della S. V., divotamente le rappresenta esser stato conceduto ai Votanti della predetta Segnatura dalla S. Mem. di Clemente XI. l' indulto dell' uso del Rocchetto, e dalla S. V. quello del Cordone pavonazzo a riflesso del continuo laborioso servizio, che prestano al predetto Tribunale. Onde concorrendo nell' Oratore lo stesso requisito, la supplica di dichiarare, che anche il medesimo s' intenda compreso nell' uno, e nell' altro indulto, che della grazia ec.

Foris = Alla Santità di N. S. Papa Benedetto XIII. per l' Uditore della Segnatura di Giustizia = *Die jovis* 15. *Septembris* 1729. *Ex Audientia Sanctissimi facta per me relatione ut supra, Sanctissimus benigne annuit,*

L. Card. Corsinus Præfectus.

N. XXV.

N. XXV.

Votantibus Signaturæ Justitiæ conceditur usus Mantelli Magni, et Pilei Pontificalis cum illorum ornamentis in solemnibus equitationibus.

CLEMEMES PAPA XII.
Ad perpetuam rei memoriam.

CReditæ nobis divinitus dispensationis ratio expostulat, ut illos, qui laudabilem in gravibus nostris, et Apostolicæ Sedis ministeriis operam impendunt, peculiari paternæ charitatis affectu prosequentes, gratias, et privilegia eis in præmium laborum suorum a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris prudenti liberalitate concessa, uberiore benignitate ampliemus, sicut eorum meritis convenire arbitramur.

I. Alias siquidem Benedictus XIII. prædecessor noster, tunc, et pro tempore existentibus Signaturæ nostræ Justitiæ, tunc suæ Votantibus, ut ipsi Galerum, *cordone* vulgaliter nuncupatum coloris violacei quibusvis functionibus, et actibus publicis, ac privatis ubique deferre, ac gestare libere, et licite possint, et valeant concessit, et indulsit, et alias prout in ipsius Benedicti prædecessoris desuper in simili forma Brevis die 12. Julii 1727. expeditis, quorum tenorem pro plene, et sufficienter expresso, ac inserto haberi volumus, uberius continetur.

II. Nunc autem nos ad præclara Dilectorum Filiorum modernorum Votantium Signaturæ Justitiæ hujusmodi merita paterne dirigentes considerationis intuitum, ac benigne perpendentes, quantum ex eorum Tribunali, seu Collegio Romanæ Curiæ decoris, quantumve ex sedulo illorum labore Ecclesiæ Catholicæ proveniat utilitatis, eosque proinde, ac illorum successores, ut eo alacrius fidem, operam, industriamque, atque sedulitatem in hujus Sanctæ Sedis obsequium adhibere studeant, amplioris favore gratiæ prosequi volentes, et ipsorum modernorum Votantium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et mera liberalitate nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prædictis modernis, et pro tempore existentibus Votantibus Signaturæ Justitiæ hujusmodi usum Mantelli Magni, *Mantellone* vulgariter nuncupati, ac Pilei Pontificalis, ac eorumdem ornamentorum, quibus Cappellani nostri, et causarum Palatii Apostolici Auditores, et Cameræ Apostolicæ Clerici Præsidentes in solemnibus æquitationibus utuntur, et fruuntur tenore præsentium concedimus pariter, et indulgemus.

III. De-

III. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, et alios quoslibet quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die 25. Januarii 1731. Pontificatus nostri Anno I.

F. Cardinalis Oliverius.

N. XXVI.

Confirmatur Chirographum Benedicti XIII. super augumento assignationis annuæ, Votantibus Signaturæ Justitiæ factæ.

CLEMENS PAPA XII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Singularis dilectorum filiorum Collegii utriusque Signaturæ nostræ Referendariorum in nos, et Apostolicam Sedem fides, et devotio, necnon assidui, et graves labores, quos substinent, promerentur, ut ea, quæ ad illorum favorem ex dictæ Sedis munificentia processerunt, quo inviolabili juxta mentem, et intentionem nostram roboris firmitate perennent, et nemini desuper quovis prætextu, et ex quacumque causa dubitandi occasio, locusque relinquatur, Apostolici muniminis præsidio constabiliamus.

I. Alias siquidem fel. rec. Benedictus PP. XIII. prædecessor noster annuam duorum millium sexcentorum monetæ assignationem super redditibus, et proventibus Dohanæ Cameræ nostræ Apostolicæ, tunc suæ præter scuta mille ducenta similia a re. mem. Innoc. PP. XII. prædecessore pariter nostro eidem Collegio assignata, nempe quingenta scuta paria tunc, et pro tempore existenti Decano, nec non scuta trecenta ejusdem monetæ cuilibet ex Votantibus Collegii hujusmodi, singulis annis anticipate persolvenda, cum jure accrescendi in casu deficientiæ alicujus ex prædictis Votantibus, adauxit, et alias prout continetur in Chirographo ab eodem Benedicto prædecessore die 24. Septembris 1725. emanato, et ipsius manu subscripto, ac Ven. Fratri Annibali Episcopo Sabinen. S. R. E. Cardinali Albano, Sancti Clementis nuncupato, ejusdem S. R. E. Camerario directo, nec non in exequutionem edicti, jussu nostro publicati, in dicta Camera registrato, tenoris qui sequitur.

Rev.

Rev. Card. S. Clemente Camerlengo.

AVendo noi piena notizia delle gravi, e continue fatighe, che sostiene il Collegio de' Votanti della Segnatura di Giustizia in tutto il corso dell' anno, e particolarmente nell' estive Congregazioni solite a tenersi nel nostro Palazzo Apostolico, e volendo per maggior rimunerazione delle medesime accrescerli l' annuo assegnamento di scudi mille duecento moneta fattogli dalla S. M. d' Innocenzo XII. nostro predecessore con suo Chirografo in data de' 30. Settembre 1693. ad altri scudi due mila, e 600., di modo che compresivi i detti scudi 1200. in tutto siano 3800. moneta, non solo per dargli questo contrasegno del nostro paterno gradimento, che per animarli vieppiù a proseguire con diligenza, ed attenzione l' esercizio laborioso della lor carica, ed amministrazione della giustizia; quindi è che di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra Apostolica potestà, avendo nel presente nostro Chirografo per espresso il detto assegnamento di scudi mille, e duecento moneta l' anno fatto dal predetto Innocenzo XII., e d' ogni altra cosa necessaria ad esprimersi, ordiniamo a voi, che in nostro nome, e della nostra Camera delle rendite, e proventi delle Dogane di Roma accresciute, siccome noi accresciamo al Collegio dei 12. Votanti della Segnatura di Giustizia di detto annuo assegnamento oltre li sudetti scudi 1200. altri scudi due mila, e seicento, che in tutto costituiscono la somma di scudi 3800. da ripartirsi, cioè scudi 500. annui al Decano, e scudi 300. annui agl' altri undeci Votanti antecipatamente con ordine di detto Decano nel principio di ciaschedun mese, di modo tale, che il Decano *pro tempore* abbia scudi 200. di più degl' altri, ed il rimanente si divida egualmente, ed antecipatamente tra loro nel principio di ciaschedun mese, compresovi ancora il Decano, col *jus accrescendi* proporzionabilmente in caso di vacanza di qualche luogo di detto Collegio incominciando dal primo del corrente mese, e per l' effetto predetto spedirete mandati, e darete tutti gl' ordini, che stimarete necessarj, ed opportuni, acciò colli denari, et proventi delle sudette Dogane si paghi il predetto annuo assegnamento così accresciuto alli detti 12. Votanti, loro Decano, Vice-Decano, Camerlengo, o altro loro Procuratore, essendo tale la mente, e volontà nostra espressa, volendo, e decretando, che il presente nostro Chirografo, benchè non ammesso, nè registrato in Camera abbia il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice nostra sottoscrizione: non ostante la Bolla di Pio IV. *de registrandis*, e qualsivoglia altra Bolla, Costituzione, ed Ordinazione Apostolica emanata a favore della nostra Camera, suoi Ministri, ed Officiali, e qualsivoglia altro uso, stile, statuto, riforma, consuetudine, decreto anco Concistoriale, ed ogni altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole per questa volta solamente, ed all' effetto sudetto pienamente, ed amplamente deroghiamo.

Dato nel nostro Palazzo Apostolico di Montecavallo questo dì 24. Settembre 1725.

Benedictus PP. XIII.

k II. Nunc

II. Nunc autem nos firmiori præmissorum omnium et singulorum robori et efficaciæ, quantum in Domino possumus providere, dictosque Votantes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Chirographum præinsertum, omniaque, et singula in eo contenta, tenore præsentium confirmamus, et approbamus; illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos tam juris, quam facti, et solemnitatum quarumcumque, tam ex juris communis, et Constitutionis Apostolicæ præscripto, quam alias quomodolibet in similibus etiam de necessitate observandarum, et alios quoslibet, etiam formales et substantiales defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliqui principaliter, vel accessorie, aut alias quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, vel prætendi possent, plenissime supplemus, et sanamus, ac penitus, et omnino tollimus, et abolemus.

III. Decernentes etc.

IV. Non obstantibus etc. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die 11. Maji 1733. Pontif. nostri Anno tertio.

F. Card. Oliverius.

N. XXVII.

Edictum Signaturæ Justitiæ anni MDCCXXXI.

Alamannus Tituli S. Mariæ in Aracœli S. R. E. Presbyter Cardinalis Salviatus nuncupatus, Signaturæ Justitiæ SS. D. N. Papæ Præfectus.

I. ETsi probatissimi undequaque Viri Romanam Curiam, forumque sequentes nullam sane in causis agendis reformationem expectent adhuc, ad magis, magisque consulendum brevitati, et expensis, facto Verbo cum Sanctissimo inhærentes decretis, alias per prædecessores nostros editis, ac præcipue sub diebus prima Julii, et 4. Decembris 1677. et 12. Januarii 1719. præcipimus quod nemo audeat proponi facere in plena Signatura Commissiones in Causis non excedentibus scuta quinquaginta monetæ.

II. Mandamus quoque, quod in omnibus, et quibuscumque causis, in quibus agitur de moderatione, seu reintegratione inhibitionum moderatarum ob non transportationem actorum, vel a Sacra Rota, vel ab aliis Judicibus Commissariis, de Communicatione facultatum A. C. deputatione Judicum, remissione Causarum uni magis, quam alteri Tribunali, ac demum de Attentatorum purgatione, vel rejectione, nemini liceat plenam Signaturam adire, sed citata prius parte instare debeat coram D. No-

D. nostro Auditore, cujus Decreta in omnibus prædictis vim habeant rescripti plenæ Signaturæ; a quibus quidem Decretis, deinde liceat succumbentibus, quatenus non acquieverint, recursum habere ad plenam Signaturam, in qua si iterum succumbuerint, *parti victrici solitas expensas Scutorum quatuor* Procuratores in pœnam reficere teneantur.

III. Renovando aliàs laudabiliter ordinata per clar. mem. Cardinalem Aldobrandinum, prædecessorem nostrum, ulterius mandamus, quod si quandoque inter partes, vel earum Procuratores de commissione expedienda fuerit concordatum, ut hujusmodi consensus appareat, ipsæmet Partes, vel earum Procuratores sua cujusque nomina a tergo commissionis inscribant; Procuratores autem absque legitimo Procuræ mandato tale quidpiam audentes reficere parti læsæ teneantur expensas, damna, et interesse per nos extrajudicialiter taxanda, additis etiam gravioribus aliis pœnis pro culpæ, dolique mali mensura arbitrio nostro judicandis, quod ut plenissime observetur, volumus, et mandamus, quod deinceps omnino, ubi Partes de expedienda commissione convenerint, juxta consensum hujusmodi commissiones signandas Revisor nobis afferre teneatur.

IV. Et ne suo quæque ordine res fraudentur, prohibemus etiam, quod transmittantur in plena Signatura commissiones quæcumque pro simplici sententiarum, vel decretorum circumscriptione, nisi in eisdem commissionibus alternativa petitio apponatur, quod scilicet quatenus non sit locus circumscriptioni committatur causa appellationis cum clausulis opportunis, ne Partes reiteratis propositionibus onerentur.

V. Insuper volumus, quod Partes teneantur dare in earum Summariis sub numero primo copiam de verbo ad verbum collationatam cum Originalibus Commissionum, quæ ab ipsis signandæ porriguntur in plena Signatura, necnon sub sequenti numero decretum, seu sententiam, a quo, vel a qua petuntur dictæ commissiones per extensum, alias præfatæ causæ per ejusdem Signaturæ Ponentes omnino non proponentur, ipsique Procuratores, qui alias defecerint, expensis dictæ Signaturæ, aliisque arbitrio nostro pœnis subiicientur.

VI. Inhærentes decretis alias editis per clar. mem. Cardinalem Chisium prædecessorem nostrum præcipimus, et mandamus, quod Scripturæ producantur omnino per decem dies ante Propositionem causæ in Signatura, non prohibentes tamen Ponentibus in casibus sibi benevivis, et ubi necessitas postulaverit, scripturas, et jura, sive privata, sive publica recipere, illaque in plena Signatura referre, ut de eisdem habeatur ea ratio, quæ de jure habenda erit.

VII. Caveant DD. Ponentes in posterum subscribere propositiones causarum contra formam præsentium, nam eorum subscriptione non obstante causæ non proponentur, ut supra, et Procuratores in expensis, et aliis etiam gravioribus pœnis damnabuntur.

VIII. Præterea decernimus, quod quatuor tantum causæ proponi possunt in plena Signatura per quemlibet Ponentem, quando Signatura fit de hebdomada in hebdomadam, quando vero fit infra quindecim dies, tunc proponi possunt usque ad sex, non comprehensis in utroque casu illis, quæ redeunt, et

quæ unica tantum parte informante proponuntur. Addito insuper, ut quilibet Ponens in subscribenda propositione causæ teneatur ibi enunciare, quo loco, an primo, secundo, tertio, vel quarto loco, modo quo supra illam proponet. Procuratores autem caveant adire Ponentes impeditos aliis Commissionibus sub spe facultatis proponendæ extra numerum, quia in posterum non erit licitum proponere ultra dictum numerum, ut supra præfixum, alias causæ excedentes dictum numerum non proponentur, et Procurator, qui extra numerum obtinuerit, propositionemque intimaverit, ad refectionem expensarum favore alterius partis tenebitur.

IX. Intimationes propositionum causarum tam tempore hyemali, quam æstivo fiant die Iovis ante Signaturam, et informationes distribuantur omnino die Sabathi tam DD. Votantibus, etiam non intervenientibus, quam D. nostro Auditori una cum Proponam originalibus a DD. Ponentibus subscriptis; responsiones vero distribuantur omnino omnibus, ut supra, die Martis.

X. Ulterius, ut certa in posterum habeatur scientia illorum, qui forsan quod non credimus a moderamine, et honestate scribendi, vel a Summariorum legalitate deficiunt, volumus, et mandamus, quod quælibet copiæ scripturarum, quæ nobis, vel D. Auditori nostro distribuuntur sint proprio charactere Procuratorum in causis comparentium subscriptæ, vel ab eorum studii sollicitatoribus de mandato, pro quibus tamen in casibus supre expressis ipsimet Procuratores teneantur sub pœna scutorum quatuor monetæ pro qualibet vice applicanda Congregationi S. Ivonis, aliisque pœnis arbitrio nostro reservatis: et si hæc omnia Procuratores non adimpleverint, causæ prædictæ non proponentur, et nihilominus controvenientes scuta quatuor pro expensis reficere tenebuntur.

XI. In causis, in quibus expirata fuit supersessoria, seu ejus prorogatio concessa a nobis, vel a D. nostro Auditore, aut etiam denegata, intimationes pro adeunda Signatura non inhibeant, neque causent attentata, nisi a die Iovis ante Signaturam faciendam post octo dies subsequentes, etiamsi prædictæ intimationes exequutæ fuerint longe ante dictam diem Iovis: si vero subsequens Signatura fiet post quindecim dies, aut aliud longius tempus, nullatenus inhibeant, et possint impune sperni absque incursu attentatorum, nisi recurrens intimationem pro adeunda Signatura exequi faciat in illa die Iovis tantum, quæ præcedat immediate prædictam subsequentem Signaturam; quæ intimatio in utroque casu pro unica tantum vice suffragetur.

XII. Interpellationes vero tam super non propositione Commissionum, quam super mutatione Ponentium, etiam tempore feriarum generalium fieri debeant pridie quam informetur, scilicet per totam diem Sabathi, et factæ post dictum tempus non suffragentur, et insuper parti informanti teneatur controveniens reficere scuta quatuor pro expensis.

XIII. In causis autem, in quibus per nos, vel dictum D. Auditorem nostrum conceditur licentia redeundi ad plenam Signaturam facto solito deposito, volumus, quod dicta deposita omnino fiant per totam diem Iovis, antecedentem repropositioni causæ.

XIV. Com-

XIV. Commissiones juxta præscripta in reformatione san. memor. Pauli V. tit. Signat. Grat. et Iustitiæ §. ultimo, celeriter expediantur, et numerus illarum in libro Revisoris Signatarum, tam per concessum in Dataria ad officium parvæ datæ, quam per placet ad Bancum Cursorum, infra triduum omnino transmittantur, in quo sine Officialium manibus non incapsentur, cum expressa prohibitione non dandi partibus sub pœna suspensionis, et etiam privationis officii, et aliis arbitrio nostro.

XV. Præcipimus, et mandamus, nè citationes pro quacumque causa fiant prima vice coram nobismet, sed fiant coram D. nostro Auditore, alias non afficiant, et possint impune sperni, imo prohibemus omnibus Notariis, nè audeant illas recipere, seu receptas legere, nisi coram D. nostro Auditore sub pœnis eidem D. Auditori, seu nobis benevisis.

XVI. Similiter citationes quæcumque coram nobismet etiam a quocumque decreto D. nostri Auditoris non attendantur, et possint impune sperni nisi fuerint prius a nobis subscriptæ, dummodo non agatur de causa criminali, in qua fuerit jam sequuta carceratio sub eisdem pœnis, ut supra.

XVII. Pari modo in causis mercedis, et in omnibus aliis, que non excedunt scuta viginti duo monetæ, citationes quascumque coram nobismet tam prima vice, quam in gradu recursus a decretis D. Auditoris semper irritas declaramus, præcipiendo omnibus Notariis, ne illas recipere, seu receptas legere audeant, nisi coram D. Auditore sub pœnis, ut supra.

XVIII. Insuper mandamus, quod citationes coram nobis concernentes attentata, moderationes inhibitionum, præfixiones terminorum, admissionem recursus, et respective deputationem alterius Iudicis in illis causis, in quibus fuerit uniformiter denegata, vel admissa instantia a capite Tribunalis, et à nostro Auditore, non afficiant, et possint impune sperni.

XIX. Item volumus, quod citationes pariter coram nobismet ad videndum servari terminum, dicendum contra recursum, supersederi, et similes, quæ tendunt ad protrahendam solutionem post susceptionem termini nullo modo attendantur, et possint impune sperni, immo prohibemus Notariis, ne audeant illas legere, neque recipere. Citationes vero hujusmodi coram D. nostro Auditore afficiant tantummodo, ubi fuerint pro prima vice reproductæ, secundæ autem citationes possint impune sperni, etiamsi fuerint personaliter exequutæ.

XX. Necnon declaramus, quod respectu attentatorum commissorum in spretum rescriptorum plenæ Signaturæ, ac decretorum D. nostri Auditoris citationes coram nobis afficiant, et attendi debeant, dummodo super eisdem attentatis fuerit prius institum coram dicto D. nostro Auditore, et citationes fuerint a nobis subscriptæ.

XXI. Citationes, quæ fiunt ad dicendum contra memoriale cum rescripto Eminentissimi, non afficiant, nisi sint subscriptæ a D. Auditore, et alias factæ possent impune sperni.

XXII. Supersessoriæ in causis proponendis in plena Signatura non concedentur a D. nostro Auditore, nec a nobis, postquam fuerint concessæ pri-

prima supersessoria, et una prorogatio; ac ulteriores citationes factæ, et faciendæ non attenduntur, nisi subscriptæ fuerint per nos, et per D. nostrum Auditorem.

XXIII. Præcipimus pariter omnibus Notariis, sub pœnis, ut supra, ne audeant, seu præsumant recipere, et legere copias citationum, nisi de nostra licentia, vel D. nostri Auditoris.

XXIV. Item volumus, et mandamus, quod aliæ citationes cum inhibitione ad statim coram dicto D. Auditore exequutæ post primam, quando fuerit personaliter exequuta, et non reproducta, et post binas, quando fuerit exequuta domi dimissa copia, amplius non afficiant, sed possint a partibus impune sperni absque ullo vitio attentatorum, et idem servetur in citationibus coram nobismet exequendis, sed post unicam tantum in utroque casu.

XXV. Prædecessorum nostrorum decretis inhærentes, et præcipue alias factis per Congregationem super reformatione Tribunalium Urbis de Anno 1658. quam per clar. mem. Card. Chisium sub die 8. Aprilis 1677. necnon per clar. mem. Cardin. Scotti sub die 12. Iunii 1719. præcipimus, et mandamus omnibus Notariis, ne audeant recipere, et legere citationes, nisi in causis vertentibus in eorum Officiis sub pœnis nobis, et eidem D. Auditori benevisis; citationes vero omnes, quæ fiunt tam coram nobis, quam D. nostro Auditore in causis vertentibus in partibus coram Iudicibus Delegatis a S. Sede Apostolica, et aliis quibuscumque, volumus fieri per acta infrascripti Scriptoris Archivii, et alias factæ sint ipso jure nullæ etiam cum decretis, quæ in illis emanabunt, prout illas declaramus; immo prohibemns omnibus Notariis, ne audeant illas recipere, neque legere sub pœnis, ut supra.

XXVI. Et insuper mandamus, quod citationes omnes, quæ fiunt tam coram nobis, quam D. nostro Auditore pro purgatione attentatorum quomodocumque commissorum in spretum plenæ Signaturæ in Causis commissis Romanæ Curiæ Prælatis, et in partibus, fiant pariter per acta infrascripti Scriptoris Archivii, et alias factæ sint ipso jure nullæ, etiam cum Decretis, quæ in illis emanabunt, prout nullas, et irritas declaramus, imo prohibemus omnibus Notariis illas recipere, et legere sub pœnis ut supra. Citationes autem, quæ fiunt pro repositione a Decretis tam per nos, quam per D. nostrum Auditorem factis, volumus sub pœna nullitatis fieri per Acta ejusdem Notarii, qui recepit Decretum, a quo petitur repositio, dummodo Notarius prædictus sit competens.

XXVII. Præcipimus quoque, quod citationes ad recipiendum, nec fieri, nec legi possint coram nobis, sive D. nostro Auditore, et factæ non afficiant, et possint impunè sperni.

XXVIII. Item decernimus, quod citationes ad videndum supersederi coram nobis, sive D. nostro Auditore in Causis, quæ ratione summæ non possunt in plena Signatura proponi, juxta Decreta alias edita non recipiantur, neque admittantur, et factæ possint impunè sperni, non obstante quocumque decreto etiam interposito, quod censeatur subreptitiè extortum.

XXIX. Si-

XXIX. Similiter volumus, quod Citationes in termino amplius exequi non possint, ubi per nos, vel D. nostrum Auditorem, fuerit addita Decretis clausula, *et amplius*, nisi dictæ Citationes prius fuerint per nos, vel D. nostrum Auditorem subscriptæ.

XXX. Demum præcipimus, quod citationes coram Nobis, vel D. nostro Auditore in Causis pendentibus in Tribunalibus R. C. Apostolicæ, et Curiæ Capitolii, non recipiantur, neque attendantur, sed possint impune sperni, exceptis illis ad videndum declarari Causam, et Causas spectare ad alia Tribunalia, remittique ad alios Judices.

XXXI. Quæ omnia, et singula inviolabiliter servari volumus, et mandamus, neque sub quovis prætextu, causa, vel colore, sive de partium consensu, licitum sit contravenire sub pœnis prædictis, et aliis gravioribus arbitrio nostro indicendis. Datum Romæ ex Palatio nostræ residentiæ die 12. Januarii 1731.

A. Card. Præfectus.

P. H. Guglielmi Auditor.

Jo. Baptista Constantinus Archivii Romanæ Curiæ Scriptor.

Audientia erit diebus Lunæ, et Iovis, hora solita, et consueta, et legent infrasctipti Notarii.

Scriptor Archivii.
Not. Audit. Cameræ.
Notarii Rotæ.
Notarii Eminentissimi Vicarii.
Not. Gubernatoris Urbis.
Not. Curiæ Burgi.

Die autem Veneris hora prædicta legent.

Scriptor Archivii in Criminalibus.
Notarii Auditoris in Criminal.
Notarii Eminentissimi Vicarii in Criminalib.
Notarii Gubernatoris Urbis in Criminal.
Notarii Curiæ Burgi in Criminal.
Notarii Eminentissimi Camerarii.
Notarii Curiæ Capitolinæ.
Et omnes Notarii aliorum Tribunalium.

N. XXVIII.

Breve Pontificium super jurisdictione Excellentiss. Magistratus Romani in ejus Feudis.

CLEMENS PP. XII.
Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Conservatores Urbis, quod ipsi utpote jurisdictionem temporalem in Castris, et Terris, Populo Romano subjectis exercentes, facultatem habent cognoscendi per seipsos, aut ab eis deputatos omnes Causas in gradu appellationis, et recursus, qui per subditos Castrorum, et Terrarum hujusmodi ad eosdem Conservato-

vatores interponuntur adversus Sententias, et Decreta definitiva Gubernatorum localium, prout disponitur *per Statutum Urbis præfata Lib. primo Cap.* xv. *de Officio Conservatorum*, ubi conceptis verbis habetur, prædictos Conservatores posse de Causis quarumcumque appellationum a Sententiis latis in Terris Romani Populi si ad eos recursum fuerit, seu de nullitate dictum, et de omnibus aliis Causis dictarum Terrarum summatim cognoscere, et clarius *Cap.* cxc. *eodem Lib. primo*, *Rubrica de appellat. Subditorum, Castrorum, et Terrarum Romani Populi*: ibi: *Appellationes per Subditos Officio Conservatorum ab eorum Iudicibus, aut superioribus Officialibus interponendæ ad ipsos Conservatores interponi debeant, ad quos appellationes prædictæ una cum toto negocio devolvantur, qui de illis omni juris solemnitate omissa per se, aut Assessorem eligendum, ac sola veritate inspecta cognoscant, et secundum justitiam terminent, et decidant*: dictique Conservatores hanc jurisdictionem duorum ferme ab hinc seculorum decursu, semper exercuerint, appellationes, et recursus præfatos admittendo: Cum autem sicut eadem expositio subjungebat ipsis exponentibus innotuerit pro parte aliquorum ex prædictis subditis in odium nonnullorum recursuum ab eisdem exponentibus admissorum, quasdam instantias indebite promotas fuisse coram dilecto filio Auditore Signaturæ nostræ Justitiæ, aliove Iudice ejusdem Urbis prodiisse læsiva enarratæ jurisdictionis, ac adeo longevæ quasi possessionis illam, sicut præmittitur, exercendi, in qua dicti exponentes reperiuntur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt quatenus sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, et pænis a jure, vel ab homine quavis occasione latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Statutum Urbis, superius expressum *Capit.* xv., *&* cxc. auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos juris, et facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas validas, et efficaces existere, fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, ac pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab iis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari; præmissis aliisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xi. Septembris 1736. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

F. Card. Oliverius.

N. XXIX.

N. XXIX.

Decreta Congregationis Particularis pro Reformatione Tribunalium Urbis a Benedicto XIV. specialiter deputatæ circa recusationes Judicum, et circa formam servandam in Causis Patentatorum, seu Privilegiorum.

I. UT immodicis Litigantium parcatur incommodis, simulque injustis tergiversationibus obvietur, Congregatio Particularis a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto, Divina Providentia Papa XIV. super Reformatione Tribunalium Urbis specialiter deputata, re prius mature discussa, processit interim ad infrascriptas Provisiones.

II. Quod Recusationes Judicum non admittantur in Causis executivis certi generis, videlicet Depositi, et futurorum alimentorum, aliisque designatis per Decreta alias tempore san. mem. Clementis XII. edita a Congregatione Reformationis Tribunalium Urbis die 4. Aprilis 1731., neque in quibuscumque aliis Causis non excedentibus valorem scutorum vigintiquinque juxta aliud Decretum diei 15. Novembris 1732., quæ servari omnino debeant.

III. Quod in cœteris Causis prædictæ recusationes, quæ plerumque ad retardandum Justitiæ cursum usurpantur, reformari, et moderari debeant in posterum, itaut in Causis cujuscumque generis, tam executivis, quam ordinariis, et in quacumque instantia (exceptis dumtaxat Causis Commissariis) unus tantummodo Judex infra tres dies numerandos a die reproductionis Monitorii, seu Libelli, vel Citationis ad dicendum contra Jura ab unaquaque ex Partibus recusari possit tamquam supectus absque allegatione Causæ suspicionis; cæteræ autem recusationes amplius non admittantur, nisi servata dispositione Juris communis; ac proinde Citationes, quoad ulteriores recusationes, nempe *ad videndum deputari alium*, tum coram Capite Tribunalis, tum coram aliis Superioribus impune sperni valeant, nisi in eisdem Citationibus certa, atque justa causa suspicionis exprimatur.

IV. Rursus quod Privilegiati, seu Patentati cujuscumque generis (exceptis Patentatis S. Inquisitionis) fori privilegio gaudere non debeant, nisi in Causis, et negociis concernentibus Officia, et Ministeria, quorum intuitu sunt privilegiati, videlicet ad normam Decretorum, quæ super hac materia prodierunt tempore san. mem. Urbani VIII., ac Innocentii XI., nec non Innocentii XII., itidemque servata forma præscripta per prælaudata Decreta Congregationis Reformationis Tribunalium die 4. Aprilis 1731., itaut ad tramites præfatorum Decretorum etiam in prædictis Causis, et negociis concernentibus Officia, et Ministeria Privilegiatorum, seu Patentatorum, quantum attinet ad eorum favorem, renunciatum privilegio videatur per consensum coram alio Iudice Ordinario verbis, seu factis præstitum; amplius adjecto, ut prædicto privilegio censeatur itidem renunciatum per consen-

sum æquipollentem, quoties illius allegatio prætermissa fuerit tempore opportuno, hoc est infra tres dies numerandos a die reproductionis Monitorii, seu Libelli, vel Citationis ad dicendum contra Iura.

V. Quodque pariformiter sub eadem lege comprehensi censeantur Privilegiati, seu Patentati Rev. Fabricæ Sancti Petri, prout eos prælaudata Decreta sufficienter comprehendunt, et nominatim quoque illud Congregationis Particularis solemniter confirmatum per Bullam san. mem. Innocentii XI., quæ incipit = *Decet* = sub datum 4. Kalendas Iulii 1689., sive sint Commissarii, sive Procuratores, etiam Fiscales, sive Notarii, sive alia quæcumque Ministeria pro eadem Fabrica exercentes, cum nemini eorum liceat allegare Fori declinatoriam in Causis, et negociis indifferentibus, ipsamque Fabricam seu prædicta Ministeria neutiquam concernentibus; rejecta prorsus, ac reprobata quacumque interpretatione, quæ hactenus in contrarium forsan invaluit.

VI. Demum quoad præfatos omnes Privilegiatos, seu Patentatos, ut fraudibus obvietur, utque prætextu privilegiorum justitiæ cursus retardari non possit, atque inhærendo etiam Decreto aliàs a Congregatione Reformationis Tribunalium Urbis die 3. Iunii 1679. edito, et subinde confirmato per memoratam Bullam san. mem. Innocentii XI. 4. Kal. Junii 1689., eadem Congregatio declaravit, et censuit, tam in Causis eorum Ministeria non concernentibus, quam etiam in Causis Ministeria prædicta concernentibus, in quibus ipsi consensum, ut supra, coram alio Judice Ordinario, seu alias competenti præstiterint, nullam requiri licentiam alterius Judicis ad effectum exequendi Mandata contra eosdem Privilegiatos ser. ser. relaxata, nullumque propterea *Exequatur* peti, ac respective concedi posse.

VII. Et in omnibus, ac singulis casibus supradictis Citationes, et Inhibitiones factæ coram quocumque Judice, vel Signatura, vel etiam Auditore Sanctissimi contra formam horum Decretorum nullius sint momenti, atque impune sperni possint absque vitio attentatorum.

Facta per me infrascriptum sub die 10. Januarii 1742. relatione præfatorum Decretorum SSmo D. N. Benedicto XIV., Sanctitas Sua eadem approbavit, atque imprimi, publicari, et omnino observari mandavit.

I. Amadorius olim Lamius Secretarius.

Jo. Baptista Constantinus Arch. Rom. Cur. Scriptor.

N. XXX.

Decreta Collegii DD. Votantium Signaturæ Justitiæ pro reformatione ſupremi ejusdem Signaturæ Tribunalis, a Benedicto XIV. specialiter approbata.

MAndante Sanctissimo D. N. Benedicto XIV. pro eximio, quo pollet, zelo justitiæ, quod Collegium DD. Signaturæ Justitiæ Votantium minori litigantium dispendio, quantum ad ejus Tribunal spectat, solici-

licitè provideat, quodque simul novam methodum decernat, per quam Commissionum in eodem Tribunali proponendarum numerus ita præfiniatur, ut singulis earum diligentiori studio eis, ad quos pertinet, vacare datum sit, ideo præfatum Collegium coadunatum coram Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Card. Nerio Corsino Præfecto in ejus Ædibus sub die 18. Decembris 1741., re maturè perpensa, ad infrascriptas provisiones, si eidem Sanctissimo Domino placuerit, procedere decrevit.

I. Quod in posterum in quacumque Signatura, sive Congregatione æstiva non proponantur, nec proponi umquam possint plusquam quadraginta Commissiones iis etiam comprehensis, quæ redeant, aliisque quæ unica tantum parte informante proponantur, utque hujusmodi præscriptum numerum nemini sub quocumque prætextu liceat transgredi, sequens ordo inviolabiliter observetur.

II. Dominus Auditor Eminentissimi Card. Præfecti ejusdem Signaturæ in Commissionibus quibuscumque proponendis in plena Signatura nonnisi consuetam supersessoriam 15. dierum, et unam tantum prorogationem ad alios 15. dies, et deinde ad primam immediatam Signaturam dumtaxat duraturam, idque etiam juxta negotiorum qualitates pro suo judicio concedet, quibus elapsis nullam aliam prorogationem concedere, ei datum sit. Quod si aliquando urgentissima, atque omnino indispensabilis necessitas, et non alia qualiscumque, pro altera tantum prerogatione ultra primam concedendam forte suboriatur, citatio pro ea obtinenda, primo a D. Auditore Eminentissimi Præfecti, secundo a D. ejusdem Tribunalis Decano, ac tertio demum ab Eminentissimo Cardinalimet, propria cujusque manu, et causa hujusmodi præcisæ necessitatis, rigorose, sed tamen extrajudicialiter cognita subscribatur, et alias quam trina hac subscriptione signata citatio non solum reproduci, ac legi non possit in Audientia, sed et ipsa, et cæteræ omnes citationes quæcumque pro ea obtinenda etiam cum *inhiberi*, ac etiamsi a duobus tantum eorum subscriptæ fuerint, aliæque omnes citationes cujuscumque generis sint, quoties ad impetrandam ulteriorem prorogationem, sive directe, sive indirecte, et sub quovis quæsito colore, tendant, aut tendere videantur, nullo modo inhibeant, sed parti citatæ eas impune spernere, illisque non obstantibus ad quamcumque exequutionem, sive realem, sive personalem quorumcumque mandatorum, et ad quoscumque alios actus pro Sententiarum, et Judicatorum exequutione necessarios procedere, eamdemque exequutionem, eosdemque actus inceptos, etiamsi deinde in prædictis citationibus cujuscumque Judicis superaccesserit Decretum, etiam cum expressa inhibitione, sive nova supersessoria, etiam *in statu*, *et terminis* prosequi liceat, atque integre consumare absque ulla pœna nullitatis, et sine ullo incursu attentatorum.

III. Commissiones pro adeunda Signatura plena transmittantur omnino per tresdecim dies ante diem Signaturæ, sive Congregationis, nempe per totam diem Veneris, immediate antecedentis hebdomadam, in qua facienda erit distributio informationum in scriptis, eædemque Commissiones ex illa die tantum inhibeant, et inhibere censeantur, prout hactenus

 inhi-

inhibebant a die Mercurii hebdomadæ præcedentis Signaturam; propositio vero earumdem Commissionum intimetur omnino alteri parti die Sabathi immediate sequenti transmissionem Commissionum; ne autem ob anticipatam, et aliquando fortasse ab occurrentibus Feriis et vacationibus impeditam earumdem Commissionum transmissionem, atque intimationum exequutionem, longius quam par sit, Signatura differri debeat, eadem Commissionum transmissio, atque intimationum exequutio quocumque tempore, et quocumque die, quibuscumque feriis, et vacationibus, non obstantibus (diebus tamen festivis in Dei, ac Sanctorum honorem exceptis) valide, et licite fieri possint. Et nihilominus, nè litigantes majoribus expensis graventur, Cursores, et Mandatarii pro hac transmissione, ac respective exequutione, nil ultra petere possint, quam si diebus non feriatis, nullisque vacationibus impeditis factæ fuerint.

IV. Quilibet Referendarius Commissiones in Signatura propositurus obtemperando Edictis, aliàs a Card. Aldobrandino, tunc Signaturæ Justitiæ Præfecto promulgatis, teneatur omnino abhinc in posterum ita Commissionum quarumcumque propositionem manu propria subscribere, ut innotescat, quam causam primo, quamve secundo, tertio, vel quarto loco sit propositurus, per hæc verba = *Proponam pro prima*, *proponam pro secunda &c.* et Procurator in dorso, ut dicitur, Informationis in scriptis subscriptionem cujusque Referendarii cum prædicta distinctione notare teneatur, aliàs idem Procurator, qui supradictam Referendarii subscriptionem absque eadem distinctione impetraverit, sive eam in dorso informationis, sic ut supra distinctam, non notaverit, ab eadem Signatura ad consuetam pœnam scutorum quatuor Congregationi S. Ivonis applicandam absque ulla mora, nullaque admissa excusatione condemnetur.

V. Transmissa per totam diem Veneris ut supra Commissione, quilibet Procurator, qui Commissionem transmiserit, teneatur per totam diem Mercurii immediate subsequentem deferre ad Dominum Eminentissimi Præfecti Auditorem folium originale propositionis manu propria, et cum prædicta distinctione a Referendario quolibet subscriptæ, in quo erunt notata titulus Commissionis, nomem Referendarii a quo proponetur, et in calce ejusdem folii nomen Procuratoris proprio ejusdem charactere inscriptum, aliàs ejusmodi folio minime delato Procurator, qui in hoc defecerit, plectatur eadem pœnà scutorum quatuor, eidem Congregationi S. Ivonis applicanda.

VI, Informationes in scriptis distribuantur omnino sub pœnis, arbitrio Tribunalis reservatis, tam omnibus DD. Votantibus, quam etiam DD. Referendariis, Commissiones proposituris, sicuti D. Auditori Eminentissimi Cardinalis Præfecti per totam diem Veneris proxime antecedentis Signaturam, sive Congregationem.

VII. Dominus Auditor Eminentissimi Præfecti post factam ejusmodi distributionem Commissiones separabit, excedentes numerum quadragenarium easque in folio adnotatas cum expressione tituli Commissionis, et nominis Referendarii, ad cujus relationem proponenda erit, transmittet immediate ad DD. Votantes, ac etiam ad DD. Referendarios cujuscumque commissionis,
ad

ad hoc, ut abstinere possint ab earum studio; similique folio affigendo in Aula ejus solitæ Audientiæ Procuratores, et Partes litigantes certiores faciet de earum non propositione in illa proxima Signatura, dictique DD. Votantes, et Referendarii eadem folia in propriis Aulis similiter affigi curabunt.

VIII. Commissionum non proponendarum electio spectabit ad eumdem D. Auditorem Eminentissimi Præfecti, qui separabit, et ad sequentem Signaturam reservabit ex Commissionibus numerum quadragenarium excedentibus illas a DD. Referendasiis, quarto, seu ultimo loco subscriptas, habita tamen consideratione ad illas commissiones, quæ quandoque pro suo judicio celeriorem expeditionem exigere videantur.

IX. Commissiones a D. Auditore Eminentissimi Præfecti separatæ, et ad sequentem Signaturam reservatæ, proponantur omnino in eadem proxime ventura Signatura: interim vero partes sint inhibitæ eodem ferme modo, ac si prorogatio expirata non fuisset.

X. Informationes in voce super dictis Commissionibus, ad sequentem Signaturam reservatis, habeantur die Lunæ immediate antecedente diem ejusdem sequentis Signaturæ, et responsiones in eisdem Commissionibus distribuantur proxime sequenti die Martis ejusdem hebdomadæ, prout in cæteris Commissionibus; ut autem litigantium incommoda minime ex hoc augeantur, nunquam liceat Procuratoribus distribuere in prædictis commissionibus, ut supra reservatis, alias informationes in scriptis, ultra jam distributas, ac præter solitas responsiones de more distribuendas proximo superiore die Martis, idque etiam sub prætextu supplicis libelli additionalis, sive reassumatur, aliorumque similium.

XI. Commissiones appellationum a quocumque cujuslibet Iudicis decreto non proponantur in plena Signatura, nisi adsit in ipso decreto clausula: *Amplius*: vel saltem nisi per duas vices fuerit citatum coram eodem Iudice decreti pro obtinenda repositione, et per duas pariter vices steterit Iudex in decretis, alias Procurator eadem pœna scutorum quatuor alteri parti applicanda puniatur.

XII. Commissiones attentatorum, pertinentiæ causarum, et competentiæ jurisdictionis, declinatoriæ fori, avocationis, et unionis causarum, remissionis causarum ad partes, suspicionis Iudicum, remissionis ad eumdem Iudicem, qui iterum audiat, declarationes causarum, num videlicet recurribilis sit, an appellabilis, Rotalis, sive Prælatitia, communicationis facultatum A. C., moderationis, sive reintegrationis Monitorii, seu inhibitionis, circumscriptionis actorum, et possessionum ex capite nullitatis provenientis ex alio titulo, quam ex nullitate ipsius sententiæ, omnesque aliæ Commissiones similes super quocumque incidenti, et emergenti, et quæ directe non sint commissiones appellationum super negotio principali, sive circumscriptionis sententiæ, et decreti ex defectu Iurisdictionis, citationis, aut mandati, nullatenus proponantur in Signatura, nisi super iisdem incidentibus, et emergentibus, præcesserit instantia citata parte coram D. Auditore Eminentissimi Præfecti; eidem autem D. Auditori nunquam licitum erit ejusmodi instantias ad plenam Signaturam remittere pro resolutione, sed pro suo judicio decretum omnino edere tenebitur; sin autem partes non adquiescant,

sed

sed recursum habeant ad Eminentissimum Præfectummet, qui similiter abstinebit a simplici remissione instantiæ ad Signaturam absque decreto, et ab eo decretum D. Auditoris fuerit confirmatum, pars deinde recurrens ad plenam Signaturam, quocumque modo conceptum sit ejusdem Eminentissimi Præfecti decretum, nempe vel cum clausula *supersederi*, *sive* cum clausula *nisi*, vel cum alia quacumque clausula, ante commissionis propositionem ad consuetum depositum scutorum quatuor semper, et omnino teneatur.

XIII. Commissiones restitutionis in integrum adversus quaseumque res judicatas, sive ex numero sententiarum, sive a renunciatione litis, et acceptatione judicati, nullatenus signentur a Signatura plena; nisi constito de læsione, prout de jure.

XIV. Ubi commissiones signandæ erunt adversus rem judieatam ob non interpositam, aut debito tempore non prosequutam appellationem, adversus judicatum alterius revocatorium, adversus mandatum de consignando uni potius, quam alteri inter diversos creditores, aut adversus mandatum relaxatum in Judiciis redditionis rationis, liquidationis fructuum, damnorum, et expensarum, a quibus de stylo Signaturæ datur appellatio, ejusmodi instantiæ proponantur omnino citata parte coram Domino Auditore Eminentissimi Præfecti, ejusque decreta in his casibus eamdem vim habeant, ac ipsa rescripta plenæ Signaturæ. Si vero fortassis pars aliqua ejus judicio non acquiescat, plenam Signaturam adire valeat, facto tamen ante commissionis propositionem consueto deposito scutorum quatuor.

XV. Similiter Commissiones avocationis, et unionis causarum, ratione connexionis, dependentiæ, et individuitatis cum altera causa in alio Tribunali pendente, sive cum re judicata, alias emanata, a qua restitutio in integrum forte obtineatur, sive obtenta fuerit, non signentur a plena Signatura, nisi refectis alteri parti omnibus expensis, tam judicialibus, quam extrajudicialibus, quoties constabit cum scientia pendentiæ alterius causæ, sive existentiæ rei judicatæ, novam causam ab actore introductam, sive a reo contestatam fuisse.

XVI. Commissiones super circumscriptione alicujus sententiæ, de partium consensu emanatæ in gradu recursus super causis, cæteroquin de earum natura ratione summæ appellabilibus non aliter signentur a plena Signatura, quam prævia refectione alteri parti omnium expensarum, tam judicialium quam extrajudicialium, et quorumcumque damnorum; et id ipsum servetur etiam in signandis Commissionibus avocationis causarum, et declinationis fori, ratione clerieatus, sive alterius cujuscumque privilegii, quoties porrigantur Signaturæ post præstitum consensum coram Judice Ordinario,

XVII. Ad parcendum insuper inutilibus litigantium expensis, nemo audeat in posterum plenam adire Signaturam ad petendam simplicem declarationem rescripti, alias in eadem Signatura emanati, sed ejusmodi declaratio coram D. Auditore Emi Præfecti, qui cuilibet Signaturæ interesse debet, omnino petatur. Dominus autem Auditor dubii rescripti sensum, si is satis sibi constabit, Partibus aperiat, secus vero habito termino pro servato DD. Votantes in proxima Signatura de ejusdem rescripti sensu interroget; quin liceat partibus ullam informationem in scriptis, etiam sub prætextu cu-

cujuscumque supplicis libelli super hoc distribuere; deinde vero in prima audientia responsum, a Signatura acceptum, partibus communicet; si vero aliquando, quod forte contingere potest, rescripti declaratio Judicio DD. Votantium non satis aperta sit, sed discussionem aliquam exquirat, tunc et non alias D. Auditor de ipsorum DD. Votantium mandato licentiam adeundi Signaturam Partibus impertiatur.

XVIII. Abstineat D. Auditor Eminentissimi Præfecti, sicuti, et ipsemet Eminentissimus Præfectus abstinebit a concedenda licentia redeundi ad Signaturam in illis Commissionibus, quæ in eadem Signatura cum clausula *Amplius* signatæ fuerint; quod si aliquando ex rationabili causa ejusmodi licentia ab eodem Præfecto, cui tantum fas erit, concedetur, quod tamen raro faciet, nonnisi facto per redeuntem ad Signaturam duplici deposito, commissio reproponatur.

XIX. Abstineat etiam eadem Signatura plena a concedendis nimia facilitate dilationibus, ab alterutra parte petitis absque urgentissima causa, extra quam solo etiam Oratore informante commissio proponatur expedienda, et ita alterius partis, sive non comparentis, sive absque legitima causa dilationem petentis, plectatur contumacia, ut in ejus reformatione non prius audiatur, quam scuta quatuor, expensarum nomine, Oratori refuderit; similique pœna mulctetur etiam, qui commissionibus semel transmissis, parte altera informante a propositione resiliverit, vel absque gravissimo impedimento dilationem postulaverit.

XX. Quilibet Procurator in quibuscumqne copiis decretorum, vel sententiarum, a quibus commissiones porriguntur, sicuti etiam instrumentorum, Testium depositionum, cæterorumque documentorum, et scripturarum, quas ipsi in eorum Summariis exhibebunt, apponant omnino distinctam, ac fidelem adnotationem diei, mensis, et anni, quibus singula acta celebrata fuerunt, alioquin absque spe remissionis consueta pœna scutorum quatuor, eidem Congregationi S. Ivonis applicanda, illico puniatur.

XXI. Caveant sollicite iidem Procuratores, ne in scribendo ab antiqua, et ubique laudata Romanæ Curiæ brevitate deflectentes, superflua, nimiumque litigantibus dispendiosa prolixitate utantur; si quis vero moderatæ mensuræ limites excesserit, condigne Tribunalis arbitrio puniatur.

XXII. In cæteris autem omnibus per supradicta decreta ordinatis, in quibus pœna specialiter non fuit adjecta, Procuratores, qui commiserint, consueta pœna scutorum quatuor alteri parti, si ex eorum culpa fuerit læsa, sin minus præfatæ Congregationi S. Ivonis applicanda, judicio ejusdem Tribunalis puniantur.

XXIII. Demum per præsentes provisiones nullum omnino præjudicium illatum sit omnibus, et singulis Edictis, alias per Eminentissimos Cardinales Præfectos pro tempore ejusdem Signaturæ Justitiæ promulgatis, quæ in quibuscumqe suis partibus, in quibus his decretis non adversentur, in suo integro robore, prout sunt de præsenti, plene remaneant.

Cumque sub die 24, Martii 1742. de omnibus supradictis decretis Eminentissimus, et Reverendissimus D. Cardinalis Præfectus relationem fecerit.

rit eidem SS. D. N. Sanctitas Sua benigne annuit, eadem approbavit, atque imprimi, publicari, et omnino servari mandavit.

Nerius Cardinalis Corsinus.

Jo. Baptista Constantinus Archivii Romanæ Curiæ Scriptor.

N. XXXI.

Constitutio Benedicti XIV. de Appellationibus, et Inhibitionibus concedendis, vel negandis.

Ad militantis Ecclesiæ regimen etc.

. . . .

Inhærentes itaque Decretis ejusdem Sacri Concilii, necnon Congregationis Episcoporum, et Regularium, jussu, et approbatione rec. mem. Clementis PP. VIII. Prædecessoris Nostri alias editis die XVI. Octobris MDC.; Itemque aliis Congregationis particularis, jussu pariter, et approbatione fel. rec. Urbani PP. VIII. similiter Prædecessoris Nostri, promulgatis die V. Septembris MDCXXVI., eorumque declarationibus nuper superadditis a piæ mem. Benedicto XIII. etiam Prædecessore Nostro in Appendice Concilii Romani, aliisque Apostolicis Constitutionibus, hac de re alias editis, et innovatis, et præsertim Constitutioni piæ mem. Gregorii XV., quæ incipit *Inscrutabili*, sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDCXXII. nonis Februarii: Districte præcipimus, et mandamus, ne deinceps ab exequutione Decretorum dicti Sac. Concilii Tridentini in omnibus illis causis, et negociis, in quibus exequutio hujusmodi Episcopis, et Locorum Ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicæ Delegatis, ab eodem Sacro Concilio, vel dictis Apostolicis Constitutionibus, appellatione, vel inhibitione quacumque postposita, commissa est, appellatio aliqua in Tribunalibus prædictis recipiatur, vel Inhibitiones, Citationes generales, vel speciales cum Commissione inserta, Monitoria, et alia hujusmodi, per quæ dictorum Decretorum exequutio retardetur, aut Processus ad ulteriora in eadem exequutione suspendatur, aut impediatur, quoquo modo concedantur.

Itaque a quibuscumque Mandatis, prohibitionibus, provisionibus, et statutis tam in Visitatione, quam extra pro Divino Cultu conservando, et augendo, et præsertim circa ea, quæ observanda, et evitanda sunt in celebratione Missæ, aut alio quovis modo respiciunt exequutionem Decreti Sac. Concilii *sess.* 21. *de Refor. cap.* 8., *et sess.* 22. *in Decret. de observ.*, *et evit. in celebrat. Miss.*

Item a Decretis cogentibus Clericos tam Seculares, quam Regulares etiam Monachos, et exemptos ad publicas Processiones, servata tamen forma Constitutionis san. mem: Pii V., quæ incipit *Et si mendicantium*; prout etiam a Decretis, et provisionibus super præcedentia inter Personas Ecclesiasticas tam Seculares, quam Regulares in eisdem Processionibus, vel associatione Defunctorum, delatione Umbellæ, et hujusmodi: necnon super obser-

observatione Censurarum, etiam Episcopalium, et Festorum Diœcesis, juxta dispositionem ejusdem Sacri Concilii *sess.* 25. *de Regular. cap.* 12. *& cap.* 13.

Item in omnibus iis, quæ ad curam Animarum, Sacramentorum administrationem quoquo modo pertinent, et præsertim adversus Monitiones, Censuras, aut alias provisiones, per quas Parochi, aut alii Curam Animarum exercentes, diebus saltem Dominicis, et Festis solemnibus Plebes sibi commissas salutaribus verbis pascere compellantur, docendo ea, quæ ad salutem necessaria sunt juxta Decretum Sacri Concilii *sess.* 5. *de Reformat. cap.* 2.

Item adversus deputationem Vicariorum etiam perpetuorum, cum assignatione Congruæ, per quos Cura Animarum exerceatur, quoties plura Beneficia Curata ex Dispensatione Apostolica ab aliquo obtineantur: Vel quoties eadem Beneficia Curata Cathedralibus, Collegiatis, seù aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, seù Collegiis, aut piis Locis quibuscumque perpetuò unita, et annexa reperiuntur juxtà præscriptum dicti Sacri Concilii *sess.* 7. *de Reform. cap.* 5. *et cap.* 7., et juxtà Constitutionem san. mem. Pii V. quæ incipit = *Ad exequendum*.

Item adversus Visitationem Beneficiorum Curatorum, ut supra perpetuò unitorum, nec non quarumcumque Ecclesiarum quomodolibet exemptarum, proùt etiam adversus Decreta, et provisiones ab Ordinario capiendas, ut quæ in eis reparatione indigent, reparentur, et Cura Animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minimè defraudentur, juxtà dispositionem Sacri Concilii eadem *sess.* 7. *de Reform. cap.* 8., *et sess.* 21. *cap.* 7:

Item à Decretis, seù Mandatis, per quæ Episcopi, etiam uti Apostolicæ sedis Delegati, in Ecclesiis Parochialibus, aut Baptismalibus, in quibus Populus ità numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, et Cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, et Cultum Divinum celebrandum: Aut etiam invitis Rectoribus procedant ad constitutionem novarum Parochiarum cum assignatione competentis portionis, ubi ob locorum distantiam, sivè difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, et Divina Officia audienda accedere non possunt; Vel denique propter paupertatem, et in cæteris casibus à jure permissis deveniunt ad uniones perpetuas aliorum Beneficiorum simplicium, non tamen Regularium, juxtà dispositionem Sacri Concilii *sess.* 21. *de Refor. cap.* 4. *et cap.* 5. *et sess.* 24. *similiter de Reform. cap.* 13.

Item à deputatione Coadjutorum, aut Vicariorum pro tempore, vel aliis provisionibus ab Episcopo capiendis, etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegato, quando illiterati, et imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores sacris minus apti sunt officiis, cum assignatione partis fructuum pro sufficienti illorum victu: Necnon à suspensione, atque etiam a privatione illorum, qui turpiter, et scandalose vivunt, et postquam præmoniti sunt, in sua nequitia incorrigibiles perseverant, juxta præscriptum ejusdem Concilii *de sess.*21. *de Reform. cap.*6.

m Item

Item a translatione Beneficiorum simplicium, etiam Jurispatronatus, ex Ecclesiis, quæ vetustate, vel alias collapsæ sint, et ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in Matrices, aut alias Ecclesias cum omnibus emolumentis, et oneribus: Prout etiam a Decretis cogentibus Patronos, Rectores, Beneficiatos, aut Parochianos, sive Populum ad refectionem, et instaurationem Ecclesiarum Parochialium, servata forma Sacri Concilii *d. sess.* 21. *cap.* 7.

Item a censuris, sequestratione, et subtractione fructuum, aut aliis quibuscumque provisionibus, pro cogendis ad residentiam Parochis, cæterisque omnibus, quibus Cura Animarum incumbit, juxta Decretum ejusdem Sacri Concilii *sess.* 23. *de Reform. cap.* 1.

Item a denegatione, revocatione, suspensione, vel restrictione, et limitatione facultatis audiendi Confessiones respectu eorum, qui Parochiale Beneficium non obtinent, etiam si fuerint Regulares pro excipiendis Confessionibus Secularium, juxta ordinationem Sacri Concilii *sess.* 23. *cap.* 15., et Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, ac præcipuè illam fel. rec. Clementis X., quæ incipit *Superna*.

Item in illis Civitatibus, aut Locis ubi vel Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium Populum, quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant, vel etiam nullæ sunt Parochiales, a divisione, seu distinctione Parochiarum, earumque ordinatione, sive institutione in titulum perpetuum, juxta Decretum Sacri Concilii *sess.* 24. *de Reform. cap.* 13.

Item a deputatione Vicarii, vel Œconomi cum assignatione Congruæ pro tempore, quo vacat Ecclesia Parochialis: Prout etiam ab indictione Concursus, relatione Examinatorum, nec non præelectione, et provisione Episcopi in eodem Concursu juxta definitionem Sacri Concilii eadem *sess.* 24. *de Reform. Cap.* 18.

Item a Mandatis, seu Decretis inhibentibus prædicationem, vel publicas lectiones, aut coercentibus, vel punientibus quoscumque etiam exemptos tam Seculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis quæ suorum Ordinum non sunt absque Episcopi licentia, et in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum non petita illius benedictione, aut ipso contradicente prædicare præsumpserint juxta Decretum Sacri Concilii *sess.* 5. *de Reform. cap.* 2., *&* *sess.* 24. *similiter de Reform. cap.* 4., et Constitutionem piæ mem. Gregorii XV., quæ incipit *Inscrutabili* §. *fin.* Una cum declarationibus contentis in Constit. Clementis PP. X. quæ incipit *Superna*.

Et generaliter in omnibus iis, quæ pertinent ad Curam Animarum, et rectam Sacramentorum administrationem adversus visitationem, correctionem, coercitionem, et quascumque alias provisiones Episcopi Diœcesani, etiam quoad exemptos, sive Seculares, sive Regulares juxta laudatam Constitutionem Gregorii XV., quæ incipit *Inscrutabili*.

Item adversus quascumque Provisiones, et Decreta pro conservanda aut restituenda clausura Sancti-Monialium, aut pro correctione, seu punitione eorum, qui circa Personas intra Monasteria degentes, aut circa Clausuram, vel circa Bonorum administrationem deliquerint. Prout etiam ab exami-

mine pro approbatione, vel reprobatione Confessariorum sive Regularium, sive Secularium quomodocumque exemptorum, et tam Ordinariorum, quam Extraordinariorum pro excipiendis Confessionibus Monialium, etiam Regularibus subjectarum: Itidemque a Decretis, vel aliis quibuscumque provisionibus cogentibus Administratores sive Seculares, sive Regulares quomodolibet exemptos ad reddendam singulis annis rationem Bonorum ad Monasteria Sancti-Monialium hujusmodi pertinentium: ac demum a quibuscumque Decretis super amotione Capellanorum, Sacristarum, et aliorum quorumcumque Officialium, et Ministrorum tam Sæcularium, quam Regularium ipsis Monialibus, vel eorum Ecclesiis inservientium, juxta dispositionem Sacri Concilii *sess.* 25. *de Regular.*, *et Monial. cap.* 5. *cap.* 9., *et cap.* 10. servata tamen quoad Regulares, et exemptos forma prædictæ Constitutionis rec. mem. Gregorii XV., quæ incipit *Inscrutabili*.

Item adversus pastoralem Visitationem Diœcesis, et præsertim Monasteriorum Commendatorum, Abbatiarum, Prioratuum, et Præpositurarum, in quibus non viget Regularis observantia, nec non Beneficiorum tam Curatorum, quam non Curatorum, Secularium, et Regularium qualitercumque commendatorum, etiam exemptorum: Prout etiam ab exequutione eorum, quæ in ipsa Visitatione mandata, decreta, aut judicata fuerint: Necnon similiter a quibuscumque Decretis, et Provisionibus etiam extra Visitationem pro Conservatione, vel reparatione Ecclesiasticæ Disciplinæ quoad vitam, mores, et honestatem quorumcumque Clericorum luxum, comessationes, choreas, lusus, crimina, et sæcularia negocia fugienda, atque evitanda juxta plura Decreta dicti Sacri Concilii, et præsertim *sess.* 6. *de Reform. cap.* 4. *sess.* 13. *cap.* 1. *sess.* 14. *cap.* 4. *sess.* 21. *cap.* 8. *sess.* 22. *cap.* 1., *et cap.* 8., *et sess.* 24. *cap.* 10. ad formam tamen Decretorum Sac. Congregat. Episcoporum de mandato san. mem. Clementis VIII. editorum ann. MDC.

Item a Decretis cogentibus Præsentatos electos, vel nominatos a quibusvis Ecclesiasticis Personis, etiam Nostris, et Sedis Apostolicæ Nunciis ad quævis Ecclesiastica Beneficia, ad se subiiciendum examini Ordinarii, antequam instituantur, confirmentur, vel admittantur, quemadmodum cavetur *sess.* 7. *de Reformat. eap.* 13..

Item a denegatione Sacrorum Ordinum, vel adscensus ad alios Majores; prout etiam adversus suspensionem ab Ordinibus jam susceptis ob crimen occultum, sive ex informata conscientia juxta dispositionem Sacri Concilii *sess.* 14. *de Reform. cap.* 1. *et cap.* 3. *et sess.* 21. *cap.* 1. *et sess.* 23. *cap.* 16.

Item a præfixione termini, intra quem Regularis Episcopo non subditus qui intra Claustra Monasterii degat, et extra ea ita notorie deliquerit, ut Populo scandalo sit, a suo Superiore puniri debeat, ac de punitione ipse Episcopus certior fieri juxta Decretum Sacri Concilii *sess.* 25. *de Regular. cap.* 14. et Constit. fel. recor. Clementis PP. VIII., quæ incipit, = *Suscepti muneris* Nec non adversus punitionem, et correctionem eorumdem Regularium, qui circa Personas intra septa degentes, aut circa Clausuram ipsam deliquerint juxta prædictam Constitutionem Gregorii XV.. quæ incipit = *Inscrutabili*:

Item a Censuris, aut aliis provisionibus contra Concubinarios, et præser-

m 2

sertim Clericos etiam retinentes domi, aut extra Mulieres suspectas juxta præscriptum Sacri Concilii *sess. 24. de Refor. Matrim. cap. 8. et sess. 25. de Reform. cap. 14.*

Item adversus privationem Privilegii Fori, et alias Provisiones contra Clericos non incedentes in habitu, et tonsura, et in aliis casibus a Sacro Concilio præscriptis *sess. 14. de Reform. cap. 6. et sess. 23. similiter cap. 6.* Prout etiam ab examine, approbatione, vel reprobatione Patrimonii Sacri, pensionis Ecclesiasticæ, aut Beneficii quoad Clericos promovendos ad Sacros Ordines juxta dispositionem ejusdem Concilii *sess. 21. de Reform. cap. 2.*

Item adversus convocationem Capituli, quam faciat Episcopus ad aliquid deliberandum, et juxta vota ipsorum Capitularium concludendum, quoties de re ad suum, vel suorum commodum spectante non agatur juxta Decretum Sacri Concilii *sess. 25. de Ref. cap. 6.*

Item a Mandatis, seu Decretis super conversione tertiæ partis fructuum et quorumcumque proventuum, et obventionum tam Dignitatum, quam Canonicatuum, Personatuum, portionum, et officiorum in distributiones quotidianas, earumque divisione inter Dignitates obtinentes, et cæteros Divinis interessentes, in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones hujusmodi quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, juxtà Constitutionem ejusdem Concilii *sess. 21. de Reformat. cap.3. & sess.22. similiter de Reformat. cap. 3.*

Item adversus exercitium facultatum Episcopis competentium super executione omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos in casibus a Jure concessis, juxta dispositionem Sac. Concilii *sess. 22. de Reformat. cap.8.*

Item à Visitatione Hospitalium, Collegiorum quorumcumque, et Confraternitatum Laicorum, Eleemosynarum, Montium Pietatis, sivè Charitatis; et omnium Piorum Locorum quomodocumque nuncupatorum, etiamsi eorum cura ad Laicos pertineat, aut exemptionis Privilegio sint munita: Ac denique à cognitione, et exequutione eorum omnium, quæ ad Dei cultum, aut Animarum salutem, seu Pauperes sustentandos instituta sunt juxta dictum Decretum Sacri Concilii *sess. 22. de Ref. cap. 8.*

Item à Decretis, seù Mandatis cogentibus Administratores tàm Ecclesiasticos, quàm Laicos, etiam exemptos Fabricæ cujusvis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosynæ, Montis Pietatis, et quorumcumque Piorum Locorum ad reddendam singulis annis ipsi Ordinario rationem suæ administrationis, nisi aliud institutione, et ordinatione talis Ecclesiæ, seù Fabricæ expressè cautum fuerit, juxta Decretum Sac. Concilii *sess.7. de Reform. cap. 15. & sess. 22. cap.9. & sess.25. cap.8.*

Item à Decretis compellentibus Notarios etiam Apostolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creatos, et Scribentes in Causis Ecclesiasticis, vel Spiritualibus ad se subiiciendum examini: Eorumque remotione, vel suspensione in casu delicti, vel imperitiæ, juxta præscriptum Sacri Concilii *d. sess. 22. cap. 10.*

Item ab erectione Seminarii, et taxatione quorumcumque Dignitatum Personatuum, Officiorum, Præbendarum, Portionum, Abbatiarum, et Prio-

Prioratuum cujuscumque Ordinis etiam Regularis, Hospitalium, quæ dantur in titulum vel administrationem, et Beneficiorum quorumcumque etiam Regularium etiam Jurispatronatus, etiam exemptorum, etiam nullius Diœcesis, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, et aliis quibusvis Locis piis etiam exemptis annexorum, ac quorumcumque aliorum Ecclesiasticorum reddituum, seu proventuum ad Fabricas Ecclesiarum Confraternitates, et Monasteria omnia, non tamen Mendicantium, pertinentium; Nec non Decimarum quacumque ratione ad Laicos, atque etiam Milites cujuscumqne Militiæ, aut Ordinis, Hierosolymitano excepto, spectantium pro ejusdem Seminarii manutentione: Proùt etiam ab unione, et applicatione aliquot Beneficiorum simplicium, nec non a Decretis cogentibus eos, qui Scholasterias obtinent, vel quibus Lectionis, vel Doctrinæ munus est annexum ad docendum per se ipsos, vel idoneos Substitutos, et generaliter à Mandatis, et provisionibus, quæ quoquo modo respiciunt Curam, directionem, et administrationem Seminarii, plenamque exequutionem Decreti, editi à Sacro Concilio super Collegio Puerorum in singulis Cathedralibus instituendo *sess.23. de Refor. cap.* 18.

Item à Mandatis, seù Decretis cogentibus Œconomos, Vicarios Capitulares ad reddendam rationem Administrationis per eos gestæ Sede Episcopali vacante juxta præscriptum Sacri Concilii *sess. 24. de Refor. cap.*, 16.

Item â comminatione excommunicationis à Jure latæ, et à Sententia excommunicationis latæ ab homine, suspensionis, et interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis: Et è converso à Sententia absolutionis ab eisdem Censuris Ecclesiasticis: Et generaliter ab executione aliorum quorumcumque Decretorum d. Sacri Concilii Tridentini Episcopis, atque Ordinariis locorum demandata ab ipso Concilio, et in Constitutione fel. rec: Pii PP. IV. quæ incipit = *Benedictus Deus*.

Volumus, præcipimus, et mandamus, quod ab Archiepiscopis, Patriarchis, seù Primatibus, aliisque Judicibus Ecclesiasticis, etiam nostris et Sedis Apostolicæ Nunciis, vel de latere Legatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, atque etiam Cameræ nostræ generali Auditore, *Signaturæ Præfecto*, cæterisque Judicibus Romanæ Curiæ, eorumque Vicariis, et Officialibus, Citationes generales, vel speciales cum Commissione inserta, Monitoria, et alia hujusmodi cum inhibitione, per quam exequutio Decretorum, Mandatorum, et Provisionum hujusmodi retardetur, suspendatur, aut impediatur, minimè concedantur, et quatenùs nunc, aut inposterum concessa fuerint, nullatenùs inhibeant, atque ab Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis impunè sperni possint, quacumque Cousuetudine etiam immemorabili, vel quovis Privilegio, aut stylo concedendi Inhibitiones in Causis prædictis, tametsi temporarias, penitus exclusis. Nos enim Citationes, et Monitoria, aliter quàm ut præfertur, concessa, vel inposterum concedenda, nulla atque irrita declaramus, et pro nullis, atque irritis haberi volumus, et mandamus: Decernentes, quod adversus Decreta, Mandata, et Provisiones ejusmodi, quas, vel quæ ab Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis fieri, vel capi contigerit in Causis, et negotiis prædictis, vel simplex dumtaxat, et extrajudicialis recursus per viam supplicis libelli, ad Nos

et

et Successores nostros Romanos Pontifices, vel respectivè, et juxtà Causarum naturam, et qualitatem appellatio ad quos de Jure in solo devolutivo, et sine retardatione, vel præjudicio legitimæ exequutionis recipi, et admitti possit.

Quoniam vero in hisce ipsis negotiis, et causis, in quibus Inhibitiones Canonicam exequutionem impedientes, aut suspendentes concedi non debent, dari possunt casus, qui per ipsum Sacrum Concilium Tridentinum, vel juxta ejus Mentem per Apostolicas Constitutiones, et Sacrarum Congregationum declarationes, aut communem Doctorum Sententiam, a præfata generali regula de non concedendis Inhibitionibus eisque posthabendis, excipiuntur, quique ut plurimum non aliter quam prudenti Judicis arbitrio secundum particulares facti circumstantias æstimari possunt: Hinc Nos, ne sub ejusmodi prætextu Inhibitiones, ut supra prohibitæ, vulgò, et sinè ullo delectu etiam in Casibus non exceptis concedantur, statuimus, et mandamus, quod in dictis Causis, et negociis superius expressis Metropolitani, Patriarchæ, Primates, alijque Judices prædicti, et præsertim Cameræ nostræ generalis Auditor, ejusque Locumtenentes, et *Signaturæ Justitiæ Præfectus*, *ejusque Auditor*, ad quos in contingenti casu pro obtinenda Inhibitione recursum haberi contigerit, etiamsi asseratur, casum illum a Sac. Concilio, vel Apostolicis Constitutionibus quacumque de Causa exceptum esse: Nihilominus literas Citatorias vel Monitoria cum Inhibitione hujusmodi non concedant, nisi prius ex facti circumstantiis in supplici libello a Parte recurrente clarè, ac dilucidè exponendis, et cum aliquo documento semiplene saltem verificandis, eisdem summariè apparuerit, casum illum esse de exceptis, et propterea Episcopo, vel Ordinario Loci inhibendum esse, nè ad ulteriora procedat; Tunc enim, et non aliàs, et postquam ipsi Judices, quorum conscientiam hac in parte oneramus, super dicto supplici libello manu sua rescripserint, quod Inhibitio concedi potest, libellusque cum rescripto ejusmodi in actis productus fuerit, diligenter ibidem custodiendus, et asservandus, liceat eorum Notariis sive Actuariis literas Citatorias cum dicta Inhibitione expedire, et Parti recurrenti tradere, ita tamen, ut in earum calce expresse adiiciatur sequens clausula = *Nos enim attentis Juribus, et supplici libello Nobis præsentatis, atque in Actis exhibitis, sic ut præfertur, inhibendum esse speciali Rescripto mandavimus* = Aliàs literæ ejusmodi sine tali clausula nullam vim inhibendi habeant in casibus prædictis. Et nihilominùs si Notarij sine dicto speciali Rescripto super supplici libello, aut sine productione illius in Actis, aut sine prædicta clausula, Citationes ullas, aut Monitoria cum inhibitione sub quocumque prætextu, seu colore expedire, ac tradere præsumpserint, etiamsi illæ, aut illa à Judice subscripta fuerint, pænam infamiæ, et perpetuæ inhabilitatis ad officium Notarii in Causis Ecclesiasticis exercendum, et quoad illos Cameræ Nostræ generalis Auditoris, aut aliorum Romanæ Curiæ Judicum superius expressorum; etiam quinquaginta ducatorum auri de Camera, pro una medietate Cameræ Nostræ Apostolicæ, et pro alia ipsi Parti recurrenti, et in causa interesse habenti, sin minus alicui ex Locis Piis arbitrio Nostro, Nostrorumque Successorum destinando applicandam, ipso facto incurrant.

Ad

Adeò similiter inhærentes dispositioni ejusdem Sacri Concilii *sess.* 7. *de Reform. cap.* 14., *&* *sess.* 14. *cap.* 5., necnon etiam decreto piæ mem. Benedicti XIII. hac in re promulgato inter ejus additiones ad decreta Urbani PP. VIII. in appendice ad Concilium Romanum volumus, et mandamus, quod Clerici Seculares, aut Regulares extra Monasterium degentes quomodolibet exempti in Civilibus Causis Mercedum, et miserabilium Personarum, etiamsi certum Judicem à Sede Apostolica deputatum in partibus habeant: In aliis vero, si ipsum Judicem non habuerint, coram Locorum Ordinariis, tanquam ab ipsa Sede delegatis, conveniri in prima instantia, et Jure medio ad solvendum debitum cogi possint.

Quo vero ad Personas non exemptas inhærendo similiter dispositioni ejusdem Sacri Concilii *sess.* 13. *de Reform. cap.* 1., *et sess.* 22. *cap.* 7. *et sess.* 24. *cap.* 20. nec non supradictis Decretis generalibus Congregationis Episcoporum editis anno 1600. cum novissimis additionibus, seu declarationibus piæ me. Benedicti XIII. in Appendice Concilii Romani: Volumus, statuimus, et mandamus, quod Causæ omnes tam Civiles, quam Criminales ad Forum Ecclesiasticum pertinentes, exceptis Privilegiatis, quæ ex eodem Concilio, vel alias juxta Canonicas Sanctiones apud Nos, et Sedem Apostolicam tractari possunt, aut debent, coram Ordinariis Locorum dumtaxat, in prima Instantia cognoscantur, neque a Metropolitanis, Patriarchis, aut Primatibus, aliisque Judicibus Ecclesiasticis, etiam Nostris, et Sedis Apostolicæ Nuntiis, vel de latere Legatis, aut Cameræ Nostræ generali Auditore, et cæteris quibuslibet Curiæ nostræ Iudicibus ad se avocari, vel aliis committi possint, nisi per viam legitimæ appellationis, et in casibus ut supra non prohibitis ad ipsorum Tribunalia deferantur. Appellationes autem non recipiantur, neque inhibitiones vigore illarum concedantur, nisi prius constiterit, quod nedum per legitimam Personam, et intra legitima tempora vere appellatum fuerit; sed etiam quod appellatum fuerit a Sententia definitiva vel habente vim definitivæ, aut à gravamine, quod per definitivam Sententiam reparari non possit: Idque per publica Documenta, quæ realiter in Actis exhibeantur; Tunc enim, et non anteà Iudici, ad quem appellatum fuerit, in Causa se intromittere, citationes, et inhibitiones concedere liceat, dummodo tamen concedantur cum inscriptione tenoris Sententiæ, aut Decreti definitivi, seu vim definitivi habentis, vel damnum per difinitivam irreparabile inferentis; Aliàs citationes, inhibitiones, Processus, et inde sequuta quæcumque sint, ipso Iure nulla, atque impune sperni possint.

Quod si appellans asserat Sententiæ, aut Decreti exemplum authenticum culpa Judicis à quo, vel Notarii, sivè Actuarii habere non posse, tunc saltem copiam simplicem Sententiæ, seu Decreti in Actis producere teneatur, ejusque tenore in literis Inhibitorialibus inserto, adijcienda erit, prout adiji volumus, et mandamus, in earum corpore expressa conditio *Quatenus tamen tenor insertus vere, et in substantialibus cum Originali concordet, eidemque Originali præsentes literæ sint in tempore posteriores, alioquin nullæ, et irritæ censeantur*: Et, si secus factum fuerit, inhibitiones aliter concessæ nullatenus afficiant, et Notarii, sive Actuarii, qui illas expedi-

ve-

verint, incidant in pœnas superius expressas. Cum vero a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, appellatum fuerit, si quidem res sit de carceratione jam sequuta cum Mandato verbali, non aliter expediri poterunt Inhibitiones vigore Appellationis, quam constito prius de ipsa carceratione per depositionem saltem duorum testium. Interim tamen Appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, donec aliter ser. ser. judicatum fuerit: Ubi vero agatur de censuris jam prolatis, vel de comminatione Carcerationis, Torturæ, aut Censurarum observetur omninò dispositio dictorum Decretorum Congregationis Episcoporum sub rec. mem. Clemente VIII., juxtà additiones, et declarationes piæ mem. Benedicti XIII.

Ulterius in prædictis Causis in prima Instantia pendentibus, vel aliis superius expressis, in quibus non admittitnr appellatio in suspensivo, citationes, quæ expediri solent coram *Cardinali Signaturæ Justitiæ Præfecto*, vel ad effectum comparendi, vel pro adeundo eamdem *Signaturam*, tametsi ab ejus Auditore subscriptas, vim inhibendi nullatenùs sortiri posse volumus, easque ad prædictos alios dumtaxat effectus, comparendi scilicet, vel adeundi Signaturam expeditas censeri, non autem ad retardandam exequutionem, vel suspendendum Processum ad ulteriora.

Denique quoad Causas privilegiatas, quæ, ut præfertur, in prima etiam Instantia apud Nos, et Sedem Apostolicam tractari possunt, nihil ex antiquo mutandum esse volumus, sed Monitoria in illis coram Cameræ nostræ generali Auditore, vel ejus Locumtenentibus, proùt hactenus laudabiliter observatum est, expedienda esse juxta præscriptum Apostolicarum Constitutionum, et præsertim fel. rec. Pauli V. prædecessoris nostri in Constit. quæ incipit = *Universi* = necnon prædictarum additionum, et declarationum Benedicti XIII., exceptis tamen Monitoriis intimandis ultra Montes, in quibus ad evitanda scandala, et litigantium incommoda, volumus omninò renovari, et observari stylum, qui olim in eo Tribunali vigebat, idest quod ad ejusmodi Monitoriorum expeditionem non aliter procedatur, quàm oblato prius ipsi Auditori, vel alteri ex ejus Locumtenentibus, coram quo Monitorium expediendum erit, supplici libello universam facti speciem clarè, et dilucidè continente, et prævio etiam ejusdem Judicis rescripto, quod Monitorium expediri possit, penès Causæ Notarium, vel Actuarium, diligenter custodiendo. Et si aliter quàm præfertur, et absque dicto supplici libello, ac speciali Judicis rescripto dicta Monitoria ultra Montes intimanda expedita fuerint, Notarius sive Actuarius, et Substitutus, qui illa expediverit, ipso facto incidat in pœnas superius expressas.

Omnia, et singula hactenus a Nobis disposita ad rectam Judiciorum methodum restituendam eò impensius ab omnibus exactè custodiri, et observari mandamus, quo clarius constat, hac nostra Constitutione non novas ferri, sed antiquas instaurari leges providè, sapienterque institutas, et temporum injuria, ac hominum fraude absoletas, et novo Pontificiæ authoritatis præsidio communiri ordinem procedendi in Causis jamdiù præscriptum Superioribus, et Inferioribus Tribunalibus à Sacra Tridentina Synodo, Congregationum Decretis, et Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, aliisque Ordinationibus Apostolicis; Ideoque si ipsi Judi-

Judices, omni semoto, ut par est, humanæ cupiditatis affectu, præ oculis solum habuerint, quæ tam maturo, tamque saluberrimo sunt constituta, et ordinata consilio facilè eorum quilibet agnoscet, quæ sui, et quæ alieni Ministerii partes esse debeant in admittendis, ac respectivè reijciendis Causarum Appellationibus, et Inhibitionibus: Atque ita fiet, ut non solum unicuique in suo ordine debita Jurisdictionis, et authoritatis prærogativa servetur; Sed etiam ut, extinctis prorsus, ac radicitus avulsis omnium contentionum, et discordiarum seminibus, mutuo charitatis vinculo Tribunalia socientur, et inter illa rectè agendi disciplina Christiano Populo utilis, et necessaria restituatur.

Demum ut exemplo Nostro, Omnes præmissorum executioni cautè, et pro viribus incumbant, et ut præsertim Notariis, Tabellionibus, et eorum Actuariis, et Substitutis omnis contraveniendi ansa præcidatur, volumus, et expresse mandamus, Processus, et Acta Causarum in Nostra Romana Curia coram quovis Judice pendentium, ac Inhibitiones, Appellationes, Monitoria, aliasque Citatoriales, et Inhibitoriales literas, quas ab iisdem Notariis, eorumque Substitutis, scientibus, vel insciis Judicibus, vel aliàs quomodolibet in posterum expediri contigerit, sedulò recognosci, et examinari per fide dignas Personas à Nobis opportunè deputandas, quæ si deprehenderint, easdem Inhibitiones contra hujus Constitutionis formam, et ad subterfugienda Ordinariorum, et Episcoporum judicia, quæsito gravaminis colore fuisse perperam concessas, et expeditas, in eosdem Notarios et Substitutos Canonicis pœnis, aliisque à Nobis supra expressis, severè pro modo culpæ animadvertant.

Decernentes has præsentes literas etc. . . . . .

. . . .

Non obstantibus etc.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem tertio Kal. Aprilis anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo secundo Pontificatus Nostri anno secundo.

N. XXXII.

Declarationes ad nonnulla ex Decretis per Collegium Signaturæ Justitiæ editis, et evulgatis sub die 3. Aprilis 1742.

Nerius Tit. S. Eustachii S. R. E. Diaconus Cardinalis Corsinus Signaturæ Justitiæ SS. D. N. Papæ Præfectus.

I. QUum pro recta, et celeri justitiæ administratione, ac ad consulendum insimul Curiæ, et Litigantium commoditati nuper sub die 3. Aprilis proximè præteriti per Signaturæ Justitiæ Collegium cum speciali approbatione Sanctissimi D. N. Papæ Benedicti XIV. feliciter Regnantis, plura edita, et evulgata fuerint salubria Decreta, a quibus salu-

luberrimos quoque effectus hactenus promanasse, dignoscatur, nihilominus, ut facilior via sternatur justitiæ administrationi, quum expediens nobis visum fuerit, etiam ex unanimi sensu ejusdem Collegii nonnulla ex illis declarare, atque explicare; idcirco facto verbo cum Sanctissimo D. N. Benedicto XIV. ac de illus vivæ vocis oraculo declaramus, et explicamus, ac respectivè præcipimus, et mandamus.

II. Quod Supersessoriæ, et prorogationes in secundo ex dictis Decretis designatæ ad 15. dies, per D. nostrum Auditorem juxta antiquam praxim relativè ad Signaturas concedantur; curet tamen idem D. Auditor, inhærendo nostrorum Prædecessorum Edictis, unam tantum Supersessoriam, et prorogationem pro cujuslibet causæ propositione concedere; etsi ex legitima, et urgentissima ratione, cujus cognitionem ejus vigilantiæ committimus, pro alia prorogatione instantiam recipere, quandoque compellatur, ulteriores citationes non attendantur, nisi ab eo fuerint præventivè subscriptæ, et signatæ cum *poterit legi*; ac ad evitandas obreptitias circumventiones, quibus inter assiduas sui muneris curas subesse fortasse posset, addatur insuper per eumdem specialis expressio sequentis clausulæ, pro *prima* vel *secunda vice*, juxta numerum prorogationum extra ordinem petitarum, et citationes tali modo ab eo signatæ afficiant, et attendi debeant, absque necessitate triplicis subscriptionis, in dicto secundo Decreto præscriptæ. Sin autem, vel non fuerint ita subscriptæ, vel cum subdola, et minus vera expressione enunciati numeri, attendi nullatenus mereantur, et possint impunè sperni absque vitio attentatorum.

III. Quod transmissio Commissionum in tertio Decreto præfixa per tresdecim dies ante diem Signaturæ, nempe per totam diem Veneris antecedentis Hebdomadam, in qua statuta reperitur distributio Informationum, deinceps fieri debeat per solos decem dies ante, nempe die Lunæ hebdomadæ præcedentis Signaturam, ac per eosdem decem dies inhibeat, propositio autem intimetur die sequenti post transmissionem, scilicet die Martis.

IV. Quod facultates concessæ D. Auditori in XII. Decreto remittendi causas appellabiles ad eumdem Judicem, ut iterum audiat, intelligantur tantummodo concessæ pro illis Sententiis, seu definitivis Decretis emanatis per contradictas, dummodo tamen non transierint in auctoritatem rei judicatæ, nec mutata sit persona Judicis.

V. Quod aliæ facultates eidem D. Auditore attributæ in XIV. Decreto concedendi, scilicet, per sua decreta Appellationem in quibusdam Causis, in quibus ea de stylo a Signatura concedi solet, firme remaneant, præterquam quoad causas liquidationis fructuum, damnorum, et expensarum, et redditionis rationum, in quibus moderatæ, et abrogatæ censeantur.

V. Cætera vero sancita, et præscripta tam in iisdem ita declaratis Decretis, quam in reliquis aliis, inviolabilia, et intacta remaneant, ac undique observari præcipimus, atque mandamus. Datum Romæ ex Palatio nostræ residentiæ hac die 26. Septembris 1742.

N. Cardinalis Præfectus.

B. Cincius Auditor.

Jo. Baptista Constantinus Archivii Rom. Curiæ Scriptor.

N. XXXIII.

N. XXXIII.

Constitutio Benedicti XIV. super Reformatione Tribunalium Urbis.

Romanæ Curiæ præstantiam etc.

. . . .

Cum autem, et diuturno nostro rerum forensium usu, et crebris gravium Virorum relationibus, et querelis, compertum haberemus, nonnullos abusus in judiciali praxi Tribunalium hujus Nostræ Urbis, et Curiæ invectos esse, quibus et Justitiæ cursum interverti, aut saltem retardari, et litigantium dispendia magnopere augeri contingeret, illasque potissimum controversias in longum sæpe protrahi, quæ circa Judicum, et Tribunalium competentiam, eorumque recusationes declinationesque versarentur; Cumque jam commendata singulis Tribunalibus earum rerum reformatione, quæ in ipsorum potestate erant, eaque sedulo ab ipsis peracta, satis agnoverimus, memorata incommoda non omnia posse privata Judicum, sive Tribunalium auctoritate submoveri; ad ampliorem atque absolutiorem Judiciorum reformationem, supradictorum Prædecessorum exemplo, deveniendum Nobis esse judicavimus.

Quamobrem prædictorum omnium abusuum cognitionem delegavimus peculiari Congregationi a Nobis deputatæ, duobus nempe S. R. E. Cardinalibus, ac septem Romanæ Curiæ Prælatis in præcipuis ejusdem Curiæ Tribunalibus actu jus dicentibus; quæ quidem Congregatio serio studio, longaque indagine, relatos abusus notavit, atque recensuit, et providis efformatis decretis, opportuna Nobis remedia suggessit, ex quibus aliqua, quæ statim approbatione digna judicavimus, statim quoque auctoritate Nostra publicari jussimus, et observari. Reliqua verò maturiori examini subjecta diuturna consideratione, rerum, ac temporum opportunitati aptare studuimus illaque cum iisdem fere, aliisque Viris in juris scientia, et justitiæ administratione apprime versatis, Ministris Nostris, necnon cum aliquibus ejusdem Curiæ Nostræ Causidicis, Forensi facultate doctrinaque præstantibus, communicata; tandem hac nostra Constitutione perpetuæ legis vim habitura, promulgamus, edicimus, atque sancimus.

Ac primum omnium Iurisdictionem Iudicum, et Tribunalium Romanæ Curiæ, quorum auctoritas a Nostra, et Romani, pro tempore Pontificis auctoritate profluit, nostroque, et Pontificio nomine exercetur, sartam tectam servari, ac debita veneratione ab omnibus observari cupientes, Apostolicas Nostras Literas *De non impedienda executione Citationum, Mandatorum, aliarumque Provisionum Romanæ Curiæ, seu Sedis Apostolicæ*, datas Anno MDCCXLII. tertio Kalendas Aprilis, quarum initium est *Pastoralis Regiminis*, omnesque ordinationes, ac dispositiones in illis contentas, pœnas quoque adversus quoscumque prædictam executionem impedientes in eisdem comminatas atque statutas, cum cæteris præceptis, atque mandatis,

ac si prædictæ Literæ per extensum præsentibus insererentur, confirmamus, innovamus, ac de novo statuimus.

Et quamvis post earundem Literarum Nostrarum publicationem, delatis ad Nos quorundam conquæstionibus, et præsertim ex Provincia Nostra Romandiolæ super abusu Citationum Typis Cameralibus impressarum, quæ vulgo Citationes Camerales nuncupantur; propterea quod a nemine ex Iudicibus Romanæ Curiæ subscribi, seu firmari soleant, et nihilominus post legitimam earum exequutionem inhibendi vim habere dicerentur; Nos tunc, ut in re gravi caute, maturèque procederemus, per quasdam Literas Secretariæ Nostræ Status nuncupatæ provisionaliter declarari fecerimus, Citationes hujusmodi a nullo ex Iudicibus Romanæ Curiæ propria manu subscriptas, in prædicta nostra Constitutione minimè comprehendi: Postea tamen universo negocio occasione præsentis Reformationis diligentissimè discusso, cum Nobis constiterit, usum prædictarum Citationum nedum doctorum hominum suffragiis, sed etiam pervetusta, et nunquam aliàs interrupta tum Romanæ Curiæ, tum ipsius Provinciæ Romandiolæ, atque aliarum Status Nostri Ecclesiastici Provinciarum observantia comprobari; et quatenus specialis subscriptio in eis indistinctè exigeretur, non modicum inde damnum, ac dispendium in Subditos, atque Incolas earundem Provinciarum fore profecturum. Nunc demum præsentium Literarum tenore certum, ac stabilem cursum Citationibus hujus generis dare, et una simul quibuscumque fraudibus quæ per eas fieri possent, quantum in Domino possumus, occurrere volentes, statuimus in primis, ordinamus, ac declaramus, quod sicuti hactenus et a tempore antiquissimo, ita quoque in posterum unicuique pro arbitrio suo liceat per ejusmodi Citationes Typis Cameralibus impressas debitorem suum absentem, sive aliter sibi obligatum coram Auditore Generali Causarum Curiæ Cameræ Nostræ Apostolicæ, vel altero ex ejus Locumtenentibus in Ius, et Iudicium evocare, etiamsi ipsæ Citationes a nullo ex prædictis Iudicibus, immò nec etiamsi ab eorum Notariis subscriptæ fuerint (memoratis Literis Secretariæ Status, Edictis Cardinalium pro tempore Legatorum, et aliis quibuscumque contrariis non obstantibus); dummodo tamen agatur de causis, in quibus ipse A. C. vigore suarum facultatum, aut virtute alicujus Privilegii, quod Instanti de jure competat, sit Iudex competens Rei conventi, seu Partis citatæ etiam in prima Instantia; aliàs prædictæ Citationes neque valeant, neque afficiant, perinde ac si factæ, vel exequutæ non fuissent: Cum enim in hujusmodi Causis unusquisque de jure debitorem suum etiam verbaliter coram A. C. in jus vocare possit, nihil sanè proponi potest, cur illum pari modo per dictas Citationes Camerales etiam non subscriptas citare, et in jus vocare non valeat.

Quod si aliqua ex prædictis Causis, ut præfertur, privilegiatis, in quibus nimirum A. C. est Judex competens etiam in prima Instantia, reperiatur jam contestata, et introducta coram alio Judice de Partibus, et nihilominus alter ex litigantibus, cui competat variatio Fori, vel vigore obligationis Cameralis, vel virtute *Leg. unic. Cod. Quand. Imper. inter Pupillos, et Viduas* citaverit coram A. C. cum dictis Citationibus impressis, et non subscriptis, tunc etiam volumus, et mandamus eas exequi, et attendi debere; sed eo ca-

su

su A. C., vel ejus Locumtenentibus Causas hujusmodi reassumere non liceat, nisi in statu, et terminis, refectis sumptibus usque tunc factis ab altera Parte, et transportatis actis expensis illius, qui Forum variare voluerit, ut hactenus laudabiliter observatum fuit.

Quoniam verò passim citari solet cum hisce ipsis Citationibus Cameralibus non solum in Causis, ut supra, privilegiatis coram A. C., sub cujus nomine eædem Citationes, ut plurimum imprimuntur, sed etiam in aliis Causis indifferentibus coram Cardinali Signaturæ Nostræ Justitiæ pro tempore Præfecto, et ejus Auditore; Idque in quatuor potissimè casibus, nempe cum petitur supersessoria ad effectum adeundi plenam Signaturam; Cum citatur pro subdelegatione Judicis in Partibus in gradu recursus; Cum petitur declarari Causam spectare ad unum potius, quam ad alium Judicem, Et denique cum petitur purgatio attentatorum, in spretum ipsius Signaturæ commissorum. Propterea Nos ex una parte considerantes nullo modo auferendam esse, quin potius diligenter conservandam Subditis Nostrarum Provinciarum, et Legationum libertatem illam, qua semper hactenus gavisi fuerunt, recurrendi scilicet pro ipsorum arbitrio vel ad prælaudatam Nostram Signaturam Justitiæ, vel ad Signaturam, quam habere dicuntur in ventre in sua quisque Provincia Legati Sedis Apostolicæ, eorumque Vice-Legati: Ac de cætero animadvertentes, non absurdè eos facere, qui potiùs ad Signaturam Justitiæ, quàm ad alteram Legatorum, aut Vice Legatorum recurrunt; quia nempe illa Causas, quarum valor non ascendit ad scuta centum, haudquaquam retinet, seu committit in Curia, sed juxta providas Prædecessorum Nostrorum reformationes, et præsertim recol. mem. Benedicti XIII., eas remittit ad Partes, mediante subdelegatione alterius Judicis in eadem Civitate, seu loco, ubi primus pronunciavit, ad effectum procedendi in gradu recursus per acta ejusdem Notarii, et consequenter absque ulla transportatione actorum, atque insuper sine solutione Propinæ: Contra verò Signatura Legatorum, et Vice-Legatorum, et præsertim illa Cardinalis pro tempore Legati, aut Vice-Legati Provinciæ Romandiolæ, quoties Causæ excedunt tenuissimam summam scutorum quatuor, retinere eas, ut plurimum solet in ipsa Curia, in qua residet Legatus, aut Vice-Legatus; Ex quo sequitur, ut Partes non sine magno dispendio, atque incommodo, et acta prioris Judicis ad ipsam Curiam Legationis transportare, et Propinam novo Judici ejusdem Curiæ solvere cogantur; Immò etiam tot Propinas, quot sunt Capita separata, ex quibus pro multiplicitate diversarum exceptionum sententia secundi, vel ulterioris Iudicis quam sæpissmè componitur.

Idcircò statuimus ac mandamus, etiam quoad prædictas Citationes, quas fieri contingat coram Cardinali Signaturæ Præfecto, vel ejus Auditore, prædictum antiquissimum usum in posterum observari, itaut quicumque de dicta Legatione Romandiolæ, aut de aliis Provinciis, Legationibus, vel Guberniis Status Nostri Ecclesiastici, recurrere potius velit ad Signaturam Nostram Iustitiæ, quam ad Signaturam Legati, aut Vice Legati, hoc pro arbitrio suo facere possit, citando alteram Partem cum dictis Citationibus Cameralibus, nullique liceat earum exequutionem retar-

tardare, vel impedire, sub prætextu, quod a Cardinali Præfecto, vel ejus Auditore, aut eorum Notario subscriptæ non fuerint, sub pœnis expressis in dicta Nostra Constitutione *De non impedienda exequutione Citationum, Mandatorum, aliarumque Provisionum Romanæ Curiæ*, quam ad has quoque Citationes Camerales impressas, et non subscriptas, quatenus opus sit, extendimus, et ampliamus, memoratis Literis Secretariæ Status, Edictis Legatorum, cœterisque contrariis quibuscumque minime obstantibus.

At verò, ne utilis, et antiquus istarum Citationum usus transeat in abusum, et corruptelam, a prædicta generali regula sequentes casus excipimus, et præservamus. Primò videlicet, si una ex Partibus mediante Citatione legitimè exequuta prævenerit aliam coram Signatura Legati, seu Vice-Legati; et multo magis si Legatus, aut Vice-Legatus, qui habeat in suis facultatibus etiam facultatem Signaturæ, in Causa jam rescripserit: Tunc enim non amplius Citationes prædictas coram Signatura Iustitiæ, ejusque Præfecto, vel Auditore, attendi volumus, sed solum admitti recursum ad Signaturam Gratiæ, et consequenter nullas alias Citationes attendendas esse, vel afficere, quam Citationes speciales ab Auditore Nostro, et Pontificum pro tempore Successorum Nostrorum, subscriptas.

Item Citationes ejusmodi Camerales, et non subscriptas pro nihilo haberi volumus, atque impune sperni posse, tam in Causis summæ appellabilis, quatenus citetur ad videndum supersederi usque ad primam Signaturam, quàm in Causis summæ recurribilis, quatenus citetur ad videndum subdelegari Iudicem in partibus in gradu recursus, quoties nondum ab ipso Iudice de Partibus pronunciatum fuit vel per Sententiam, vel per Decretum definitivum, aut gravamen saltem inferens ejusmodi, quod deinceps per ipsam Definitivam reparari nequeat. Quod si Iudex de Partibus in Causa jam decreverit, seu pronunciaverit, ut supra, volumus Citationes prædictas omnino attendi, et inhibere, etiamsi contra debitum juris ordinem in Causa summæ appellabilis citatum fuerit ad videndum subdelegari alium Iudicem in gradu recursus, vel in Causa simpliciter recurribili citatum fuerit ad videndum supersederi. Et solum in hisce casibus Præfectus Signaturæ, vel ejus Auditor supplere teneatur defectum Partium, vel Defensorum, mandando supersederi in Causis summe appellabilis, et respective subdelegando Iudicem in gradu recursus, quando Causa est solum recurribilis; Decretis, seu Reformationibus Signaturæ, quibuscumque aliis in contrarium non obstantibus.

Item quando agitur de summa non excedente scuta quinque monetæ in Regione currentis; vel quando jam adsunt in Causa duo judicata consecutiva et conformia; vel quando agitur de mercede diurna, aut menstrua, aut etiam de alimentis futuris; vel quando agitur de restitutione depositi etiam irregularis contra Depositarium, aut de solutione Schedulæ, quæ vulgo dicitur *Pagherò per altrettanti*, aut Literarum Cambii, aut Onerum Cameralium, vel Communitativorum; Et denique cum agitur de solutione Canonum, aut Pensionum Domus, nullum recursum in suspensivo a Cardinali Præfecto Signaturæ, vel ejus Auditore admitti volumus, sed in præ-

prædictis casibus, et quolibet eorum, postquam verificati fuerint coram Iudice subdelegato, volumus, ac statuimus ejusmodi subdelegationem non afficere, nisi in solo devolutivo, et sine præjudicio legitimæ exequutionis.

Item, exceptis Causis, ut supra privilegiatis, idest illis, in quibus A. C. est Iudex competens etiam in prima Instantia, vel propter obligationem Cameralem, aut habentem vim Cameralis, vel propter Privilegium *Leg. unicæ*; Quoad reliquas Causas extra Districtum Urbis, quæ sint summæ dumtaxat recurribilis, idest non attingentis quantitatem, seu valorem scutorum centum; nolumus eas in Curia Romana retineri, aut committi posse, sed semper in ipsis subdelegari volumus alium Iudicem, quatenus tamen adsit in eadem Civitate, Terra, aut loco, in quo, seu qua pronunciatum fuit primum judicatum: cum solita clausula = *Ad effectum cognoscendi de gravamine pro admissione, vel denegatione recursus, per acta ejusdem Notarii, et sine solutione Propinæ, et Regestri, et quatenus Partes in eum non consenserint, ad effectum deputandi alium Judicem in sui locum iisdem facultatibus, de consensu ipsarum Partium, sin minus ex Officio* = Itaut aliter factæ subdelegationes nullius sint roboris, ac momenti.

Postremò volumus, atque statuimus, quod postquam una ex Partibus aliquam ex prædictis Citationibus impressis, et non subscriptis exequi fecerit coram Præfecto Signaturæ, vel Auditore; altera verò, quæ sic citata fuit, in actis comparuerit cum solita protestatione *Nihil fieri*, nulla alia deinde similis Citatio eamdem continens Instantiam, quæ in Partibus fiat, attendatur, sed impune sperni possit, absque ullo vitio Spolii, vel attentatorum.

Per hæc autem non intendimus Privilegio de Causis non avocandis, aut alteri id genus, si quo fortè gaudeat Civitas, Provincia, vel Legatio aliqua Status Nostri Ecclesiastici, in aliquo derogare, vel præjudicare; Multoque minus aliquid innovare circa ea, quæ ad asserendam Ordinariorum jurisdictionem, atque eorundem Decretorum executionem, in Causis potissimum, quæ ad Ecclesiasticam Disciplinam pertinent, distincte mandavimus, et constituimus per Apostolicas Nostras Literas: *De Appellationibus et Inhibitionibus concedendis, vel negandis*, quarum initium est: *Ad militantis Ecclesiæ regimen*, datas tertio Kalendas Aprilis anno millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, quas quidem in omnibus, et per omnia confirmamus, et innovamus, et ab omnibus, ad quos spectat, adamussim observari præcipimus.

Porrò, quod attinet ad præfatam multiplicationem Propinarum, quæ extra Romanam Curiam in Statu Nostro Ecclesiastico passim frequentantur; Nos etiam super eo, quod æquum fuerit, et rationi consentaneum, deinceps largiente Domino provide statuemus, cognita prius origine, diligenterque perpensis Causis hujusmodi multiplicationis: quemadmodum pro Tribunalibus Civitatis Nostræ Bononiæ, ejusque Comitatus, in altera ex memoratis Constitutionibus Nostris, specialibus ordinationibus, et decretis id ipsum præstare non omisimus.

Ut autem omnia submoveamus obstacula, quæ propter variarum respective jurisdictionum conflictum, promptam celeremque justitiæ administra-

strationem in hujus Nostræ Urbis Tribunalibus impedire consueverant, alteram nostram Constitutionem sub datum xv. Kalen. Martii Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLII. Pontificatus Nostri Secundo editam, quæ incipit; *Quantum ad procurandam*, innovamus pariter, et observati mandamus; per quam, videlicet, de consilio præfatæ Congregationis pro Tribunalium Urbis Reformatione a Nobis specialiter deputatæ, providas fel. record. Innocentii Papæ XII. Prædecessoris Nostri sanctiones per extensum insertas, super Tribunalium, sive Iudicum Particularium Urbis suppressione, confirmavimus, et in pristinum vigorem, et observantiam reduximus, eisdemque inhærentes, nonnullas Iudicaturas particulares postmodum erectas Ordinationibus opportunis abolevimus.

Declarantes præterea, Notarium Burgi, cujus Officium in præfata Innocentii XII. Constitutione a generali Officiorum particularium suppressione excipitur, habere dumtaxat facultatem scribendi in Causis merè laicalibus, et quatenus Rei conventi sint Incolæ, vel Habitatores Burgi; Hoc autem casu competere illi facultatem hujusmodi in omnibus Tribunalibus Urbis, in quibus pro hujusmodi Causis Incolæ, et Habitatores prædicti, juxta eamdem Constitutionem Innocentii Papæ XII. conveniri possunt.

Iurisdictionem vero Nostri pro tempore in Urbe, ejusque Districtu in spititualibus Vicarii, decernimus, etiam attenta dispositione prædictæ nostræ Constitutionis, quæ incipit: *Quantum ad procurandam*, esse prorogabilem per consensum Partium in Causis mere laicalibus, et inter mere Laicos, etiam spectantibus ad Curiam Capitolinam; dummodo tamen ipsæ Partes sciant eum esse sibi Iudicem incompetentem; et nihilominus ab initio litis, et ante illius contestationem, in actis sui proprii, et competentis Iudicis, coram duobus Testibus expsessè consentiant in jurisdictionem ipsius Vicarii, vel per ipsos, vel per suos Procuratores, qui habeant speciale mandatum ad consentiendum ut supra; alias consensu isto expresse, ut supra, præstito deficiente, omnia acta coram eo facta in Causis prædictis, sint ipso jure nulla, et irrita: Causaque per Iudicem competentem, ad Instantiam sive Rei, sive Actoris, in quocumque statu, et quandocumque reassumi possit.

Item dummodo in prædictis Causis merè laicalibus non agatur de executione obligationis Cameralis. Tunc enim volumus jurisdictionem Vicarii ne quidem per consensum expressum esse prorogabilem, sed Causas reassumi posse etiam ex officio, vel a Curia Capitolina, si Partes, aut saltem Reus conventus eius foro, et Iurisdictioni, ut infra, subiectus fuerit, vel ab A. C., prout ab una vel altera Curia præventum fuerit.

In Causis super Matrimonii contractis in Urbe, vel alio quocumque loco intra ejus Districtum, in quo Ordinaria seu Episcopalis Jurisdictio nulli alteri competat, prout etiam in Causis super Institutione in Beneficiis Ecclesiasticis in dicta Urbe, et in iisdem locis existentibus, statuimus competere Iurisdictionem Cardinali Vicario privativè ad A. C., et quæcumque alia Urbis Tribunalia; In aliis verò Causis spectantibus ad ejus Tribunal, contra Clericos non exemptos, videlicet eos, qui sint Clerici Romaui ratione Originis, vel Beneficii, vel contra Loca Pia existentia in Urbe, aliisque locis

cis præfatis, declaramus eidem competere in Civilibus Iurisdictionem cumulative cum solo A.C., et consequenter inter eos locum esse præventioni. Dummodo tamen Clerici, et Loca Pia sint Rei conventi, non etiam si per eos conveniantur Personæ merè laicales. Tunc enim Vicario, sine consensu expresso Partium, ut supra, nulla competet Jurisdictio.

Item decernimus nullam in prima Instantia Vicario competere Jurisdictionem in Diœcesibus, et Territoriis aliorum Episcoporum sive Ordinariorum in prædicto Districtu Urbis existentibus, nimirum intra quadragesimum lapidem, sed solum in dictis Diœcesibus, et Territoriis pro Causis ad eum spectantibus citare, et procedere posse contra Clericos Romanos, ut supra, ratione Originis, vel Beneficii, qui ibi commorantur; nec non exequi posse Mandata tam realiter, quam personaliter, per eum contra ipsos expedita. Et hoc ipsum servari volumus in Diœcesibus sex Episcoporum S. R. E. Cardinalium, qui Episcopi Suburbicarii nuncupari solent: Nam sive Episcopatus isti habeantur pro distinctis et diversis ab Episcopatu Romano, sive dicti Cardinales censeantur in hisce Diœcesibus tamquam Coadiutores Romani Episcopi, neutro casu decet Cardinalem Urbis Vicarium cumulativam cum ipsis Iurisdictionem in prima Instantia habere.

Item statuimus, Cardinali Vicario, privative ad A.C. et quoscumque alios, competere facultatem interponendi Decreta in renunciationibus, et aliis quibuscumque contractibus Regularium utriusque sexus, in Cœnobiis, et Monasteriis Urbis, ut præfatorum Locorum tempore probationis degentium.

Gubernatori autem Urbis, et ejus Tribunali nullam in Civilibus competere declaramus Iurisdictionem contra Clericos, Ecclesias, aut Loca Pia, sine speciali commissione nostra, vel nostrorum pro tempore Successorum.

Attamen, ut Causæ Mercedis diurnæ, vel menstruæ prout etiam Causæ infra summam scutorum viginti quinque, quam citissimè expediantur, hoc speciali Privilegio eas donamus, ut nempe Laici etiam in Tribunali Cardinalis Vicarii, et respectivè Clerici, et Loca Pia etiam coram Urbis Gubernatore, arbitrio Actoris, valide, et licitè conveniri possint, itaut, nec etiam prætextu obligationis Cameralis, eorumdem Iurisdictio valeat declinari.

Curiæ verò Capitolinæ jurisdictionem extendi decernimus etiam extra Urbem, et per omnia et singula loca Districtus intra quadragesimum lapidem; sed ad solum effectum citandi, et procedendi in causis merè laicalibus, atque alias ad ad ejus Forum spectantibus, contra Cives Romanos, vel Incolas, vel qui aliter juxta dispositionem Statuti *Lib.*1. *cap.* 41. ejusdem Curiæ Iurisdictioni subjecti sint; nec non exequendi contra eos, et eorum bona merè laicalia, Mandata ab ipsa Curia relaxata, dummodo pro Personis vel Bonis in aliquo loco jurisdictionali existentibus, servetur quoad executionem Mandatorum, forma ab eodem Statuto præscripta *dicto lib.* 1. *cap.* 157.

In causis autem Concursus super bonis Laici debitoris, qui cœteroquin juxta dispositionem Iuris, et Statutorum Urbis, sit subjectus Curiæ Capitolinæ, definimus competere eidem Curiæ jurisdictionem, etiamsi Bona sub concursu posita, sive pro parte, sive in totum, sint de proprietate, seu dominio directo Clericorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, aut aliorum

Piorum Locorum; sed tamen præfatam jurisdictionem competere pro eo tantum, quod pertinet ad deputationem Œconomi, ad graduationem Creditorum, nec non distributionem, seu consignationem pretii ex dictis bonis emphyteuticis retrahendi, postquam fuerint subhastata, et deliberata. Quo vero ad executionem, subhastationem, et deliberationem ipsorum bonorum emphyteuticorum de proprietate, seu directo dominio, ut supra, non spectare ad Curiam Capitolinam, sed ad A. C., aut Cardinalem Vicarium, aut aliam Curiam Ecclesiasticam competentem: Ita tamen ut Cedula Depositi a Cursore, seu Mandatario non deponatur in actis Curiæ Ecclesiasticæ, sed statim, et immediate deferatur ad Iudicem Concursus ut supra.

Nolumus autem, Magistros Iustitiarios ullam exercere, aut habere jurisdictionem contra Clericos, et Loca Pia.

Sed quoniam, stabilitis etiam limitibus jurisdictionis singulorum Iudicum, et Tribunalium, sæpè contigit eorum auctoritatem, et forum a Partibus declinari, vel in ipso initio, vel in progressu litis, ad defatigandum vexandumque Adversarium, vel etiam in ipsius litis fine, ad evitandam aut differendam Decretorum, vel Mandatorum exequutionem; idque obtentu, et præsidio Literarum Patentium, quas multi obtinent ratione diversorum Officiorum, et Familiaritatum, ex quibus plura sibi quoad electionem Fori competere Privilegia contendunt; ideo nonnulla Decreta super hoc efformata a prædicta Congregatione particulari pro Tribunalium reformatione a Nobis deputata, quæ jam, auctoritatis Nostræ robore munita, publicari jussimus sub die x. Ianuarii Anni MDCCXII., hic per extensum inserta denuo sancimus, et præsentium quoque serie omnino servari mandamus. Eaque sunt tenoris sequentis, videlicet.

Privilegiati, seu Patentati cujuscumque generis (exceptis Patentatis Sac. Inquisitionis) fori privilegio gaudere non debeant, nisi in causis, et negociis concernentibus Officia, et Ministeria, quorum intuitu sunt privilegiati, videlicet ad normam decretorum, quæ super hac materia prodierunt tempore san. mem. Urbani VIII., ac Innocentii XI., necnon Innocentii XII., itidemque servata forma præscripta per Decreta Congregationis Reformationis Tribunalium die iv. Aprilis Anni MDCCXXXI., itant ad tramites præfatorum Decretorum etiam in prædictis causis, et negociis concernentibus Officia, et Ministeria Privilegiatorum, seu Patentatorum, quantum attinet ad eorum favorem, renunciatum privilegio videatur per consensum coram alio Judice Ordinario, verbis, seu factis præstitum; amplius adjecto, ut prædicto privilegio censeatur itidem renunciatum per consensum æquipollentem, quoties illius allegatio prætermissa fuerit tempore opportuno, hoc est infra tres dies numerandos a die reproductionis Monitorii, seu Libelli, vel Citationis ad dicendum contra Jura.

Pariformiter sub eadem lege comprehensi censeantur Privilegiati, seu Patentati Rev. Fabricæ Sancti Petri, prout eos prælaudata Decreta sufficienter comprehendunt, et nominatim quoque aliud Congregationis Particularis solemniter confirmatum per Bullam san. mem. Innocentii XI., quæ incipit Decet, *sub datum iv. Kalend. Junii Anni MDCLXXXIX., sive sint Commissarii, sive Procuratores, etiam Fiscales, sive Notarii, sive alia quacumque Mi-*

Ministeria pro eadem Fabrica exercentes, cum nemini eorum liceat allegare Fori declinatoriam in causis, et negociis indifferentibus, ipsamque Fabricam, seu prædicta Ministeria neutiquam concernentibus; rejecta prorsus, ac reprobata quacumque interpretatione, quæ hactenus in contrarium forsan invaluit.

Demum quoad præfatos omnes Privilegiatos, seu Patentatos, ut fraudibus obvietur, utque prætextu privilegiorum justitiæ cursus retardari non possit, atque inhærendo etiam Decreto alias a Congregatione Reformationis Tribunalium Urbis die iij. Junii Anni MDCLXXIX. edito, et subinde confirmato per memoratam Bullam san. mem. Innocentii XI. iv. Kalendas Junii Anni MDCLXXXIX., eadem Congregatio declaravit, & censuit, tam in Causis eorum Ministeria non concernentibus, in quibus ipsi consensum, ut supra, coram alio Judice Ordinario, seu aliàs competenti præstiterint, nullam requiri licentiam alterius Judicis, ad effectum exequendi Mandata contra eosdem Privilegiatos ser. ser. relaxata, nullumque Exequatur *peti, ac respective concedi posse.*

Et in omnibus, ac singulis casibus supradictis, Citationes, et Inhibitiones factæ coram quocumque Judice, vel Signatura, vel etiam Auditore Sanctissimi contra formam horum Decretorum nullius sint momenti, atque impunè sperni possint absque vitio attentatorum.

Alia pariter Decreta, simul cum præmissis edita, super ea facultate primos quosque Judices ejurandi tamquam suspectos, qua plerosque abuti constabat, ad nectendas in limine Judicii inutiles moras, confirmamus, et innovamus, quæ sunt tenoris sequentis.

Recusationes Judicum non admittantur in Causis executivis certi generis, videlicet Depositi, et futurorum Alimentorum, aliisque designatis per Decreta aliàs tempore san. mem. Clementis XII. edita a Congregatione Reformationis Tribunalium Urbis die iv. Aprilis Anni MDCCXXXI., neque in quibuscumque aliis Causis non excedentibus valorem scutorum vigintiquinque, juxta aliud Decretum die xv. Novembris Anni MDCCXXXII., quæ servari omnino debeant.

In cæteris Causis prædictæ recusationes, quæ plerumque ad retardandum Justitiæ recursum usurpantur, reformari, et moderari debeant in posterum, itaut in Causis cujuscumque generis, tàm executivis, quàm ordinariis, et in quacumque instantia exceptis dumtaxat Causis Commissariis) unus tantummodo Judex intra tres dies numerandos a die reproductionis Monitorii, seu Libelli, vel Citationis ad dicendum contra jura, ab unaquaque ex Partibus recusari possit tamquam suspectus, absque allegatione Causæ suspicionis; cæteræ autem recusationes amplius non admittantur, nisi servata dispositione juris communis; ac proinde Citationes quoad ulteriores recusationes, nempè ad videndum deputari alium, tum coram Capite Tribunalis, tum coram aliis Superioribus, impunè sperni valeant, nisi in ejusdem Citationibus certa, atque justa causa suspicionis exprimatur.

Ad hæc necessarium ducimus Judicum quoque, ac Ministrorum auctoritatem præfinire, certamque agendi normam præscribere, quoad alterum rerum genus, ex quo commerciorum securitas, et singulorum Patrimonia maximè pendent. Ut scilicet fraudibus, quæ passim fieri solent super

 per

per Locis Montium, Officiis vacabilibus, ac Depositis pecuniarum alicui vinculo suppositis, quantum in Domino possumus, in posterum occurratur, auferimus in primis, atque adimimus, ademptamque ex nunc, et ablatam esse volumus tum a Generali Administatore Locorum Montium, tum a Componendarum Datariæ Nostræ Administratore facultatem omnem cassandi, seu delendi a Locis Montium tam Cameralium, quàm Communitativorum seu Baronalium, et ab Officiis vacabilibus cujuscumque generis, vel nuncupationis, clausulam in eis apponi solitam in actu capiendi possessionem: *Dummodo possessio sit vacans, et sine præjudicio habentium meliora, et potiora jura*: priusquam lapsum fuerit integrum biennium a die captæ possessionis cum clausula prædicta, sine præcedenti Mandato Iudicis competentis, et sine *Exequatur* Thesaurarii Generalis, et respectivè Nostri, et Romani Pontificis pro tempore Datarii. Nulli autem ex Iudicibus Ordinariis licere amplius volumus intra terminum dictorum duorum annorum Mandata hujusmodi relaxare, seu concedere, cum sola fidejussione approbanda per quemcumque Notarium proprium Officium habentem, seque validè obligare valentem, prout hactenus observari consuevit; sed Mandata hujusmodi dumtaxat relaxare liceat, vel cum Fidejussione, et Cedula Bancaria alicujus publici, atque idonei Urbis Mercatoris, vel cum attergatione totidem aliorum Locorum Montium, quatenus agatur de Locis Montium, et respectivè Officiorum vacabilium, quatenus agatur de Officiis hujusmodi, ab omni vinculo liberorum.

Item nulli ex Iudicibus liceat cassare, seu delere ex prædictis Locis Montium, vel Officiis vacabilibus vinculum ullum Primogenituræ, Fideicommissi, Legati, Multiplici, vel alterius cujuscumque speciei sub quocumque prætextu, sive ex quacumque causa, etiam permutationis, aut subrogationis aliorum Bonorum, vel Censuum etiam majoris pretii, et proventus, quoties ipsorum Locorum, aut Officiorum alienatio per pactum, vel aliam ultimam voluntatem specialiter, et expresse prohibita fuerit.

Deficiente verò speciali prohibitione hujusmodi, liceat quidem Iudicibus Ordinariis delere, et cassare vincula ex locis Montium, vel Officiis vacabilibus, quatenus id petatur ex causa permutationis, vel subrogationis, illaque transferre super Bonis eorum loco recipiendis, subrogandis, si evidens recipientis utilitas ita suadere videatur; sed solum hoc eisdem liceat, quando in permutatione recipiantur, et respectivè subrogentur tot Bona stabilia in Statu Ecclesiastico existentia, aut Census perpetui tam de jure, quàm de facto exigibiles, et legitimè impositi vel ab aliqua Communitate, vel ab aliquo Loco Pio ejusdem Status Ecclesiastici, et quando insuper vel accedat consensus expressus omnium, et singulorum interesse habentium, aut habere valentium etiam pro casu remotissimo, vel consensus ejusmodi in casu injustæ denegationis præcedenter fuerit ab eodem, vel alio Iudice suppletus, Causa plene cognita, et citatis, ut infra, prædictis interesse habentibus, vel habere quandocumque valentibus. Quod etiam observari volumus, quotiescumque delendum fuerit vinculum evictionis, aut molestiarum.

Quod si agatur de pretio Locorum Montium, aut Officiorum vacabi-

bilium, Bonorum immobilium, aut mobilium, Censuum, Cambiorum, aut aliorum quorumcumque nominum Debitorum, seu de pecuniis ex quacumque alia causa depositis in Monte Pietatis, aut Mensa Nummaria, seu Banco Sancti Spiritus, vel publici alicujus Mercatoris, aut etiam penès acta, ad effectum, et sub lege investiendi cum aliquo ex prædictis, aut aliis vinculis in tot Locis Montium: Nulli ex præfatis Iudicibus licere volumus ex ejusmodi pretio, seu pecuniis tale vinculum delere, vel investimentum Locorum Montium cum alio commutare, nisi investimentum fiat, vel in tot stabilibus, vel in uno, aut pluribus Censibus perpetuis, quæ, et qui legitimè vendantur ab aliqua Communitate, vel ab aliquo Loco Pio Status Ecclesiastici, et insuper accedat, ut supra, consensus expressus interesse habentium, aut is ab eodem, vel alio Iudice præcedenter, ut supra, suppletus fuerit.

In omnibus autem præmemoratis casibus, prout etiam cum petitur deleri vinculum aliquod Fideicommissi, Primogenituræ, Legati, Donationis, Multiplici, aut aliud quodcumque ex causa alicujus detractionis cæteroquin de jure permissæ, nempe Legitimæ, Trebellianicæ, Dotis constituendæ, vel restituendæ, vel Æris alieni a Fideicommittente contracti; non aliter Iudici liceat expresse, vel tacite procedere ad vinculorum hujusmodi cassationem, seu deletionem, quam causa cognita, et legitimè citatis omnibus, et singulis illis, quorum interest hujusmodi vincula non deleri, aut quorum quandocumque interesse poterit, etiam pro tempore, et casu remotissimo, juxta modum, et formam infrascriptam.

Quatenus videlicet adsint in Urbe, aut Statu Ecclesiastico, ultra Filios, ac Descendentes illius, qui petit cassationem vinculorum, alii ulteriores substituti, et præsertim Ecclesiæ, Collegia, Communitates, et Loca Pia, qui, seu quæ aliquod interesse habere possint, etiam pro casu, et tempore remotissimo, in Depositis pecuniarum quomodocumque, ut supra, vinculatis, Fideicommissis, Primogenituris, Donationibus, Legatis, Multiplicis, Evictionibus, Attergationibus, et Reinvestimentis: nemini ex Iudicibus Ordinariis liceat aliquod ex prædictis vinculis expresse, vel tacite cassare, et delere, nisi citatis prius legitime, et personaliter in singulis actibus, modo observari solito in Causis, quæ agitantur coram Iudicibus Commissariis, omnibus prædictis interesse habentibus, vel, post primam ipsorum Citationem Procuratoribus per eos legitimè constitutis, etiamsi interesse ipsorum pendeat ab una, vel pluribus conditionibus merè eventualibus, sive a casibus, et temporibus remotissimis, dummodo tamen prædicti interesse habentes habeant Domicilium in Urbe, aut Statu Ecclesiastico, itaut saltem pro prima vice personaliter citari possint.

Si vero nullus alius erit ulterior Substitutus, aut interesse habens, præter Filios, et Descendentes illius, qui petit deletionem vinculorum; vel, etiamsi adsint ulteriores Substituti, sive interesse habentes, aliquis tamen ex eis Domicilium suum habeat extra Statum Ecclesiasticum, itaut commode citari nequeat: Tunc Caput illius Tribunalis, in quo petitur deleri aliquod ex prædictis vinculis, deputare teneatur specialem Curatorem pro Filiis, et Descendentibus petentis, quatenus isti vocati sint, aut aliquod in-

intereſſe habere poſſint, tum etiam pro aliis ulterioribus Subſtitutis, aut intereſſe habentibus, qui fuerint, ut ſupra a Statu Eccleſiaſtico abſentes: In Curatorem verò hujuſmodi deputari omninò volumus non aliquem de vulgo, et ſine ullo prorſus delectu, ut hactenus fieri conſuevit, Petenti, ut plurimum addictum: ſed unum ex viginti quatuor Procuratoribus de Collegio, quem deputatum pro ſua conſcientia cenſuerit magis idoneum, ac diligentem: Nulluſque Iudex ad petitam deletionem, ſeu caſſationem procedere poſſit, niſi prius Curatore ejuſmodi perſonaliter, et legitimè in ſingulis actibus citato.

Sicuti autem ad hunc pertinebit pro debito ſuſcepti Offici, nedum comparere, et opponere quidquid de jure opponendum erit, ſed etiam appellare, et appellationem viriliter proſequi uſque ad ſecundum judicatum incluſivè, ſi juxta conſcientiam ſuam duxerit, eos, pro quibus deputatus fuit, a Iudice primæ Inſtantiæ fuiſſe gravatos: Ita conſequenter, ne idem Curator debita mercede fraudatus remaneat, volumus, et mandamus, ut ipſi de omnibus, et ſingulis tam functionibus, quàm expenſis per eum factis, poſtquam taxatæ fuerint ab eodem Capite Tribunalis, quamprimum et integrè ſatisfiat cum fructibus illorum ipſorum Locorum Montium, et Vacabilium, pro quibus tuendis labores ſuos impenderit, cum privilegio potioritatis, et prælationis in concurſu aliorum quorumcumque Creditorum, etiam Fiſci, et Dotis: Et quatenus agatur de pecuniis depoſitis cum aliquo ex prædictis vinculis, quæ nullos pariunt fructus: Volumus, ut pro ſolutione dictarum functionum et expenſarum, fiat exequutio manu regia contra eum, vel eos, qui pro deletione vinculorum inſteterint, expedienda ab eodem Capite Tribunalis, abſque eo quod appellatio ulla, aut recurſus pro illa retardanda admitti poſſit.

Præterea, ut in exequutione prædictarum Citationum nullus colluſioni locus relinquatur, neque ampliùs ſub ſola fide, et aſſertione illius, qui pro deletione vinculorum inſtat, citetur aliquis præcedenter ab eo ſubornatus, loco illius, qui verè citandus eſſet: Si Curſor, aut Mandatarius benè cognoverit Perſonam, quæ propter ſuum intereſſe, ut ſupra, citanda eſt; Volumus eum in relatione exequutionis exprimere = *Feci perſonaliter contra N. N. mihi bene cognitum* = Si verò is, qui citari debet, Curſori, aut Mandatario benè cognitus non erit: tunc volumus, in exequutione Citationis omninò adhiberi unum ſaltem Teſtem de vicinia probum, atque honeſtum, Curſori, et Mandatario cognitum, quique benè cognoſcat Perſonam ejus, qui citandus eſt, et deinde in relatione exequutionis exprimi = *Feci perſonaliter contra* N. *N. cognitum N. N. Teſti de vicinia præſenti rogato, et mihi benè cognito*. Iudex autem non modo abſtinebit a deletione, et caſſatione vinculorum, niſi priùs ipſemet viderit prædictas Citationes perſonaliter, et legitimè, et juxta formam proximè traditam exequutas; Sed inſuper de hac ſua viſura in corpore ipſius Mandati fidem faciet: Aliàs Mandatum, quod ab eo relaxabitur, ſit ipſo jure nullum, atque irritum, itaut neque a Theſaurario Generali, neque ab Officialibus, aut Depoſitariis paulò ſupra memoratis, ullo pacto exequutioni mandari debeat.

Ca-

Caveant itaque Iudices, et respectivè Administratores, Officiales, et Depositarii, necnon Cursores, et Mandatarii, ne quid per eos fiat contra formam, et dispositionem hujus Nostræ Constitutionis: Si quis enim ei ausu temerario contraire præsumpserit, sciat se absque ulla spe veniæ, vel indulgentiæ, ultra indignationem Nostram, pœnam quoque reductionis in pristinum, ac refectionis omnium damnorum, et interesse, non in subsidium, sed principaliter, et insolidum cum iis, qui prædictorum vinculorum deletionem, seu cassationem indebite obtinuerint, ipso facto, atque ipso jure incursurum fore.

Reliquum est, ut aliqua etiam opportunè statuamus pro recto usu voluntariæ Iurisdictionis in hac Alma Urbe, et Statu nostro Ecclesiasiastico exercendæ. Quamvis in prædicta Urbe, et plerisque aliis ejusdem Status Nostri Ecclesiastici Civitatibus, Terris, Castris, Oppidis, Locis, atque Provinciis scite, prudenterque statutum sit, ne aliter Mulieres, et Minores, maxime vero Impuberes seu Pupilli, valide contrahere sive obligari possent, quam certis præscriptisque adhibitis solemnitatibus, et præsertim quod causa contrahendi, vel distrahendi in scriptis Iudici exprimatur: Isque causa hujusmodi plene cognita, et verificata, super Contractu, seu Distractu, vel alia quacumque obligatione, Decretum, et auctoritatem suam specialiter interponat: quia tamen experientia compertum est, nonnullos Iudices, aut nulla prorsus, aut leviori tantum negocii causæque cognitione præmissa, facile nimium indulgere postulatis eorum, qui aliena sexus simplicitate, vel ætatis imbecillitate, contra jus et æquum abutuntur: atque hinc Mulieribus, Minoribus, et Pupillis, qui sub cura, et protectione Principis speciali quadam ratione constituti sunt, nulla ipsorum culpa, damna gravissima irrogari.

Idcirco ut eorum indemnitati efficaciter consulatur, volumus in primis, ut in posterum nulli ex Gubernatoribus, Prætoribus, Vice-Ducibus, Vicariis, aut alio quocumque nomine nuncupatis Officialibus, qui actu Terrarum, Oppidorum, Castrorum, et Locorum Status Nostri Ecclesiastici, et præsertim Baronalium regimen, aut publicum in eisdem munus, et officium exercent, Decretum aliquod voluntariæ Jurisdictionis interponere liceat in Contractibus Mulierum, Minorum, vel Impuberum, nisi Laurea Doctorali in aliqua publica, et approbata Studiorum Universitate fuerint insigniti, et super hoc in Cancellaria, sive actis illius Civitatis, Terræ, sive Loci, publicum, et Legale documentum intra mensem a die publicationis hujus nostræ Constitutionis computandum, et respectivè, qui in futurum deputabuntur, in principio sui Magistratus, coram Notario, et Testibus in forma legitima deposuerint, Aliàs Decreta ab ipsis interposita nullius sint roboris, et momenti; et ipse Judex pœnam infamiæ, et perpetuæ inhabilitatis ad quæcumque Officia, et Magistratus, aliasque etiam corporis afflictivas arbitrio nostro infligendas, ipso jure incurrat, sublata quavis consuetudine in contrarium. Ne autem in humilibus Oppidis, seu Locis, propterea quod ibi Prætor, aut alius Officialis Laurea Doctorali sit destitutus, Mulieres, Minores, vel Impuberes contrahere, vel distrahere pro ipsorum indigentia penitus impediantur; volumus eo casu, constituimus, et mandamus

mus ut pro necessaria Decreti interpositione ad Episcopum, vel alium ejusdem Loci, seu Oppidi Ordinarium Ecclesiasticum, sive ad illius Vicarium Generalem recurratur, etiamsi agatur de Bonis laicalibus, et inter merè laicos.

In Urbe verò nonnulli posthac liceat quacumque auctoritate, et quibuscumque Privilegiis, et Indultis etiam Nostris, et Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum sub quacumque forma concessis suffulto, Decreta voluntariæ Jurisdictionis in Contractibus Impuberum, Minorum, et Mulierum interponere, præterquam Iudicibus Ordinariis quatuor dumtaxat Majorum Tribunalium; dummodo tamen Decreta ejusmodi per seipsos interponant; videlicet Cardinali pro tempore Urbis Vicario, ejusque Vicesgerenti, et Locumtenenti in Civilibus: Gubernatori similiter Urbis, et ejus Locumtenenti in Civilibus: Auditori Generali Causarum Cameræ Nostræ Apostolicæ, et duobus ejusdem Locumtenentibus in Civilibus: ac denique Senatori Urbis, ac duobus ejus Collateralibus: Quo verò ad Pauperum Advocatum ex Collegio Advocatorum Consistorialium assumi solitum, volumus, et ipsum quoque Decreta ejusmodi, sicuti hactenus observari consuevit, interponere posse, sed tamen pro solis Pauperibus, et Domi suæ tantum, vel in carceribus, si inibi contractum celebrari contingat, et omnino gratis, itaut nec etiam a spontè dantibus aliquid exigere, aut recipere possit. Nos enim pro effectu præmissorum quascumque concessiones favore aliorum factas, et quæcumque Indulta, et Privilegia etiam Nostra, et Nostrorum Prædecessorum, etiamsi speciali, et individua mentione indigerent, totusque eorum tenor pro sufficienti derogatione præsentibus inserendus esset, revocamus, et annullamus, ac pro nullis, et irritis, et nunquam concessis haberi volumus, et mandamus.

Ut autem tam in Urbe, quam in reliquo Statu Ecclesiastico, ubi nempe, præter alias solemnitates, justa quoque causa cum Decreto Iudicis pro actus validitate requiritur, Decreta ejusmodi non inconsultò, neque oscitanter interponantur, statuimus, et mandamus, ut Iudices prædicti tam Eclesiastici, quàm Seculares, quibus, ut supra, sive in Urbe, sive extra facultatem hanc reservavimus, ac eorum cuilibet, antequam deveniant ad actualem Decreti interpositionem, in ipso corpore Instrumenti exprimere primo loco teneantur specialem, certamque causam, sive unam, sive plures, propter quas contractus, sive distractus, aut quilibet alius actus quo Mulier, Pupillus, aut Minor obligatur, videtur potiùs utilis, quam damnosus.

Rursus, ac secundo loco, disertis itidem verbis exprimere teneantur, cum quibus juribus, et scripturis sive publicis, sive privatis, causam, seu causas ejusmodi verificaverint, distinctè, et sigillatim enunciando, quoad jura vel instrumenta publica, cujuslibet eorum diem, mensem, annum, et Notarium; Quo vero ad scripturas privatas, mandando eas in ipso Instrumento per Notarium originaliter inseri, atque alligari.

Ac tertio demum, non solum jura, et scripturas ejusmodi tam publicas quam privatas per se ipsos legere, recognoscere, ac ea majori qua in Domino poterunt diligentia examinare, et considerare teneantur, soluta a Contra-

trahentibus pro transportatione ad Domum Iudicis consueta mercede pro viatico, seu viaticis Notariorum: sed etiam, quod illa per se ipsos legerint, recognoverint, et majori qua potuerunt attentione consideraverint, medio juramento affirmare.

His autem omnibus adimpletis, sicuti tam Iudicem, quam Notarium ab omni prorsus periculo litis, et molestiarum eximimus, et liberamus: Ita è contrario, quatenus Iudex, et respectivè Notarius in aliquo præmissorum defecerint, idest, Iudex vel certam, et specialem causam exprimere, vel jura, et scripturas illam verificantia, distinctè, ut supra enunciare, vel super illorum recognitione, et examine juramentum proprium interponere; Notarius verò scripturas illas, quæ numero privatarum accensentur, inserere, et colligare prætermiserint, damna omnia, et interesse Mulieribus, Minoribus, ac Pupillis, de proprio, directè, et insolidum cum altera parte, quæ cum eis contraxit, resarcire, ac reparare teneantur. Et nihilominus obligatio Mulieris, Minoris, aut Impuberis sit ipso jure nulla, et irrita, non obstante quocumque juramento, quod tali casu per fraudem, ac dolum extortum censeantur.

Decernentes easdem præsentes Literas etc.

Non obstantibus etc.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, duodecimo Kalendas Ianuarii, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

N. XXXIV.

Ordo Præcedentiæ per Votantes Signaturæ Justitiæ, et Gratiæ tum in sedendo, tum in voto ferendo, servandus.

BENEDICTUS PAPA XIV.
Ad futuram rei memoriam.

Militanti Ecclesiæ, quæ est, sicut castrorum acies ordinata per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam, quamvis nullis nostris meritis præsidentes illud præcipuè inter cætera permagna, et ampla Apostolicæ Procurationis nostræ munera studiosius curare debemus, ut eas providentissimè tradamus, statuamusque regulas, quibus ab ipsis ejusdem Ecclesiæ Prælatis in hac Romana Curia ad laboriosa, et difficillima totius Catholici Orbis expedienda, sive Gratiæ, sive Justitiæ negotia nobiscum adlaborantibus, ritè, sancteque servatis, nulla potissimum, quoad præcedentiam inter eos confusio, et inordinatio inducatur, quemadmodum, iisdem regulis nondum apprimè constitutis, experientia constat, maximam inductam fuisse confusionem, inordinationemque. Duo in hac ipsa Romana Curia nostra sunt Tribunalia antiquissima sanè, et aliis interdum, quam de præsenti nominibus, celeberrima, alterum quidem Signaturæ Justitiæ dictum, in quo duodecim tantum numerantur Prælati Votantes nuncupati, alterum ve-

ro Signaturæ Gratiæ appellatum, in quo totidem Prælati Votantes habentur; in horum sanè numero Nos pariter olim, dum in minoribus essemus, fuisse gloriamur; porro nunquam utrique Votantes tamquam in sive Corporis, sive Tribunalis speciem conveniunt; ea propter nulla quidem hac in parte necessaria est Apostolicæ nostræ providentiæ ratio, sed hoc præsertim præcipimus, et mandamus, ut quotiescumque tam ipsi Signaturæ Iustitiæ, quam Signaturæ Gratiæ Votantes pro suis respectu proprii Tribunalis seorsim obeundis, adimplendisque muneribus invicem convenire debent, idem inter ipsos tum in sedendo, tum in Votum, sive suffragium ferendo præcedentiæ ordo servetur, qui ad hanc usque diem retentus, servatusque est. Quoniam ut plurimum accidere potest, ut sive unus, sive plures ex utroque Signaturæ Iustitiæ, et Gratiæ Tribunali Votantes quacumque ex causa, sive Prælatitio, sive quocumque alio habitu induti, quomodolibet, et ubicumque insimul reperiri possint; hinc est, quod nos motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine volumus, et mandamus, ut in hujusmodi conventu ille Votans, qui in suo Tribunali antiquior, et prior constitutus fuerit, hoc modo præcedat, videlicet, ut Votans prior in Signaturæ Iustitiæ Tribunali adlectus quam Signaturæ Gratiæ Votans in suo admissus fuerit, huic secundo dicto Signaturæ Gratiæ Votanti præcedat ille Signaturæ Iustitiæ Votans, ita pariter huic Signaturæ Iustitiæ Votanti præcedere debeat ille Signaturæ Gratiæ Votans, qui antequam Signaturæ Iustitiæ in suum Tribunal admitteretur, jam in proprium itidem Tribunal receptus fuerit; Quod si contigerit, ambos alterius Signaturæ Votantes eodem die cuique Tribunali constitutos fuisse, tunc præcedentia illi detur, qui in Prælatura quacumque antiquior, et prior reperitur; traditam, itaque, statutamque regulam in præmissis, dummodo nullus alius præcedentiæ titulus intercedat, omnino servandam, custodiendamque esse volumus, et mandamus; verum cum aliquis Votans alterius Tribunalis hujusmodi sive Episcopali charactere insignitus, sive Protonotarii Apostolici dignitate ornatus, sive quocumque alio ejusdem Romanæ Curiæ munere, vel officio decoratus reperiatur, præcipimus insuper, et mandamus, ut nulla habita Signaturæ Iustitiæ, aut Gratiæ Votantis ratione, sed ea dumtaxat præcedentia illæsa remaneat, quæ Votantis respectu, sive characteris Episcopalis, sive dignitatis Protonotarii Apostolici, sive cujusvis alterius muneris præcedentiam hac in re requirentis competit, et debetur; denique statuimus, et decernimus, hujusmodi præcedentiam, cum quivis Votans in utroque Signaturæ Iustitiæ, et Gratiæ Tribunali adscriptus fuerit, a primæva ipsius Votantis in altero utriusque Signaturæ Tribunali receptione, et admissione, et non aliter esse repetendam, et definiendam, decernentes ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Iudices, Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter,
vel

vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die VII. Junii MDCCXLVI. Pontificatus nostri Anno sexto.

N. XXXV.

Constitutio Benedicti XIV. qua asseritur distinctio inter Causas Rotales, et Prælatitias, ac Jura Notariorum scribendi, et actitandi in illis respective præfiniuntur.

JUstitiæ et pacis custodes et adsertores, non solum in universa Ecclesia Christi, sed etiam in subjecta gubernio nostro Republica, a Deo constituti, in id libenter studia nostra conferimus, ut unicuique jus suum æqualiter reddatur; ut negociorum et Causarum, quæ in Romana potissimum Curia tractantur et agitantur, ordinatissima ratio constet; sublatisque rerum confusionibus, et noxiis dilationibus, judiciales controversiæ non minùs rectum, quàm expeditum cursum et finem obtineant.

Sanè, cum olim unumquodque Romanæ Curiæ Tribunal, proindeque Causarum quoque Palatii Apostolici Auditorium, suos proprios haberet Notarios, et dumtaxat S. R. E. Cardinales, ac ipsius Curiæ Prælati, quibus per speciales Romani Pontificis Commissiones peculiarium Causarum cognitionem interdum delegari contingebat, certos ac proprios Notarios non haberent; ideoque quilibet ipsorum ad scribendum, et actitandum in Causis Commissariis hujusmodi quemcumque maluisset Notarium pro arbitrio suo assumere soleret; felicis recordationis Julius Papa II. Prædecessor Noster per suam perpetuò valituram Constitutionem, sub datum Kalendis Decembris Pontificatus sui Anno quinto, de Fratrum suorum tunc existentium S. R. E. Cardinalium consilio et assensu editam, quæ incipit: *Sicut prudens*, Collegium centum et unius Virorum, qui Scriptores Archivii prædictæ Romanæ Curiæ nuncuparentur, Apostolica auctoritate erexit, creavit, et instituit; quos quidem Scriptores voluit et mandavit Notarios deinceps esse omnium Judicum Commissariorum in Urbe, exceptis tantummodò ejusdem Romanæ Curiæ Iudicibus Ordinariis, vel Delegatis, habentibus Notarios proprios, ac S. R. E. Cardinalibus, quoad Causas coram eis vertentes, eisque commissas; in quibus quilibet eorum Notarios, quos mallent, dummodò essent authentici, et legitimè creati, eligere et deputare valerent: Mox etiam per alias suas Literas, Idibus Decembris ejusdem Anni datas, statuit et declaravit, quod Iudices Commissarii prædicti ad scribendum in Causis et Litibus eis Apostolica auctoritate commissis et committendis quibuscumque, et coram eis vertentibus, prædictis Scriptoribus Notariis Actuariis omninò uti deberent, nec alios ad scribendum in illis coram se admittere possent.

Postmodum san. mem. Pius Papa V. etiam Prædecessor Noster antedictam

ctam Iulii II. Constitutionem confirmans, ac etiam ad S. R. E. Cardinales amplians et extendens, per Schedulam sui Motus proprii, sub datum videlicet quintodecimo Kalendas Augusti, Pontificatus sui Anno quarto, propria manu signatam, inter alia concessit et statuit, ut deinceps in omnibus et quibuscumque Causis coram prædictis Iudicibus, etiam Cardinalibus, quomodocumque habendis et agitandis, Collegium ipsum Scriptorum Archivii Romanæ Curiæ Notarios idoneos, qui in ejusmodi Causis scriberent, constituere deberet; nullique omninò ipsorum Judicum, etiam Cardinalium, alios Notarios, etiam dicti Archivii Scriptores, in Causis hujusmodi pro arbitrio constituere possent; sed eos dumtaxat assumere tenerentur, quos Collegium præfatum suo ex gremio in genere, vel in specie duxisset eligendos.

Etsi autem ex ipsarum Constitutionum serie planè appareat, jam tunc id esse constitutum, ut jus scribendi et actitandi in Causis, quæ Auditorio Rotæ committuntur, ad ipsius Rotæ Notarios, ut antea, pertineat; in aliis verò Causis, quæ committuntur in Curia Prælatis, et Cardinalibus, vel etiam Congregationibus particularibus, scribere et actitare debeat Notarius a Collegio Archivii prædicti deputatus; quod etiam confirmatum dignoscitur a recolendæ memoriæ Prædecessore Nostro Urbano Papa VIII., qui per suas Literas in forma Brevis, datas die xxij. Februarii Anni MDCXXXI. Pontificatus sui Anno octavo, auditis Partibus in Signatura sua Gratiæ, die quarta ejusdem mensis Februarii habita, Apostolica auctoritate declaravit, Causas pro tempore committendas Causarum Palatii Apostolici Auditoribus, uti Prælatis, sive cum clausula *etiam extra Rotam*, et *absque participatione Rotæ*, sive absque clausula hujusmodi, spectare ad Officium Archivii prædicti, ejusque Notarium in illis scribere debere; in Causis verò committendis Auditoribus prædictis, etiam extra Rotam, et absque participatione Rotæ, non tamen uti Prælatis, jus scribendi esse penes ejusdem Rotæ Notarios.

Hactenus tamen nemo Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, genera Causarum hujusmodi secernendo, constituit, quænam Causæ Auditoribus Rotæ, uti Auditoribus, sint committendæ; quæ autem aliis prædictæ Curiæ Prælatis, vel ipsis Rotæ Auditoribus, non uti Auditoribus, sed uti Prælatis, committi possint. Quamvis enim, sicut accepimus, piæ memoriæ Clemens Papa VIII. Noster etiam Prædecessor, hujusmodi definitionem et separationem aggressus, Schedulam quamdam sui Motus proprii sub datum Tusculi Kalendis Octobris Pontificatus sui anno decimo propria manu signaverit; in qua singula Causarum genera expresserat, quæ ad præfatum Rotæ Tribunal, privativè quoad alium quemcumque Romanæ Curiæ Judicem, pertinere volebat; Hæc tamen Schedula nunquam Legis vim, auctoritatem, et efficaciam habuisse dignoscitur; quum nec super ea debita Literarum Apostolicarum expeditio sequuta fuerit; sed ipsa dumtaxat in Regestis Supplicationum Datariæ Apostolicæ remanserit; Neque vero deinceps causarum Rotalium a Prælatitiis distinctio ad præscriptum relatæ Schedulæ, sed juxta consuetudinem et stylum Curiæ, ut antea, processerit. Quinimmo quum olim, pro parte Collegii Notariorum Rotæ, similis memoriæ Alexandro Papæ VII. Nostro item Prædecessori humiliter sup-

supplicatum fuerit, ut plenam executionem et observantiam prædictæ Schedulæ, juxta omnem illius seriem, et continentiam, præcipere dignaretur; idem Alexander Prædecessor instantiam hujusmodi rejecit, edito desuper rescripto *Nihil innovari*.

Verùm ex hoc ipso, quod hujusmodi Causarum distinctio nullius certæ legis stabili ordinatione firmata, stylo dumtaxat et consuetudini in prædicta Curia pro tempore vigentibus inniti consuevit; facile adducimur, ut credamus, aliquas variationes et innovationes, quoad ipsius divisionis observantiam, successu temporis induci potuisse; quum, et sæpe aliàs in Signatura nostra Justitiæ, super eadem observantia, et consequenter super competentia Tribunalium et Judicum in Causis particularibus, auditæ fuerint controversiæ; et ipsi Tribunalium et Judicum respectivè Notarii, pro suo quisque jure et interesse, Pontificiam Prædecessorum Nostrorum, et nostram providentiam imploraverint. Novissimè verò quum inter dilectos filios Collegium Notariorum Causarum Palatii Apostolici ex una, et Collegium Scriptorum Archivii prædicti ex altera Partibus, orta fuerit lis et controversia de, et super Causarum diversi valoris et generis, necnon juris scribendi in illis, respective pertinentia, Nos hujusmodi controversiam, ad Nos et Signaturam nostram Gratiæ avocatam, in ipsa Signatura coram Nobis die XIX. elapsi mensis Julii habita examinavimus, et rationibus hinc inde deductis maturè, seduloquè perpensis, tunc quidem rescribendum duximus quod *data foret resolutio in Camera*; simul autem animo constituimus, veterem non scriptam prædictæ Curiæ consuetudinem ad Legem scriptam redigere; ut quum, ad tramites hujusmodi Legis, inposterum evidenter apparuerit, quænam sint Causæ, quæ utpotè graviores, committendæ sunt Auditorio Rotæ, ut ibi collegiali plurium Personarum examine, et judicio decidantur, et quæ sint aliæ, quæ tamquam minus graves, aliis Romanæ Curiæ Prælatis extra Rotam, vel etiam ipsis Rotæ Auditoribus, non uti Auditoribus, sed uti Prælatis, committi debent: jam dubitari nequeat, quibus in Causis prædictæ Rotæ Notariis, vel potius Archivii Notario, scribendi jus respectivè competat.

Itaque nunc stabili, et congruo rerum ordini, necnon omnium in præmissis interesse habentium indemnitati consulere volentes, prædictamque controversiam penitus, et omninò extinguentes, ac utrique Parti perpetuum silentium desuper imponentes, Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus, et declaramus, Causas omnes graviores, quæ in Romana Curia, tam in Tribunali S. R. E. Cardinalis Nostri, et Romani pro tempore Pontificis in Urbe, ejusque Districtu, Vicarii in spiritualibus Generalis, quam in Tribunali Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris, in prima instantia judicatæ, et definitæ fuerint, in secunda, seu alia ulteriori instantia nullatenus Prælatis extra Rotam, nec ipsis Rotæ Auditoribus, uti Prælatis, sed quidem tam in petitorio, quam in possessorio Judicio, ejusdem Rotæ Auditorio omninò esse, et fore committendas. Ubi verò Causæ graviores hujusmodi ad Romanam Curiam deferantur in gradu Appellationis a Sententiis, et Judicatis quo-

quorumcumque Judicum de Partibus, decernimus, liberum quidem esse Parti appellanti, pro suo arbitrio, vel eas immediatè ad ipsum Rotæ Auditorium committi facere, vel si maluerit, ad prædictum Cardinalem Vicarium seu ad Causarum Curiæ Cameræ prædictæ generalem Auditorem, juxta horum duorum Tribunalium congruas facultates, appellationem interponere: Verum deinde, si ulteriori appellationi locus sit, volumus eas prædictæ Rotæ Auditorio, nunquam antem Prælatis extra Rotam, neque ipsis quidem Rotæ Auditoribus, uti Prælatis, committi posse.

Contra verò Causæ minùs graves, super quibus in prima instantia in alterutro Tribunalium prædictorum Romanæ Curiæ, nimirum Cardinalis Vicarii, aut Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris, definitivè pronunciatum fuerit, volumus atque statuimus, ut in gradu appellationis, tam in judicio petitorio, quam in possessorio, omninò committi debeant Prælatis extra Rotam, vel etiam ipsis Rotæ Auditoribus, non tamen uti Auditoribus, sed dumtaxat uti Prælatis: Quod si causæ hujusmodi a Iudicatis et Sententiis Iudicum de Partibus ad ipsam Romanam Curiam delatæ sint, primò quidem in gradu appellationis earum cognitio ad Cardinalis Vicarii, aut præfati Auditoris Generalis Tribunal, juxta utriusque Tribunalis respectivas facultates, spectet atque pertineat; In ulterioribus verò Instantiis, quatenus ipsis locus sit, hujusmodi Causæ omninò committi debeant Prælatis extra Rotam, vel etiam ipsis Rotæ Auditoribus, uti tamen Prælatis, nunquam autem ipsius Rotæ Auditorio: Salva nihilominus Partibus collitigantibus facultate recurrendi ad Signaturam Nostram Iustitiæ in casibus purgationis spolii, attentatorum, et nullitatis prædictorum Iudicatorum, aliorumque Decretorum, et Actorum, quorum propterea circumscriptio coram eadem Signatura Iustitiæ petatur; in quibus sanè casibus, integrum sit eidem Signaturæ, prædictas Causas minus graves committere alicui ex Prælatis, aut eas remittere ad Cardinalem Vicarium, aut Causarum Curiæ Cameræ prædictæ Generalem Auditorem, prout ipsarum Causarum qualitates, et dictorum Tribunalium facultates respectivè exegerint.

Porrò Causæ graviores, et consequenter Rotales, et non Prælatitiæ, ut supra, censeantur, et censeri debeant Causæ omnes in quibus agitur de Jurisdictionibus, exemptionibus, adoptionibns, sponsalibus, filiationibus, legitimitatibus, præeminentiis, et præcedentiis, Juribus quoque Patronatus, aliisque honorificis nominandi, eligendi, conferendi, et similibus: aut de Juribus decimandi, quotizandi, aliisque similibus: Causæ quoque servitutis personalis; et generaliter omnes, et singulæ Causæ pecuniariæ, et profanæ, tum Citramontanæ, tum de Partibus ultra Montes positis, infrascriptam summam respectivè attingentes, Citramontanæ nimirum, si, et quatenus earum valor, et æstimatio ad summam, et quantitatem quingentorum scutorum auri, aliæ verò de Partibus ultra Montes, dummodò ipsarum valor, et æstimatio ad summam mille scutorum auri similium, respectivè ascendat.

Item Causas graves, et consequenter Rotales, ac minimè Prælatitias, ad præmissorum effectum, decernimus intelligendas esse, et fore Causas illas Beneficiales, in quibus agitur de Titulo Beneficii, ac de Jure in re, vel ad rem, nempè ad ipsum Beneficium; sicut etiam Causas super Pensionibus Eccle-

Ecclesiasticis, aut super reservationibus fructuum, reddituum, et proventuum Beneficiorum Ecclesiasticorum, quoties annuus valor Beneficii litigiosi, ac respectivè annua Pensio, aut quantitas fructuum reservatorum, summam viginti quatuor ducatorum auri de Camera excedat; easque prætcrea Causas, in quibus agitur de primis Dignitatibus Ecclesiarum, nempè de Dignitate post Pontificalem majore in Cathedralibus, aut de Dignitate Principali in Collegiatis Ecclesiis, cujuscumque valoris Dignitas hujusmodi existat; omnesque hujusmodi Causas, utpote graviores, inter Rotales, non autem Prælatitias, volumus accenseri.

Graviores itidem Causas esse declaramus, et censeri debere statuimus omnes Causas Matrimoniales, tam super fœdere Matrimonii, quàm super divortio; nec non Causas omnes super nullitate Professionis Regularis emissæ; et has quidem nunquam Prælatis, neque Rotæ Auditoribus, uti Prælatis, quantumvis accedente consensu Partium, committi volumus; sed aut ipsi Rotæ Auditorio committi, aut a Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium interpretationi, et executioni Decretorum Concilii Tridentini præposita, vel etiam, quoad causas nullitatis Professionis prædictæ, a Congregatione ejusdem S. R. E. Cardinalium, negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium præposita, pro arbitrio et ad electionem Partis appellantis, seu recurrentis, cognosci, et definiri mandamus non obstante, quod Causæ hujusmodi de sui natura, et qualitate, Processum judiciarium, atque etiam formale Testium examen, exigant, vel requirant; quemadmodum, quoad Causas Matrimoniales hujusmodi, Nos dudum per aliam Nostram Constitutionem, quæ incipit *Dei miseratione*, tertio Nonas Novembris Anno Incarnationis Dom. MDCCXLI., Pontificatus Nostri secundo, editam, statuimus, et ordinavimus.

Causas autem minus graves, adeoque Prælatitias, et non Rotales, ut supra, censendas esse et fore decernimus omnes Causas pecuniarias aut profanas, quarum valor vel æstimatio, quoad Citramontanas, summam quingentorum scutorum aureorum, quo verò ad Causas de Partibus ultra Montes, mille scutorum auri similium summam non attingat; Itidem Causas Beneficiales, aut super Pensionibus Ecclesiasticis, seu reservationibus fructuum Beneficiorum Ecclesiasticorum, ubi valor annuus Beneficii, aut annua Pensio, vel quantitas fructuum reservatorum, summam viginti quatuor ducatorum auri de Camera non excedat, ac dummodò non agatur de Dignitate post Pontificalem majore in Cathedrali, aut principali in Collegiata Ecclesia:

In Censuum autem, Canonum, et Servitutum Causis, ut pro earum valore æstimando, ac determinanda consequenter earum pertinentia, certam similiter et æquam regulam, et normam tradamus; decernimus atque statuimus, ut ubi agatur de Censibus redimibilibus, et ad formam Constitutionis prædicti Pii Papæ V. creatis seu constitutis, et Census ipse in controversia versetur, attendenda sit quantitas, seu valor sortis, sive proprietatis Censuum hujusmodi; Ubi verò controversia sit de aliquo Censu reservativo, Canone, Livello, aut aliqua annua, et perpetua præstatione, tamquam debita ex certo fundo, tunc volumus haberi rationem valoris ipsius fundi, super

quo,

quo, sive ex quo hujusmodi Census, seu Canon, Livellum, aut præstatio, constituta, reservata, seu alias quoquo modo debita fuerint: In Causis autem Servitutis realis aut mixtæ, considerandum esse volumus valorem prædii, super quo Servitus ipsa contenditur: Ad hoc nimirum, ut singulæ Causæ hujusmodi, pro earum respectiva æstimatione, et prout ex partibus citra vel ultra Montes fuerint, juxta ea, quæ in superioribus præscripsimus, Rotales, aut Prælatitiæ censeantur.

Volumus tamen, atque concedimus, ut, salvis et exceptis, ut supra, Causis Matrimonialibus, et super nullitate Professionis, in quibus nè consensus quidem Partium erit attendendus, in cæteris omnibus Causis prædictis, liceat et integrum sit Partibus Collitigantibus inter se concordare et consentire, quod Causa etiam minus gravis, et de sui natura et qualitate, ut prædiximus, Prælatitia, Auditorio Rotæ committatur; et è converso, quod Causa etiam gravior, et de sui natura, ut præscripsimus, Rotalis, committatur alicui Prælato extra Rotam; Utque ad hujusmodi effectum consensus Partium attendatur: Hoc tamen statuentes ut consensus hujusmodi a legitimis earumdem Partium respectivè Procuratoribus expressè præstitus appareat a tergo Commissionis, nec aliter; Ac decernentes, quod quoties Partes collitigantes consentiant, ut causa aliqua gravis, et de sui natura Rotalis, ut supra, alicui Prælato committatur, possit quidem Causa ipsa in vim talis consensus committi cuilibet Prælato in Curia extra Rotam, nunquam autem alicui ex ipsius Rotæ Auditoribus, uti Prælatis.

Quod autem attinet ad Causas, quæ ad Forum Curiæ Capitolii, ex præscripto Statutorum Urbis, et privilegiorum Populi Romani, pertinere dignoscuntur, declaramus Causas hujusmodi tam graves, quam minùs graves, numquam ab ipsa Curia Capitolii avocari, nec nisi accedente, ut supra, communi omnium Partium collitigantium consensu, prædicto Auditorio Rotæ, aut alteri cuicumque Iudici extra Rotam committi posse.

Causis itaque Rotalibus a Prælatitiis sic, ut præmisimus, distinctis atque discretis, consequens est, ut pertinentiam quoque Iuris scribendi, et actitandi in prædictis respectivè Causis congrua ratione secernamus; Quocirca statuimus, et simili modo declaramus, atque decernimus, Jus scribendi et actitandi in singulis respectivè Causis, Notario, seu Notariis illius Tribunalis, vel Iudicis, cui singulæ Causæ pro tempore commissæ remanebunt, omnino competere, affectumque esse et fore; Itaut in omnibus, et singulis Causis, sive ob earum naturam, sive propter Partium collitigantium consensum, prædictæ Rotæ Auditorio pro tempore commissis, et committendis, ipsius Rotæ Notariis, privativè quoad cæteros quoscumque Notarios, etiam Collegii Scriptorum Archivii, et Curiæ Capitolii; Contra verò in omnibus, et singulis Causis, quæ ob earum naturam, vel de Partium collitigantium consensu, Prælatis extra Rotam, vel, tamquam de sui natura Prælatitiæ, ejusdem Rotæ Auditoribus, sed uti Prælatis, commissæ fuerint, Notarius Archivii, privative quoad alios quoscumque, et signanter quoad Rotæ, et Curiæ Capitolinæ Notarios, scribere debeant et actitare.

Item prædictus Archivii Notarius privative quoad quoscumque alios, scri-

scribere debeat in causis cujuscumque qualitatis, aut valoris, quæ per specialem commissionem manu nostra, aut Successorum nostrorum signatam, commissæ sunt, seu committentur alicui ex S. R. E. Cardinalibus, aut alicui Congregationi sive ejusdem S. R. E. Cardinalium, sive Romanæ Curiæ Prælatorum specialiter deputatæ, excepta dumtaxat Congregatione memorati Tribunalis Auditoris Generalis causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ proprios Notarios habentis.

Quocirca Officiali super revisione Commissionum nunc et pro tempore deputato, per easdem præsentes injungimus, et directè præcipiendo mandamus, quatenùs ex nunc antiquum Curiæ stylum, aliàs religiosè servatum, omninò resumens, nullam imposterum Commissionem ad Rotam directam in Causis pecuniariis aut profanis relaxet, seù transitum habere sinat, nisi expressam habeat clausulam: *Attento quod agitur de Causa citra Montes ascendente ad valorem quingentorum scutorum aureorum*; et respectivè in Causis profanis ultra Montes, nisi habeat clausulam: *Attento quod agitur de Causa ultra Montes ascendente ad valorem scutorum mille auri.* Itidem diligenter attendat, ne transitum habeat aliqua Commissio in Causis Beneficialibus Rotæ directa, nisi habeat clausulam: *Attento quod agitur de Beneficio*, aut de Pensione, *excedente annuum valorem vigintiquatuor ducatorum auri de Camera*, vel *Attento quod agitur de prima Dignitate in Cathedrali* vel *Collegiata*.

Pari ratione diligenter observet, ut in Commissionibus ad Prælatos extra Rotam, vel etiam ad ipsius Rotæ Auditores uti Prælatos dirigendis, si agatur de Causis pecuniariis aut profanis, adsit clausula: *Attento quod agitur de Causa citra Montes infra valorem quingentorum scutorum aureorum* seu *Ultra Montes infra valorem scutorum mille aureorum*; Si vero agatur de Causis Beneficialibus expressa sit clausula *Attento quod agitur de Beneficio*, seu de Pensione, *non excedente annuum valorem viginti quatuor ducatorum auri de Camera*.

Si verò contingat, quod aliqua Causa, quæ propter ipsius qualitatem, aut valorem, prædictæ Rotæ Auditorio committenda esset, ob Partium collitigantium consensum, alicui Prælato extra Rotam committatur; vel contra, aliqua Causa ad forum Curiæ Capitolii pertinens, seu propter ipsius qualitatem, et valorem alicui Prælato extra Rotam committenda, ob hujusmodi Partium consensum, Rotæ committatur: in singulis Causis prædictis idem Officialis ad Commissionum revisionem deputatus advertat, ut in Commissione adsit clausula *Attento consensu Partium*; Et quod a tergo Commissionum hujusmodi dictus consensus per Procuratores Partium collitigantium, prout superiùs præscripsimus, verè sit præstitus; Quod si Officialis prædictus in præmissis, vel eorum aliquo, injunctum sibi munus neglexerit, omnes et singulas expensas, etiam extrajudiciales, a Partibus factas, tam pro ipsa mendosa Commissione, quàm pro quibuscumque actibus inde secutis, eisdem Partibus reficere, ac de suo omninò solvere teneatur, ac præterea pœnam remotionis ab officio, seu privationis ejusdem, arbitrio Nostro, et Successorum Nostrorum incurrat,

Et quidem hujusmodi decretorum, et statutorum Nostrorum formam,

in quibuscumque Causarum Commissionibus, quas imposterum post præsentium publicationem expediri continget, omninò servari volumus, et jubemus. Quo verò ad Commissiones, quæ jam nunc expeditæ et in Capsa positæ, vulgò *incassate*, reperiuntur, declaramus præmissas Nostras leges et ordinationes locum dumtaxat habere, quatenùs in ipsarum Commissionum sequelam nondum transportata sint acta, et reproducta citatio *ad dicendum contra jura* coram Judice, cui directa est Commissio; Quod si acta jam sint transportata, et citatio hujusmodi coram præfato Iudice jam reproducta fuerit, volumus ipsam respectivè Commissionem, licèt contra decretorum Nostrorum fòrmam expedita appareat, firmam remanere, usque ad illius instantiæ consummationem; non tamen ultra; itaut in altera ulteriori instantia præsentis Nostræ Constitutionis præscriptum omninò servari debeat, et adimpleri.

Cæterum omnes et quascumque Commissiones, quas deinceps aut Rotæ, aut Prælatis, contra formam, et præscriptum earumdem præsentium, respectivè dirigi contingat, nullas, irritas, et inanes, nulliusque roboris vel momenti fore, nullamque jurisdictionem eidem Rotæ, aut Prælatis prædictis tribuere posse, harum serie decernimus et declaramus; nisi fortè signatæ fuerint manu nostra, aut Successorum nostrorum, quibus semper integra erit, plenaque, et libera potestas committendi quascumque Causas, cujuscumque naturæ, qualitatis, et valoris existant, vel sæpedicto Auditori Rotæ, vel alicui Congregationi particulari, vel S. R. E. Cardinalibus, seu Romanæ Curiæ Prælatis, aut alii cuicumque, etiam simplici Doctori, prout Nobis, aut eisdem Successoribus nostris, magis visum fuerit salubriter expedire.

Ad hæc celeriori Causarum in præfato Auditorio Rotæ vertentium expeditioni, quæ, propter facile contingentem in pari judicantium numero suffragiorum æqualitatem, aliquando nimis diù protrahi et retardari dignoscitur, per Nostræ auctoritatis et providentiæ remedia prospicere volentes; eisdem motu, scientia, ac tenore, statuimus et mandamus, ut, firmo remanente stilo, seu consuetudine, proponendi pro prima vice omnes causas in Turno ordinario, in quo quatuor causarum hujusmodi Auditores suffragium ferant, si tamen imposterum, in prima seu ulteriori alicujus Causæ propositione, propter prædictam suffragiorum æqualitatem, decisiva resolutio prodire nequeat, non amplius hujusmodi causa cum iisdem quatuor suffragiis reproponatur; itaut, coæquatis forsan iterum suffragiis, rescribi deinde oporteat, ut hactenus rescriptum fuit: *Videant quintus et sextus*; sed statim ab ipsa prima vice rescribi volumus: *Iterum proponatur, et videant quintus, sextus, et septimus*, ad hoc nimirum, ut in altera Causæ propositione omnino prodeat illius resolutio; Decernentes ipsam hujusmodi causam semper deinceps cum quinto, sexto, et septimo, usque ad extremam illius definitionem, remanere.

Quia verò interdum evènit, ut Romanus Pontifex aliquam Causam eidem Causarum Palatii sui Auditorio committat, cum clausula *Videntibus omnibus*, aliæque plures Causæ jam in Turno ordinario, sive etiam suffragantibus quinto et sexto, discussæ, ob iteratam suffragiorum coæquationem, de mandato ipsius Rotæ, ab omnibus videri debeant; nè fortè hujusmodi quoque Causarum resolutionem, divisis æqualiter omnium suf-

fra-

fragiis, ut nonunquam accidit, adhuc retardari contingat; volumus pariter, atque præcipimus, ut quoties in aliqua Causa, vel ex speciali Commissione Romani Pontificis, vel ex rescripto ipsius Rotæ, omnes Auditores suffragium ferre debent, si Auditores suffragia ferentes disparis numeri existant, antiquus stilus servetur, nimirum quod Auditor proponens suffragium non ferat; Si verò suffragia ferentes sint numeri paris, vel casu aliquo ad numerum parem reducantur, debeat tunc in ipsa Causa suffragium ferre etiam Auditor proponens, ad hoc ut ipsius Causæ resolutio semper et omninò sequatur, nec de cætero, videntibus omnibus, suffragia coæquari possint.

Decernentes easdem præsentes, et in eis contenta quæcumque, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali, sive ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo, solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite a jure, vel facto, aut statuto, seu consuetudine resultante, aut quocumque alio colore, occasione vel causa, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque Juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari posse, nec sub ullis specialibus, vel generalibus similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, modificationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis, comprehendi, sed semper ab illis excepta, perpetuoque valida, firma, et efficacia existere et fore, ac ab omnibus et singulis ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, et adimpleri debere.

Sicque, et non aliter, in præmissis omnibus et singulis per prædictos et alios quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, in quavis Causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere; irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quamobrem Dilecto Filio Magistro Clementi Argenvillieres, Nostro, et pro tempore existenti Romani Prontificis Auditori, per easdem præsentes committimus et injungimus, quatenùs hujusmodi ordinationem, declarationem, statutum, aliaque præmissa perpetuò ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, et adimpleri faciat, et mandet: non permittens eos, quorum favorem illa respectivè concernunt, in præmissis quomodolibet indebitè molestari.

Non obstantibus etc.

Nulli ergo etc.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI. Sexto Nonas Octobris Pontificatus Nostri Anno VII.

N. XXXVI.

Moto proprio di Benedetto XIV. intorno alla giurisdizione privativa di Monsignor Tesoriere per le cause sì civili, che Criminali, riguardanti il Sagro Monte di Pietà.

Quantunque etc.

. . . .

Di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra suprema Podestà, approvando, e specialmente confermando tutte, e singole facoltà, autorità, e giurisdizioni in qualsivoglia modo competenti alli Monsignor Tesorieri Generali, anche come primi Provisori di detto Sagro Monte di Pietà nuovamente (quando faccia di bisogno) diamo, e concediamo all' odierno nostro Monsignor Tesoriere, ed a tutti gli altri Tesorieri Generali pro tempore ogni, e qualunque facoltà, autorità, e giurisdizione di potere, e *dovere* nel Tribunale di essi Monsignori Tesorieri pro tempore *privativamente in quanto ad ogni altro Giudice, e Tribunale, benchè Collegiale, e degno di speciale, ed individua menzione procedere, e riconoscere, e proseguire, ed ultimare, giudicare, e decidere* come sarà di ragione tutte, e singole Cause, attive, e passive, Civili, e Criminali, e Miste tanto introdotte, che da introdursi, loro emergenti, annessi, e riguardanti in qualsivoglia modo l' interesse, e pregiudizio della nostra Camera, e di detto Sagro Monte, e di altri Particolari benchè fosse secondario, e remoto sì della nostra Camera, che del nominato Sagro Monte, *ancorchè dette Cause sì civili, che criminali richiedessero specifica, ed individua menzione, volendo, che s' abbiano per espresse, ed individualmente specificate nella presente Cedola con la Clausola Quam, et Quas ecc.* distesa nella più ampla forma ecc.

Dato dal nostro Palazzo Apostolico Quirinale questo dì 19. Ottobre 1748.

N. XXXVII.

Constitutio Benedicti XIV. super pertinentia Causarum de damno dato.

INveterata Reipublicæ incommoda, quantum Nobis ex alto conceditur, idoneis rationibus emendare, ac submovere cupientes; quoties multiplices in uno aliquo rerum genere querelas populorum audivimus, aut publicas, privatasque controversias eadem sæpe de causa agitari intelligimus; ad ipsa rerum primordia penitus introspicienda, cognoscendasque Leges, quibus earum administratio continetur, opportunam diligentiam adhibere non recusamus; ut omnibus maturè perpensis, totum illud Iuris caput rectè ordinatum et constitutum, nostris æquè ac futuris temporibus exhibeamus.

Hanc sanè providentiam nuper a Nobis expetere visa sunt innumera litium

tium et vexationum incommoda, quibus tam publica Communitatum Ditionis Nostræ æraria, eorumque Curatores, et Administratores, quam ipsas privatas Subditorum personas, propter judicia de Damno dato, frequenter subjacere comperimus; dum vel hujusmodi Causarum pertinentia disceptatur inter eos Iudices, quibus aut pœnarum exactio, aut localis jurisdictio, aut personarum, prædiorum, vel pecudum legitima quædam defensio, ac privativa potestas est attributa, indeque levissimi sæpè momenti quæstio magnum excitat fovetque jurgiorum et controversiarum incendium; vel etiam, personalibus, atque realibus pœnis, simulque pecuniariis mulctis, aliisque pensitationibus, ultra modum auctis et cumulatis, nulloque termino hujusmodi actionibus atque Iudiciis imposito, privatorum gravamina, sine publicæ utilitatis augumento, in immensum crescere dignoscuntur. His omnibus de medio tollendis, ac respectivè intra æquitatis et justitiæ limites coercendis, animum libenter adjecimus: auditisque Virorum juris peritia et rerum usu præstantium sententiis, plura in rem opportuna remedia comparavimus, quæ latè exposita sunt in quadam Schedula Nostra Motus proprii, superioribus diebus Chirographo Nostro subscripta, cujus tenorem hic per extensum subjicimus, videlicet. ,, Benedictus Papa XIV. ,, *Motu proprio etc.* ,, Altre volte Sisto Papa V. Nostro Predecessore, considerando, ,, che le Comunità dello Stato Ecclesiastico, e loro Uffiziali, per diversi ,, umani riguardi trascuravano di esigere le Pene de i Danni dati, benchè ,, providamente imposte dalli Statuti, e Leggi municipali, oppure stabilite ,, per lunga, e lodevole Cousuetudine: dismembrò da esse Comunità le ,, Pene suddette, ed ogni Diritto di esigerle, ed avendole applicate alla Camera Apostolica, eresse di nuovo un' Uffizio di Commissario Generale de ,, i Danni dati, concedendo al medesimo non solo il Diritto, e la Facoltà di ,, esigere le dette Pene secondo la forma delli Statuti, e Consuetudini di ,, ciaschedun Luogo, contro qualunque Persona di qualsivoglia stato, grado, o condizione, tanto Secolare, quanto Ecclesiastica; eccettuati solamente i Cardinali della Santa Romana Chiesa, gli Affidati nella Dogana del Patrimonio, ed altri pochi privilegiati secondo la forma de' loro respettivi Privilegj; Ma ancora la Cognizione, e Giurisdizione di tutte le Cause attinenti ad essi Danni, come apparisce più largamente dalla ,, di lui Costituzione pubblicata li 9. Aprile 1588., che incomincia: *Romani Pontificis*, e dalle Dichiarazioni, ed Ordini in essa inseriti.

,, Lo sperimento, che si fece negli anni susseguenti di questo nuovo ,, provedimento, dimostrò, che il medesimo riusciva alli Popoli per diversi ,, motivi di notabile aggravio: Perlochè Clemente VIII. altro Nostro Predecessores sotto il giorno 10. Maggio 1592. soppresse del tutto il riferito ,, Uffizio di Commissario Generale, e per titolo veramente oneroso, cioè ,, per l' annua risposta di scudi ventiseimila moneta, e di altri scudi quattrocent' ottanta d' oro appropriò nuovamente alle Comunità dello Stato ,, tutte le Pene de i Danni dati, insieme con gli Emolumenti degli Archivj, surrogando esse Comunità in luogo della Camera Apostolica, con ,, tutti i Privilegj conceduti da Sisto al suddetto Commissario Generale, ,, come risulta da detta sua Costituzione, che incomincia: *Ad summi Apostolatus*.

,, Ma

,, Ma perchè in essa Costituzione di Clemente nulla si espresse circa ,, la Cognizione, e Giurisdizione delle Cause attinenti a' detti Danni. Quindi è, che in progresso di tempo, ed ancor oggi, sono insorte, ed insorgono tutto dì, questioni innumerabili, e specialmente, se la Causa ,, appartenga al Foro Ecclesiastico, oppure al Foro Secolare, e nello stesso Foro Secolare, se appartenga al Governatore, e Giusdicente, oppure al Magistrato del Luogo, con gran ritardo della Giustizia, pregiudizio delle Comunità, e disturbo de' Popoli. Lo che avendo Noi più ,, volte considerato, e particolarmente in occasione di una Causa della ,, Città d'Alatri, che fu proposta nella Segnatura di Grazia da Noi tenuta li 12. Maggio del caduto anno 1750. Ci siamo finalmente determinati di dare anche per queste Cause un certo, fisso, e stabile regolamento: Conciosiacche sebbene esse per lo più sono di lievissimo momento, nondimeno per esser oltre modo frequenti, turbano grandemente la quiete, e tranquillità pubblica, onde hanno giustamente meritato ,, in ogni tempo, ed in ogni luogo la cura, e provvidenza de' piu saggi ,, Legislatori.

,, Per tanto di Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra Apostolica Autorità, inerendo alle riferite Costituzioni de' detti Nostri Predecessori, ed alle risoluzioni altre volte prese ne' casi occorrenti dalla Nostra Congregazione dell' Immunità, e dall' altra de' ,, Sgravi, e Buon Governo, in quelle parti però, che non sono contrarie, o difformi dal presente Nostro Moto proprio; Confermiamo primieramente in favore delle Comunità del Nostro Stato l'approvazione, ,, ed applicazione di tutte, e singole Pene tanto imposte, che da imporsi per causa di Danni dati, dichiarando a quelle sottoposte tutte, ,, e singole Persone di qualsivoglia stato, grado, o condizione, tanto Secolari, come Ecclesiastiche, eccettuati solamente i Rm̃i Cardinali, gli ,, Affidati nelle Dogane del Patrimonio, e gli altri pochi eccettuati nella ,, detta Costituzione di Sisto V., secondo la forma de' loro respettivi Privilegj, dichiarati, e riformati più volte nelle riforme di Urbano VIII., ,, Innocenzo XI., e Innocenzo XII. parimente Nostri Predecessori, a' quali ,, non intendiamo in verun modo di derogare.

,, Affinchè poi si sappia quando la Causa appartenga al Foro Ecclesiastico, e quando al Foro Secolare: Vogliamo, ed ordiniamo, che quante volte verrà accusata, querelata, o denunziata di Danno dato alcuna Persona Ecclesiastica, oppure anche un Laico, quale sia vero Famigliare, o Ministro del Vescovo Diocesano, e non semplice Patentato, ,, oppur sia Colono parziario, che viva per la maggior parte dell' anno ,, de' Beni, e Rendite della Mensa Vescovile, o che per altro titolo, e ,, ragione sia, e debba essere esente, secondo la disposizione de' Sagri ,, Canoni, e delle Costituzioni Apostoliche, dalla Giurisdizione del Foro ,, Laicale; la cognizione di tal Causa, tanto in prima, che in ogni altra istanza, privativamente spetti al Foro Ecclesiastico, ancorchè gli Animali, colli quali è stato dato Danno, sieno di Persona Laica, ed i ,, Beni danneggiati parimente appartengano a' Laici.

,, All'

,, All' incontro essendo accusata, querelata, o denunziata di aver da-
,, to Danno alcuna Persona Laica, o anche un Chierico di Ordini Mino-
,, ri, quale, secondo il Concilio di Trento, non goda il Privilegio del
,, Foro Ecclesiastico: se il Danno sarà stato dato sulli Beni de' Laici, e
,, cogli Animali parimente de' Laici, la cognizione della Causa dovrà ap-
,, partenere privativamente tanto in prima, che in ogni altra istanza al
,, Foro, e Giudice Laicale, ancorchè la Persona, come sopra, querelata,
,, o denunziata sia Ministro, oppur Colono di alcuna chiesa, luogo Pio,
,, o Persona Ecclesiastica, purchè non sia Colono del Vescovo, e sua mensa,
,, come si e detto di sopra.

,, Ma se la Persona Laica colli proprj Animali, o di altri Laicali, avrà
,, dato Danno ne' Beni di alcuna Chiesa, luogo Pio, o Persona Ecclesia-
,, stica, la Causa sarà di Misto Foro, e dovrà in essa procedere quel Giu-
,, dice o Ecclesiastico, o Laico, che avrà prevenuto: Volendo, e dichia-
,, rando, che per tal' effetto si attenda primieramente, com' è di ragione,
,, la Cattura della Persona: In secondo luogo quella degli Animali, o del Pe-
,, gno: In terzo luogo la querela, ed accusa del Danneggiato: ed in ultimo
,, la denunzia del pubblico Uffiziale.

,, Qualora poi il Danno sarà stato dato da Persona Laica, e ne' Beni de'
,, Laici, ma però cogli Animali di qualche Chiesa, Luogo Pio, o Persona
,, Ecclesiastica: In tal caso, conciliando con opportuna distinzione le tante
,, opinioni de' Dottori, e forse anche de' Tribunali, se sarà querelato,
,, arrestato, o pignorato il solo Custode, e Padrone Laico, vogliamo, che
,, la Causa appartenga privativamente al Foro Laicale: Se saranno arresta-
,, ti, ricondotti, o pignorati li soli Animali, vogliamo, che la Causa privati-
,, vamente spetti al Foro Ecclesiastico: Ma, se saranno unitamente arre-
,, stati, e pignorati il Custode Laico, insieme cogli Animali, o parte di
,, essi: Vogliamo, che sia in arbitrio, ed elezione di colui, che sarà stato
,, danneggiato, lo esperimentare le sue ragioni o nel Foro Ecclesiastico, o
,, nel Foro Secolare: Con che però comparendo avanti il Giudice Laico,
,, debbano da questo immediatamente dimettersi, e rilasciarsi gli Animali
,, degli Ecclesiastici, senza pagamento alcuno nè per il Decreto, nè per il
,, Mandato di rilasso, cosicchè resta solamente la Causa contro il Pastore
,, Laico nel Foro Laicale; ed all' incontro comparendo il Danneggiato avan-
,, ti il Giudice Ecclesiastico, debbano a disposizione di questo ritenersi ben-
,, sì gli Animali ovunque siano stati ricondotti da principio: Ma però rila-
,, sciarsi immediatamente, e senza pagamento alcuno il Pastore Laico, e che
,, la Causa resti nel Foro Ecclesiastico sopra i soli Animali: volendo, ed
,, ordinando, che la prima comparsa del Danneggiato avanti l' uno, e l' al-
,, tro Giudice, debba servire, e si abbia per sufficiente, e legitima dichia-
,, razione della sua volontà, senza che possa più variare da un Foro all'
,, altro.

,, E perchè in avvenire non si abbia più a dubitare quando i Beni dan-
,, neggiati, o gli Animali, che hanno dato danno, sieno, o non sieno di Chie-
,, se, Luoghi Pii, o Persone Ecclesiastiche, per lo effetto, del quale si
,, parla: Vogliamo perciò, e dichiariamo, che per Beni Ecclesiastici debba-
,, no

„ no intendersi solamente quelli, che possiedono dalle Chiese, Luoghi Pii „ o Persone Ecclesiastiche non solo quanto al diretto, ma ancora quanto „ all' utile dominio, e che inoltre si coltivano a spese loro, oppure da i „ loro Coloni parziarj; E non già quelli, che ad essi spettano per solo tito- „ lo di proprietà, e dominio diretto, o che eziandio appartenendo loro quan- „ to all' utile dominio, si ritengono, o si coltivano da i Laici a proprie spe- „ se, per contratto di Locazione o a longo, o a breve tempo, con pagarne „ alla Chiesa, Luogo Pio, e Persona Ecclesiastica o l' Affitto in denaro; „ o anche in specie qualunque altra risposta infissa, e d'invariabile quantità: „ Giacchè i Danni ancorchè studiosi, e manuali, non cadono, nè possono „ cadere se non sopra coloro, a i quali spettano i frutti naturali, o industria- „ li della Terra, e non mai su i frutti civili, o sopra le risposte certe, ed „ invariabili, e molto meno sopra la proprietà, o dominio diretto.

„ Similmente, e per la stessa ragione ordiniamo, e dichiariamo, che „ per Animali di Chiese, Luoghi Pii, o Persone Ecclesiastiche si debbano „ intendere, e riputare solamente quelli, che ad essi appartengono per tito- „ lo di Dominio, e di possesso, e che da essi sono stati dati in mano de' Pa- „ stori Laici per semplice cura, governo, e custodia; Ma non già quelli, „ che sebben loro appartengono, come sopra, sono però stati da essi trasfe- „ riti in mano di Persone Laiche, o per contratto di Società, o per altro „ Contratto, in virtù del quale il pericolo di essi Animali, o per tutti, o „ per una porzione di essi, sarà passato in Persone Laiche, o che saranno „ stati dati parimente a Laici in affitto pecuniario, unitamente con gli Beni „ o anche senza di essi: Imperciocchè, siccome in questi casi vogliamo, „ che al rifacimento del Danno, o al pagamento della pena resti soggetto „ il solo Laico nella sua Persona, porzione, e Beni, e che ne sia del tutto „ esente la Chiesa, Luogo Pio, o Persona Ecclesiastica, così resta ben „ chiaro, che la Causa deve privativamente spettare al Foro Laicale.

„ Risolute così le Controversie di pertinenza, che sogliono insorgere „ tra il Foro Ecclesiastico, ed il Foro Laicale, e sulle quali sono uscite in al- „ tri tempi dalle dette due Congregazioni risoluzioni fra di loro diverse, e „ difformi: Resta a decidersi l' altra subalterna, se appartenendo la Causa „ al Foro Laicale, debba questa in prima istanza conoscersi dal Governatore, „ e Giusdicente; oppure dal Magistrato del Luogo: Ove dunque al Magi- „ strato Locale nè in virtù di Statuto, nè in virtù di lunga, ed inveterata Con- „ suetudine trovasi attribuito il Diritto, e la potestà di conoscere le Cause „ de' danni dati appartenenti al foro Secolare, dovranno queste spettare in „ prima istanza al Governatore, e Giusdicente del Luogo. Ma dove trova- „ si stabilito per Legge municipale, o per lunga consuetudine, quale però „ sia pacifica, e non minore di anni quaranta, che il Magistrato Locale possa „ e debba conoscere le Cause de' Danni dati: Ordiniamo, e comandiamo, „ che tali Statuti, e Consuetudini debbano intendersi, e si osservino sola- „ mente rispetto a quei Danni, che si chiamano semplici, cioè dati dagli „ Animali per loro naturale ferocia, senza ingiuria, e senza colpa, nè vera „ nè presunta di alcun Uomo; Ma non mai rispetto a quei Danni, che si „ chiamano studiosi, cioè dati dagli Animali, non tanto per loro naturale

„ fe-

,, ferocia, quanto per colpa, e negligenza degli Uomini, e molto meno ri-
,, spetto a' Danni manuali, quali propriamente parlando trascendono il sem-
,, plice nome di Danno, e passano in quello di Furto, o di altro Delitto ben-
,, chè attesa la parvità della materia, e dell' offesa, non sia per lo più, che
,, un Delitto leggero. Volendo Noi, che questi Danni studiosi, e molto
,, più se sono manuali appartengano sempre al solo Governatore, e Giusdicen-
,, te, a cui appartengono le altre Cause Criminali, e non mai al Magistrato
,, Locale, se pur questo per ispecial Privilegio Apostolico, o in virtù di Sta-
,, tuto confermato dalla S. Sede in forma specifica, e nel quale si esprimano
,, chiaramente anche i Danni studiosi, e manuali, non godesse di tal giu-
,, risdizione.

,, Chiunqne però debba essere o Ecclesiastico, o Secolare il Giudice,
,, a cui apparterrà, come sopra, di conoscere alcuna Causa di Danno da-
,, to, dovrà sempre osservare le Regole seguenti. Primieramente dovrà
,, costare al medesimo, che la Parte danneggiata, o per se stessa, o per
,, mezzo de' suoi Ministri, Custodi, o Serventi, dentro il termine *di otto*
,, *giorni* continui dal giorno, che avrà patito alcun Danno, ne abbia espo-
,, sto querela alla presenza di due Testimonj, negli Atti Criminali, oppure,
,, che dentro il tempo, e negli Atti medesimi, e similmente alla presenza
,, di due Testimonj, ne sia stata fatta Denuncia dal pubblico Uffiziale de'
,, Danni dati; Altrimenti non sia lecito a verun Giudice, o Magistrato, di
,, molestare, ed inquietare alcuno, ma il Danno si abbia per non fatto, op-
,, pure s' intenda *ipso jure* rimesso, e condonato, ed ogni azione tanto ri-
,, spetto alla persona danneggiata, quanto rispetto alla Comunità, e suo
,, Affittuario, estinta, ed abolita.

,, Di più a ciascheduno, a cui verrà inferito alcun Danno, sarà lecito
,, di arrestare o tutti, o parte degli Animali, che troverà a far danno nel
,, suo, ancorche sieno di Ecclesiastici; o anche di prender qualche pegno
,, sul Pastore, e Custode: purchè l' arresto si faccia, ed il pegno si pren-
,, da, prima che il Pastore, e gli Animali sieno usciti dal fondo, ove hanno
,, fatto il Danno, e purchè in oltre gli Animali, o pure il pegno sieno da
,, lui senza indugio condotti, e rilasciati in potere del Giudice assieme con
,, la querela del Danno. Ma se il Custode, o il Padrone degli Animali, o
,, altro qualsivoglia, darà sigurtà idonea di stare a ragione, e di pagare
,, quanto sarà giudicato, tanto per il Danno, come per la Pena, dovrà dal
,, Giudice, sia Ecclesiastico, o sia Secolare, ordinarsi immediatamente il
,, rilascio degli Animali, e la restituzione del pegno, e molto più il rila-
,, scio del Pastore, in qualunque tempo questo fosse stato personalmente
,, carcerato.

,, In oltre tanto il Giudice Ecclesiastico, quanto il Giudice Laico,
,, dentro il termine *di quaranta giorni* continui dal giorno, che sarà stata
,, esposta, come sopra, nella Cancellaria Criminale la querela, o denunzia
,, di Danno dato, dovrà aver finita, e decisa la Lite, o con Decreto de-
,, finitivo assolutorio, o colla spedizione del Mandato tanto per il Danno,
,, quanto per la Pena; E non avendola finita, e decisa dentro detto termine
,, vogliamo, che non possa più ingerirsi nella medesima, e che la Causa nel-

„ lo stato, e termini, ne' quali si troverà, s' intenda *ipso jure* devoluta „ al Giudice Superiore, e competente, in grado di appellazione, o di ri- „ corso, a titolo, e capo di giustizia denegata. Essendo Mente, e vo- „ lontà Nostra espressa, che queste Cause per lo più leggerissime, sieno „ spedite con tutta celerità, e nello stesso tempo, che si tolga l' abuso pur „ troppo frequente, di molestare la gente con riassumere le querele già an- „ tiquate per anni, ed anni indietro: Per lo che vogliamo ancora, ed or- „ diniamo, che tutte le querele, ò denunzie di Danni dati, che si trove- „ ranno esposte, e pendenti nel giorno della publicazione di questa nostra „ Cedola di Moto proprio, si abbiano per cassate, ed estinte, eccettuate „ solamente quelle, che saranno state date, ed esposte dentro lo spazio di „ tre mesi avanti detta pubblicazione, nelle quali vogliamo, che si possa „ seguitare a procedere anche per altri quaranta giorni, e non più, come si „ è detto di sopra.

„ Quanto alla maniera di provare il Danno sì in genere, che in spe- „ cie, sua stima, e liquidazione, come pure rispetto alle pene, voglia- „ mo, che si osservino anche da i Giudici Ecclesiastici, e nel Foro Eccle- „ siastico, gli Statuti, e le Consuetudini di ciascun Luogo; E giacchè in „ parecchie Diocesi dello Stato Ecclesiastico, i Vescovi, ed altri Ordinarj, „ hanno trascurato di autorizare con loro Editto i suddetti Statuti, e Con- „ suetudini Locali, come dovevano fare in esecuzione della Lettera Circolare „ spedita per ordine del Ven. Innocenzo XI. Nostro Predecessore li *6.* Lu- „ glio 1680.: Perciò volendo Noi onninamente provvedere, che le Comu- „ nità di detto Nostro Stato, alle quali, come si è detto, sono applicate le „ Pene del Danno dato per titolo veramente oneroso, non restino in questo „ loro Provento Pregiudicate, e defraudate, e che gli Ecclesiastici espres- „ samente compresi nella Costituzione di Sisto V. possano impunemente dan- „ neggiare i Beni altrui: ordiniamo, e dichiariamo colla Nostra Autorità „ Apostolica, che debbano osservarsi i suddetti Statuti, e Consuetudini „ Locali tanto rispetto alle prove, quanto alle pene, come se in essi fossero „ espressamente nominati gli Ecclesiastici, e come se fossero fatti, o auto- „ rizati in questa parte con Autorità Ecclesiastica.

„ Per la medesima ragione chiunque parimente sia il Giudice o Ec- „ clesiastico, o Secolare, o di prima, o di ulteriore istanza, non do- „ vrà mai appropriare a se stesso, o alli Ministri, ed Esecutori della sua „ Curia le Pene de' Danni dati; Ma dovrà farle pagare intieramente, e „ senza alcuna diminuzione, ancorchè sieno state accresciute per Editti par- „ ticolari, nelle mani del Depositario della Comunità, oppure dell' Af- „ fittuarj di esse Pene; E solamente potrà esigere per se, suoi Ministri, „ ed Esecutori gli Emolumenti, del Decreto, e dell' Esecuzione, secon- „ do però la Tassa Statutaria, che si osserva nelle Cause Civili, e non „ già secondo la Tassa, che si osserva nelle Cause Criminali; e purchè „ in oltre sia stato prima rifatto il Danno alla Parte danneggiata, e pa- „ gata effettivamente la Pena nelle mani del Depositario, o Affittuario sud- „ detto. Qual pena o Statutaria, o anche accresciuta in virtù di Editti „ particolari, vogliamo, che da mano di qualunque autorità, ancorchè

„ Car-

„ Cardinali Legati, Vicelegati, o Presidi di Provincia, Vescovi, Arcive-
„ scovi, e molto meno da' Governatori, o Magistrati Locali possa con-
„ donarsi, comporsi, o diminuirsi nè in tutto, nè in parte, neppure con
„ consenso della Comunità: E facendosi altrimenti da alcun Giudice, o
„ Ecclesiastico, o Secolare, vogliamo, che oltre la restituzione, e perdita
„ degli Emolumenti percetti, incorra *ipso facto*, ed anche per la prima Con-
„ travenzione *nella Pena di scudi cinquanta* in favore della Comunità, o
„ suo Affittuario, dando facoltà al Magistrato del Luogo di ritenere, quanto
„ al Governatore, in benefizio della Comunità, o suo Affittuario, la sud-
„ detta Pena di scudi cinquanta sopra la mestrua Provisione di esso Go-
„ vernatore; E se sarà Giudice Ecclesiastico, d' implorare per tal' effet-
„ to la mano forte, quando ne faccia bisogno, della Nostra Congregazio-
„ ne del Buon Governo.

„ Per ultimo non intendiamo colla presente di alterare, o mutare in
„ alcuna Causa di Danno dato il corso ordinario delle Appellazioni, ri-
„ clamazioni, o ricorsi a Gudici Superiori, e competenti; anzi vogliamo,
„ che quello si riservi ancora in questa, come in ogni altra Causa Cri-
„ minale, e come fu preservato in detta Costituzione di Sisto V., eccet-
„ tuate le sole Sportule, ed Emolumenti della Curia, rispetto alli quali
„ si dovranno sempre reputare come Cause Civili, anche in grado di ri-
„ corso, e di ulteriore istanza.

„ Ma perchè in questa parte sono insorte per lo passato, e forse pendo-
„ no tuttavia alcune Controversie di competenza tra la detta Congrega-
„ zione della Consulta, e l' altra de' Sgravj, e Buon Governo: Volen-
„ do perciò togliere affatto di mezzo ancor queste, decretiamo, e stabi-
„ liamo, che non sia lecito in avvenire alla detta Congregazione della Con-
„ sulta, nè al suo Segretario, neppure di consenso delle Parti, ingerir-
„ si, o intromettersi nè in prima, nè in altra ulteriore istanza, nelle Cau-
„ se di Danni dati, ancorchè studiosi, o manuali, se non quando solamen-
„ te il Danno sia talmente qualificato, che passi in nome di altro Delitto,
„ e tale, per il quale ne' Bandi generali sia stata imposta la Pena della Gale-
„ ra, o della morte naturale.

„ E quanto all' altra Congregazione de' Sgravj, e Buon Governo, e
„ suo Segretario, vogliamo bensì, che le sia lecito ne' casi occorrenti di
„ dare quei provvedimenti, che stimarà più opportuni, e per gli Affitti
„ del Provento del Danno dato, o per riparto della Quota, che deve per
„ esso pagarsi in Camera, quando non vi sia chi voglia prenderlo in Af-
„ fitto; Ed in oltre, che nel caso poc' anzi espresso, che il Giudiee del
„ Luogo, o Ecclesiastico, o Secolare, contro il Nostro divieto, ardisca
„ di appropriarsi le Pene, che spettano unicamente alla Comunità, o di
„ farne grazia, o condonarle in tutto, o in parte, o di esigere per se, o
„ suoi Ministri, ed Esecutori, gli Emolumenti del Decreto, o della Ese-
„ cuzione, prima che sia stato risarcito il Danno alla Parte danneggiata; ed in
„ oltre effettivamente pagata la Pena nelle mani del Depositario della Comu-
„ nità, o dell' Affittuario di tal Provento, possa detta Congregazione *ma-*
„ *nu Regia, et more Camerali* costringere il Giudice, che avrà contrave-

„ nuto, alla restituzione di tutto il percetto, ed al pagamento della detta „ Pena di scudi cinquanta per volta in benefizio della Comunità; Ma non „ mai, che possa assumere, neppur di consenso delle Parti, nè in prima, „ ne in altra ulteriore istanza, la cognizione di alcuna Causa particolare „ di Danno dato, ancorchè questa si agitasse in nome della Comunità, o „ suo Affittuario, e molto meno interloquire sopra la pertinenza più tosto „ ad uno, che ad un' altro Giudice. Dichiarando Noi nullo, ed irrito tutto „ ciò, che si facesse dall' una, e dall' altra Congregazione contro la forma „ della presente Nostra Disposizione, per essere così Mente, e Volontà „ Nostra espressa.

„ Volendo e decretando etc.

„ Non ostante etc.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCL. octavo Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno XI.

N. XXXVIII.

Constitutio in forma Brevis Benedicti XIV. super officio Consulatus Civitatis Æsii.

BENEDICTUS XIV.
Ad perpetuam rei memoriam.

INter multiplices Sacrosancti Apostolatus Officii nostri, quibus jugiter premimur curas, in illam peculiari studio incumbimus, ut nostrorum, et S. Sedis Subditorum jura ubique sarcta, et tecta, ac illibata tueri, et conservare per traditam nobis divinitus potestatem satagamus, sicut omnibus maturè, ac debitè pensatis, justitiæ, ac rationi consentaneum esse in Domino arbitramur. Cum itaque sicut accepimus ex Officio Consulatus Civitatis nostræ Æsinæ ab immemorabili tempore in ea erecto dilecti Filii Communitas, Universitates, et Homines, Incolæque Civitatis præfatæ, ac Terrarum, Oppidorumque totius Comitatus Æsini magnum commodum, utilitatemque percipiant propter facultatem ad hujusmodi officium spectantem nimirum summariè cognoscendi Causas Civiles usque ad summam viginti quinque florenorum monetæ illarum partium, quæ quidem facultas, alias nempe die 27. Junii 1523. à bo. mem. Alexandro dum vixit S. R. E. Cardinali Cesarini nuncupato tunc temporis ejusdem Civitatis munere Gubernatoris fungente ad summam quinquaginta Florenorum parium, qui summam viginti quinque scutorum monetæ romanæ constituunt extensa, et ampliata fuit sub eisdem Legibus, quæ habentur in Capitulis ejusdem Officii tum priscis tum modernis, Nobis, una cum resolutione à dilectis itidem Filiis Consilio Generali dictæ Civivitatis die 15. Martii 1752. celebrato exhibitis. Hinc est, quod nos qui nihil curamus impensius, quam ut in Causis quibuscumque præsertim Civilibus tenuis summæ quantum fieri potest è medio sublatis longis litibus, disceptationumque Forensium tricis, Partiumque sum-

sumptibus per solam, liquidamque veritatis inspectionem Jus suum unicuique tribuatur, attento, quod ejuscemodi Consulatus Officium, illiusque Leges tum priscæ, tum recentes ad præmissum effectum, et finem adamussim spectant justis, ac rationabilibus Causis animum nostrum moventibus adducti, ac felici prosperoque regimini, Gubernio, atque commodo Populorum nostræ curæ commissorum quantum cum Domino possumus consulere cupientes, nec non Capitula quæcumque ad dicti Consulatus Officium pertinentia, ac supradictam Consilij Generalis hujusmodi resolutionem die 15. Martii dicti anni 1752. celebrati, illorumque, et illius totum tenorem præsentibus pro expresso, et inserto habentes, motu proprio, certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine supradictum Officium Consulatus in Civitate nostra Æsina ab immemorabili tempore pro commoditate Hominum, et Incolarum Civitatis, ac Terrarum, et Locorum, Oppidorumque Comitatus Æsini litigantium, sicut præmittitur erectum, nec non tum priscas, tum de novo conditas Leges, et Reformationes juxta resolutionem dicti Consilii Generalis ejusdem Civitatis die 15. Martii ejusdem Anni 1752. habiti præscriptas, volitasque cum omnibus, et singulis facultatibus, auctoritatibus, et Privilegiis Officii hujusmodi alias concessis, et extensis approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, omnesque, et singulos Juris, et Facti etiam substantiales defectus, si qui desuper in præmissis intervenerint supplemus, et sanamus. Propterea motu, scientia, deliberatione, et Potestatis plenitudine paribus statuimus, præcipimus, et mandamus, ut a Judiciis vulgo *de Giudicati* Consulum, seu Officii Consulatus hujusmodi, in quibus recursus, et appellatio, nempe a summa scutorum duorum usque ad summam viginti quinque scutorum inclusivè juxta dispositiones legales municipales, seu statutarias dicti Officii fieri solet, et potest Appellatio, et recursus hujusmodi ad Judicem Civitatis prædictæ dumtaxat, etsi Judex præfatus in suspicionem habitus fuerit, vulgo ut dicitur *allegato per sospetto*; quo casu ad unum Civem Nobilem, et Juris utriusque Doctorem à dilectis quoque Filiis Magistratu Nobilium dictæ Civitatis toties quoties opus fuerit seu semel eligendum, et nominandum, semper tamen per acta Notarii Officij Consulatus hujusmodi non tamen ad alios quoscumque Judices, et per acta quorumcumque aliorum Notariorum Civitatis præfatæ, omninò spectet, ac spectare debeat, qui summariè, et de plano, sola facti veritate inspecta juxta supradictas dicti Officij Consulatus Leges hujusmodi Causas in gradu appellationis, et recursus cognoscere, ac fine debito decidere, et terminare possit. Demum motu, scientia, et Potestatis plenitudine similibus, omnes et singulas facultates Officio Consulatus, seu Consulibus, ac Judici præfatis aliàs concessas, et impertitas pro executione eorum Judiciorum vulgo Giudicati, et privativam Jurisdictionem quoad omnes super cognitione, et decisione causarum præfatarum itidem confirmamus, et approbamus, et quatenus opus sit easdem facultates ut præfertur Officio Consulatus, seu Consulibus, et Judici prædictis concessas, et extensas de novo concedimus, et impertimur. Mandantes, et præcipientes sub pœnis nostro, et Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum arbitrio imponendis, infligendisque, et

sub

sub nullitate quorumcumque Actorum, et Iudicii: quod deinceps etiam de ambarum Partium litigantium consensu Causæ hujusmodi tam in prima instantia, quam in gradu appellationis, et recursus a judiciis Officii Consulatus prædicti a Gubernatore pro tempore existente Civitatis prædictæ, et illius Locumtenente, seu a quocumque alio Iudice ordinario hujusmodi civitatis minime cognosci possint, nec Jurisdictio prædicta ad dictum Officium Consulatus, seu Consules, et Judicem Appellationum, et recursuum spectans per nos vigore præsentium confirmata, et quatenus opus sit de novo concessa ad Gubernatorem, illiusque Locumtenentem, aliosque Judices Ordinarios dictæ Civitatis nullo umquam tempore extendi, seu ab illis quocumque titulo vel ratione pretendi possit. Decernentes easdem præsentes litteras, ac in eis contenta quæcumque etiam cujusvis status, gradus, ordinis, et conditionis, ac præeminentiæ, et dignitatis, aut alias etiam specifica, et individua mentione, et expressione digni in præmissis forsan Jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causæ præter quas ipsæ præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis Juridica, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite etiam in corpore Juris clauso etiam enormis, et totalis læsionis nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, alioque quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali defectu notari impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum aliudve quodcumque Juris facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, et extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissimè suffragari, et inviolabiliter observari, et adimpleri; Sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores a S. R. E. præfatæ Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpetrandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane etc.

M*otu Proprio*. Sebbene la privativa Giurisdizione, che compete al nostro Monsiguor Tesoriere Generale, e suoi successori tanto per l' Ufficio del Tesorierato, quanto per ragione della Collettoria de' Spogli, ed altri Diritti Camerali, sia senza meno incontrastabile, come quella che con varie prescrizioni, e provvidenze di più Sommi Pontefici nostri Predecessori fù Loro conceduta, e confermata, come segnatamente costa dalla Costituzione della fel. mem. di Sisto V. degli 11. Maggio 1585., e da altre Bolle, Motu proprj, e Chirografi confermatorj, il tenore de' quali vogliamo quì per espresso; E quindi li stessi Tesorieri pro tempore abbiano sempre mai esercitata tal privativa Giurisdizione, colla cognizione delle Cause, e Contro-

troversie Civili, Criminali, e miste, riguardanti tanto i Beni, Effetti, e Proventi in qualunque modo, e per qualsivoglia titolo attinenti e devoluti al nostro Erario Pontificio, quanto le Persone degli Appaltatori, Affittuarj, Enfiteuti, Ministri, Coloni, ed altri addetti alla Amministrazione, Esigenza, e servizio di detti Beni, e Proventi Camerali, e comunque pure li predetti Tesorieri pro tempore senza veruna esitanza, ed in forza della stessa Privativa Giurisdizione abbiano sempre delegato occorrendo gli Assessori, e Giudici Camerali, li quali giudicassero in prima Istanza le dette Cause, nulla dimanco avendo il nostro Monsignor Tesoriere in esecuzione di special Chirografo della felice memoria di Clemente XIV. nostro Predecessore segnato li 18. Dicembre dell' Anno 1773. stipolato sotto li 21. di detti Mese, ed Anno per gli Atti del Mariotti nostro Segretario di Camera a favore del Marchese Alessandro Bandini Collaterali della nostra Città di Camerino l'Istromento di Enfiteosi perpetua per se, suoi Figli, e Discendenti Maschi di Maschio durante la di lui Linea e Discendenza Mascolina, di tutti li Beni Stabili, colli Loro Annessi, e Connessi della Badìa di Santa Maria di Chiaravalle di Fiastra, Sarocciano, e Santa Maria in Selva, poste ne' Territorj di Urbisaglia, Loro, Tolentino, Monte dell' Olmo, Montecchio, Macerata, Monte Milone, ed altri Luoghi della nostra Provincia della Marca, possedute una volta dal Collegio Romano della soppressa Compagnia di Gesù, ed indi devolute alla nostra Santa Sede, e Camera Apostolica, e fra gli altri Patti, e Condizioni stabilite, avendo particolarmente nell' indicato Istromento preservati al detto Marchese Bandini, e suoi, tutti que' Privilegj, ed Esenzioni, che godevano gli antichi Possessori, colla dichiarazione in oltre che tanto la Persona dell' Enfiteuta e suoi, quanto i di Loro Ministri, Coloni, e Lavoratori, ed altri addetti al Servizio di dette Badìe, dovessero rimanere soggetti alla Giurisdizione di detto Monsignor Tesoriere, e suoi Successori, o altro Giudice privativo, che da esso, e da detti Tesorieri Successori fosse deputato; In vista pertanto di tali Convenzioni, e coerentemente alle sue ordinarie facoltà, stimò di delegare nelle dette Badìe il Canonico Don Giuseppe Costa in Assessore, e Giudice privativo di prima Istanza, e perchè tuttociò si rendesse noto ad ogni, e qualunque Persona fece in appresso pubblicare un Editto da esso, e da Monsignor Commissario Generale della nostra Camera, segnato li 10. Settembre 1774., quale impresso venne successivamente pubblicato tanto nella Città di Macerata, che nelle dette Badie. Ma perchè non ostante un tale Editto, ci è giunto a notizia, che possa richiamarsi a contesa la Giurisdizione, come sopra comunicata dal predetto Monsignor Tesoriere allo stesso Giudice, e che siano state anche avanzate alcune pretensioni turbative di detta Giurisdizione; Considerando pertanto Noi quanto queste sieno ingiuste, ed irragionevoli; Colla presente però Cedola di Motoproprio, in cui abbiamo per espresso, e di parola in parola inserito il tenore di tutte le Bolle, e Costituzioni Apostoliche, Brevi, Moti proprii, e Chirografi, e qualsisiano altre Ordinazioni de Nostri Predecessori riguardanti la Giurisdizione di Monsignor Tesoriere generale pro tempore, e futuri Successori, tanto nel detto Uffizio, quanto nella Collettoria generale de' Spogli colla pienezza della nostra Suprema Autorità, e podestà, avocan-

cando in primo luogo tutte e singole Cause avanti qualsisia Giudice, e Tribunale vertenti, e quelle rimettendo al detto Monsignor nostro Tesoriere Generale pienamente, ed in tutte le sue parti approviamo, e confermiamo il menzionato Editto, come sopra da esso Monsignor Tesoriere pubblicato, il tenore del quale da esibirsi, e registrarsi assieme colla presente nostra Cedola di Moto proprio, e tuttociò, che in quello si contiene, come da Noi ben visto, e considerato, vogliamo quì di parola in parola espresso, e ripetito, e colla stessa Nostra Suprema Autorità confermiamo al detto Marchese Bandini, e suoi tutte l' Esenzioni, e Privilegj nell' Istromento d' Investitura accordate, e nello stesso Editto espresse, come pure il Giudice privativo dal predetto Monsignor nostro Tesoriere deputato, con tutte le facoltà al medesimo attribuite, e concedute, e quando anco faccia di bisogno concediamo ex integro al predetto Marchese Bandini nostro Enfiteuta tutte quelle esenzioni, privilegj, ed immunità nell' Istromento d' Investitura ad esso accordate, e che godevano gli antichi Possessori di dette Badie, e così pure nuovamente concediamo al predetto Monsignor Tesoriere, ed al Giudice privativo, come sopra da Lui deputato, ed altri da deputarsi da futuri Successori Tesorieri la privativa Giurisdizione di procedere, e decidere le Cause sì Civili, che Criminali, e miste, espresse nel detto Editto, e riguardanti non solo lo stesso Marchese Bandini nostro Enfiteuta, suoi Successori, Loro Ministri, Affittuarj, Coloni, ed altri addetti al servigio di dette Badìe, ma eziandio li Beni, Effetti, Proventi, Rendite, e tutt' altro di pertinenza di esse, preservato però sempre nella maniera solita, e consueta alle Comunità di Tolentino, ed Urbisaglia il Diritto, che si asserisce competerle di presiedere per mezzo de Loro Consoli alle Fiere, che si fanno nelle dette Badìe, e vogliamo, ed ordiniamo, che tanto rispetto al godimento di detti Privilegj, ed Esenzioni, quanto in rapporto alla detta Giurisdizione privativa, niun' altro Giudice, nè Tribunale, tanto Ecclesiastico, che Laico della Romana Curia, e del nostro Stato, Congregazioni, ancorchè composte de' Rm̃i Cardinali, e Prelati, fuori che lo stesso Monsignor Tesoriere, e suoi Successori, o Giudice, ed Assessore privativo, come sopra delegato, e da deputarsi, possa, nè possino assumere la cognizione, ed apporvi le mani, e però espressamente in virtù di Santa Ubbidienza, e sotto pena della nostra indignazione, della nullità degli Atti, ed altre pene a nostro arbitrio comandiamo ai predetti Giudici, e Tribunali tanto del nostro Stato, quanto della Romana Curia, che non ardischino in qualunque modo, ne sotto qualsivoglia pretesto, causa, o colore turbare, o violare la Giurisdizione privativa a detto Monsignor Tesoriere, e suoi Successori, ed al Giudice, come sopra nelle stesse Badìe delegato, o altro da delegarsi, o direttamente, o indirettamente controvertere, ed infringere alli detti Enfiteuta, Ministri, Affituarj, Coloni, ed altri addetti al servizio di dette Badìe di detti Loro Privilegj, Immunità, ed Esenzioni, ma debbano quelle, e quelli inviolabilmente attendere, ed osservare, ordinandone ancora a tutti la piena, e totale osservanza, per essere tale la mente, e volontà nostra espressa. Volendo, e decretando, che la presente nostra Cedola di Moto proprio, benchè non ammessa, ne registrata in Came-

mera, e ne' suoi Libri, secondo la disposizione della Bolla di Pio IV. nostro Predecessore de registrandis, vaglia, e debba avere sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore, colla semplice nostra firma, nè gli si possa in alcun tempo opporre di surrezzione, orrezzione, nè di alcun altro vizio, o difetto della nostra volontà, ed intenzione, e che così, e non altrimenti debba sempre nelle cose premesse, e ciascheduna di esse giudicarsi, e definirsi da qualunque Giudice, e Tribunale ancorchè Collegiato, e composto di Rmi Cardinali, anco Legati, e Vice-Legati, e da qualunqu'altro di qualsivoglia preeminenza, e superiorità, togliendo Loro, ed a ciascheduno di essi la facoltà, ed autorità di giudicare, decidere, e definire, ed interpretare diversamente, dichiarando fino ad ora nullo, irrito, ed invalido tuttociò, che scientemente, ignorantemente si facesse, o si tentasse di fare in contrario, non ostante la detta Bolla di Pio IV., la Costituzione Romanæ Curiæ præstantiam di Benedetto XIV., le Regole della nostra Cancellaria de Jure quæsito non tollendo, e qualsisiano altre Costituzioni Apostoliche nostre, e de' nostri Predecessori, Leggi, Statuti, Riforme, usi, e consuetudini anche contrarie, ed immemorabili, alle quali tutte, e singole, avendone il tenore quì per espresso, e di parola inserito, all' effetto sudetto per questa volta solamente, ampiamente, ed espressamente deroghiamo. Dato dal Vaticano questo dì 10. Maggio 1775.

PIUS PAPA VI.

N. XLV.

Moto proprio della Santità di N. S. PP. Pio VI. intorno alla pertinenza delle Cause de' danni dati sopra i Beni Camerali dello Stato di Castro e Ronciglione, e delle Terre di Onano, e Proceno.

Motu *proprio &c.* Si dibatte già da gran tempo con varietà di pareri, e con ardente impegno fra i due Tribunali della Consulta, e di Monsignor Tesoriere Generale, ed in conseguenza frà i Commissarj, Podestà, Assessori, e Castellani, che dall' uno, e dall' altro sogliono deputarsi per la Custodia de' Beni, e pel governo de' Popoli nel nostro Stato di Castro, e Ronciglione, e nelle Terre di Onano, e Proceno, la Controversia giurisdizionale intorno alla pertinenza delle Cause de' danni dati sopra i Beni proprj, enfiteotici, e livellari della Nostra Camera Apostolica, pretendendo sì gli uni, che gli altri arrogarsi privativamente la cognizione, e giurisdizione di tutte le Cause attinenti ad essi danni: Controversia, che tiene in continua discordia, e perturbazione non meno i Giusdicenti, che le Comunità di quei Luoghi; che è di remora al corso della giustizia; che inquieta sovente i Tribunali di Roma, e ben' anche il Sovrano, e produce infiniti altri sconcerti, e talora funestissime conseguenze. Providamente pertanto Clemente XIII. Nostro Predecessore ad istanza di Monsignor Commissario della Nostra Camera destinò fin dal Mese di Gennajo 1768. una Congregazione Particolare

di cinque Reverendissimi Cardinali, per ultimare, e decidere giudizialmente tutte le differenze. Questa però non essendosi radunata giammai, divenne sempre più maggiore il disordine, l' incertezza, e lo scandalo, per cui riparare, allorchè Noi sostenevamo la Carica di Tesoriere Generale, non abbiam tralasciato ogni mezzo possibile, affine di concertare con Monsignor Secretario, ed altri Ministri della Consulta, sentiti ancora gli Affittuarj, e Ministri Camerali, un ben' inteso sistema, che combinasse ad un tempo il privilegio Fiscale con il bisogno, che v' era di non togliere affatto gli emolumenti dell' Officio ai tanti Governatori, e Podestà, che si spediscono dalla Consulta nelle Terre dello Stato di Castro senz' alcuna mensual provisione. Nelle stesse premure succedette poscia l' odierno Monsignor Tesoriere; Ma incagliato sempre l' affare, or per una, or per un' altra difficoltà, son rimaste le cose nel medesimo piede, ed involti quei Popoli nell' antica confusione, molestia, e disturbi. Ora poi, che dalle adorabili disposizioni dell' Altissimo siamo stati chiamati al governo de' Nostri dilettissimi Sudditi, crediamo esser providenza indispensabile del Principe di stabilire finalmente la quiete e il buon' ordine nel detto Stato di Castro, e nelle suddette Terre di Onano, e Proceno, con circoscrivere i limiti alla giurisdizione d'amendue i Tribunali, e dare un certo, fisso, e stabile regolamento per le Cause de' Danni, che seguono in detti luoghi sopra i beni della Nostra Camera.

A tal' effetto colla presente Cedola di Moto proprio, in cui abbiamo per espresso, e di parola in parola inserto il tenore della Costituzione di Benedetto XIV. emanata li 25. Gennajo 1751. *Super pertinentia Causarum de damno dato*, li Capitoli dell' Appalto dello Stato di Castro confermati con Chirografi Pontificj de' Nostri Predecessori, le risoluzioni, Decreti, e Sentenze emanate di tempo in tempo sù questa stessa questione, lo stato della lite attualmente pendente nella suddetta Congregazione deputata da Clemente XIII., ed ogni altra cosa quantosivoglia necessaria ad esprimersi, e che richiedesse specifica, ed individua menzione, di Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra Suprema autorità avochiamo primieramente a Noi non solo dalla surriferita Congregazione Particolare, ma da ogni altro Giudice, e Tribunale, anche supremo, e del Nostro Rm̃o Cardinal Pro-Auditore, tutte e singole le accennate Liti, e Controversie risguardanti la pertinenza delle Cause de' Danni dati sopra i Beni Camerali dello Stato di Castro, e delle Terre di Onano, e Proceno, indi imponendo alle medesime un perpetuo fine e silenzio, dichiariamo, ed ordiniamo, che quante volte si tratti di Danno dato nei Beni proprj della Nostra Camera Apostolica, vale a dire in quelli, che si coltivano a conto proprio dalla medesima per mezzo de' suoi Affittuarj e Subaffittuarj, e de' quali il dominio sì diretto, che utile appartiene alla stessa Camera, nella Persona de suddetti Affittuarj, e Subaffittuarj, la cognizione di tal Causa privativamente spetti al Giudice Camerale, come ha sempre ammesso, e definito in simili casi contro i suoi Governatori, e Podestà la stessa Consulta, da cui sotto *i dì* 13. *Aprile*, *e* 22. *Luglio* 1698., come pure *li* 14. *Settembre* 1703., fu solennemente risoluto = *Cognitionem quorumcumque Damnorum Datorum in Bonis propriis Rev. Cameræ spectare ad Rev. Cameram* = quali risoluzioni, ed altre susseguentemente prese in simiglievo-
li

li circostanze, coll' Apostolica Nostra Autorità pienamente approviamo, e confermiamo. Parimenti vogliamo, e comandiamo, che sia, e s' intenda riservata agli Assessori, Castellani, ed altri Giudici Camerali la privativa cognizione del Danno dato eziandio ne' Beni enfiteotici, e livellari della Nostra Camera, ogni qual volta però si tratti d' enfiteusi, e livello temporaneo, per cui si paghi non in danaro, ma in specie l' annua Corrisposta incerta, e variabile, secondo il maggiore, e minor raccolto, giacchè in questo caso i danni, che cadono sù tali Beni enfiteotici, e Livellarj, ridondano ancora in pregiudizio della stessa Camera, e suo Affittuario, a cui per i frutti danneggati viene a diminuirsi il suo Livello, ed annua risposta, che si misura, e si regola dalla quantità maggiore, e minore di essi frutti.

All' incontro vogliamo, e dichiariamo, che a' Governatori Locali, Podestà, e Commissarj soliti deputarsi dalla Consulta per l' Amministrazione della Giustizia, e pel governo de' Popoli del suddetto Stato di Castro, e Ronciglione, e nelle Terre di Onano, e Proceno, sia lecito di procedere privativamente in tutte, e singole Cause de' Danni, che seguono sopra i Beni enfiteotici, e Livellarj della Nostra Camera, qualora si tratti di Beni concessi in enfiteosi, Livello, o Locazione perpetua, senza punto aver riguardo alla qualità dell' annua Corrisposta, volendo, ed ordinando, che in tutti i casi, nei quali i Beni sono usciti per Contratto perpetuo dal Dominio della Nostra Camera, o se ne corrisponda il danaro, o la specie, sempre la cognizione del Danno dato in essi Beni appartenga ai suddetti Governatori, e Podestà deputati dalla Consulta, colle riserve però, e cautele, che spiegaremo più sotto in quanto all' esazione della pena. Rispetto poi agl' altri Beni dati in enfiteosi, e Livello temporaneo in due casi sarà lecito similmente a detti Governatori, e Podestà, di conoscer privativamente le Cause del Danno Dato, o quando se ne paghi l' annuo Canone, e Risposta in danaro, o quando, pagandosi anche in specie, sia la quantità sempre fissa, certa ed invariabile, la quale non soffra diminuzione, o alterazione alcuna per il danno recato alli frutti.

E perchè vi sono, specialmente nello Stato di Castro, parecchi Terreni, che, avuto riguardo ai diversi frutti, si possiedono insieme da diversi Padroni, mentre in alcuni il pascolo è della Camera, ed il fondo trovasi alienato ai Particolari per enfiteusi, Livello, o Locazione perpetua: In altri il pascolo appartiene alle Communità, sebbene il fondo, e gli altri frutti spettino alla Camera; perciò affine di togliere ogni occasione di nuovo litigio, vogliamo, e dichiariamo, che il Giudice Camerale debba procedere unicamente nelle Cause de' Danni, che sieguono nella porzione de' frutti appartenenti alla Camera, e suoi Affittuarj, o Subaffittuarj, riservata ai Podestà, e Governatori Locali la Cognizione d' ogn' altro Danno che caderà ne' frutti spettanti alle Comunità, o ai Particolari.

In oltre potendo accadere, come accade sovente, che il danno venga recato nei Beni delle Comunità, e Particolari, ma però cogl' animali della Camera, suoi Affittuarj, o Subaffittuarj, in tale caso ordiniamo, e dichiariamo, che se verrà arrestato il solo Custode, la Causa si conosca privativamente dal Podestà, e Governatore Locale, se poi verranno arrestati, ricondot-

dotti, o appignorati i soli animali, la Causa spetti privativamente al Giudice Camerale; e qualora fossero arrestati, e pignorati unitamente il Custode, e gli animali, vogliamo, che sia in arbitrio, ed elezione di chiunque sarà stato danneggiato di sperimentare le sue ragioni o avanti il Giudice Camerale, o avanti il Governator Locale, come rispetto agli animali degli Ecclesiastici si dispone nell' accennata Costituzione di Benedetto XIV. Nostro Predecessore *super pertinentia Causasum de Damno Dato*, a cui in questa parte ci riferiamo.

Finalmente avendo la Nostra Camera sin dai 13. Gennaro 1760. date in affitto perpetuo alle due Communità di Ronciglione, e Caprarola due Selve Camerali esistenti nei respettivi Territorj, con patto espresso, e condizione, che le Cause tanto Civili, quanto Criminali del Danno dato, debbano spettare all' Assessore pro tempore di Ronciglione, perciò affine di liberare la Nostra Camera dalle molestie, che forse potrebbero inferirglisi dalle suddette Communità per l' inadempimento di un tal patto, dichiariamo tali Selve eccettuate dalla legge generale sopra stabilita per li Beni concessi a Livello, e Locazione perpetua, e vogliamo, che rispetto alla cognizione del danno dato in dette Selve debba attendersi, ed eseguirsi quanto è stato promesso, e convenuto nello Stromento stipolato sotto il dì, ed anno suddetti per gli atti del Chiarelli uno de Segretarj della Nostra Camera.

Dichiariamo ancora, che le presenti leggi, e ordinazioni come che da Noi prescritte, e stabilite non in tutto a seconda della disposizion di ragione, che piuttosto si attiene dalla banda dei Giudici Camerali, ma per motivi economici, e prudenziali riferibili al solo stato di Castro, e Ronciglione, ed alle suddette Terre di Onano, e Proceno, e per un provedimento necessario alla buona polizia di quei Governi, non debbano stendersi, nè aver luogo, e vigore alcuno nell' altre Città, Terre, e Provincie del Nostro Stato Ecclesiastico, le quali dovranno, come in passato, rimaner soggette al dritto comune, ed alla suddetta Costituzione Benedettina.

Siccome poi le Comunità dello Stato di Castro, e Ronciglione, come anco le altre di Onano, e Proceno, per non essersi composte colla Camera, non possono applicarsi le pene de Danni dati, le quali senza contrasto appartengono ad essa Camera, ed ai di lei Affittuarj, così vogliamo, ed ordiniamo, che in tutti i casi, nei quali la Cognizione del danno dato spettarà, come sopra si è stabilito, ai Governatori, e Podestà Locali, non possino i medesimi far Decreti assolutorj, o penali, se prima non sarà concordato l' Affittuario intorno la pena ad esso spettante.

Per ultimo inculchiamo, e strettamente comandiamo in virtù di S. Obbedienza, e sotto la pena della Nostra indignazione, e nullità degl' atti, ed altre più gravi a Nostro arbitrio, tanto agli Assessori, Castellani, e simili Giudici Camerali, quanto ai Commissarj, Podestà, e Governatori della Consulta, di non oltrepassare i limiti, che sono stati fissati, e prescritti alla respettiva loro giurisdizione, nè ingerirsi, e procedere in alcun modo nelle Cause riservate all' altrui cognizione sotto qualsivoglia causa, colore, e pretesto, neppure di consenso delle Parti, dichiarando Noi nullo, irrito, ed attentato tutto ciò, che si facesse o dagl' uni, o dagl' altri contro la pre-

presente Nostra disposizione, per esser così mente, e volontà Nostra espressa. Volendo, e decretando, che la presente Nostra Cedola di Moto proprio ammettendosi, e registrandosi in Camera, e ne' suoi libri a tenore della Bolla di Pio IV. Nostro Predecessore *de registrandis*, voglia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice Nostra sottoscrizione, e che non gli si possa mai oppore di surrezione, orrezione, nè di alcun' altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto tali, o altri pretesti abbenchè validissimi, e giuridichi, anche di Jus quesito, e pregiudizio del terzo, possa essere impugnata, moderata, rivocata, e ridotta ad viam Juris, o concedersi contro di essa l'aperizione Oris, o altro qualunque rimedio; e che così, e non altrimenti debba sempre, ed in perpetuo giudicarsi, definirsi, ed interpetrarsi dalla Consulta, Camerlengo di S. Chiesa, Monsignor Tesoriere Generale, e da qualsivoglia altro Giudice, e Tribunale benchè Collegiale, e Congregazioni anche di Reverendissimi Cardinali, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpetrare in contrario; Dichiarando Noi fin d'adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità scientemente, o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse di giudicare contro la forma, e disposizione della presente Nostra Cedola di Moto proprio, quantunque non vi sieno state chiamate, sentite, o citate qualsisiano Persone ancorchè privilegiate, e privilegiatissime, che avessero, o pretendessero avere interesse, e che per comprenderle vi fosse bisogno della special loro menzione, non ostante la Costituzione di Benedetto XIV. Nostro Predecessore super pertinentia Causarum de damno dato, la regola della Nostra Cancellaria de jure quæsitò non tollendo, e non ostanti ancora tutti, e singoli Chirografi, Brevi, Ordinazioni, e Costituzioni Appostoliche Nostre, e de Nostri Predecessori, leggi, statuti, riforme, stili, usi, consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, le quali tutte, e singole avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo colla pienezza della Nostra Podestà Pontificia ad ogni vizio, e difetto quantunque sostanziale, e formale, per questa volta sola, e per la piena, e totale esecuzione di quanto si contiene nella presente Nostra Cedola di Moto proprio ampiamente, ed in ogni più valida forma deroghiamo.

Dato dal Nostro Palazzo Apostolico Vaticano questo dì 24. Maggio 1775.

PIUS PP. VI.

N. XLVI.

N. XLVI.

SS. D. N. PII PP. VI. Literæ in forma Brevis, in quibus Motu proprio confirmantur omnia, et singula Privilegia Eminentissimi Episcopi Ostiensis, et Veliternen. super privativa ejus jurisdictione in dictis civitatibus, tam in civilibus, criminalibus, et œconomicis exclusivè ad quæcumque Tribunalia Urbis; etiam Congregationis ad Consultanda Pontificiæ Ditionis negotia designatæ, et præcipuè reintegratur ejus jurisdictio privativa super omnibus œconomicis Communitatis Velitrarum exclusive ad Sacram Congregationem boni regiminis.

UT primum nullis meritorum nostrorum suffragiis, sed Omnipotentis Dei benignitate ad Universa Ecclesiæ gubernacula admoti fuimus, statim animo perspeximus molestiarum, et procellarum moles, quæ in tam periculoso, difficilique navigationis cursu Nobis undique impenderent. Qua cogitatione deterriti propè animum abjecissemus, nisi infirmitatem Nostram jactavimus in Deum, qui imperat ventis, et mari, ac repente fit tranquillitas magna. Mox edocti exemplo Jesu Christi, qui licet efficere posset unus omnia, quæ vellet, tamen Apostolos adjutores, administros, operarios adhibuit ad fundandam Ecclesiam, quam acquisivit Sanguine suo, et Nos multo magis in partem Apostolici muneris advocavimus Venerabiles Fratres Nostros Cardinales, ut Nobiscum sedeant in puppi, et præsto sint consilio, auctoritate, fide, quorum benevolentiæ debere Nos plurimum nemo ignorat, et Nos præferimus. Ipsi enim Nobis, licet non multo antea in eorum Collegium cooptati fueramus, tamen clavum Christianæ Reipublicæ, et tantarum rerum administrationem tradere non dubitarunt. Quæ tamen suffragiorum pulcherrima significatio, ut in ipsis vehementius quoddam caritatis studium inflammare debet ad adjuvandam imbecillitatem Nostram, ita in Nobis gratam recordationem excitat adeo, ut nullam elabi occasionem patiamur, qui paterno affectu, et Pontificia liberalitate benemeritos de Nobis Venerabiles Fratres Nostros prosequamur, ut quæcumque illis utilia, atque honorifica esse dignoscuntur, libentissimè deferamus. Quos inter cum Nobis Episcopalis muneris necessitudine conjunctiores sint Cardinales Episcopi, quos Suburbicarios vocant, et præsertim Episcopus Ostiensis, et Veliternensis, qui plerumque Decanus Sacri Collegii solet esse, æquitas postulat, ut majorem quamdam rationem habeamus ejus dignitatis, quam ad totius amplissimi Collegii splendorem, decus, existimationemque redundare intelleximus. Is enim ex omni temporis vetustate habet prærogativam sane illustrem consecrandi, coronandique Romanum electum Pontificem, ut

ut mirum videri non debeat, si Pontifices amplioribus illum Privilegiis quasi certatim cumulaverint, et eidem præsertim Civitatis Veliternæ dominatum etiam temporalem, omnimodamque illius jurisdictionem quasi dono attribuerint. Sed Nos legendo comperimus, non eamdem omni tempore hujus Privilegii vim, ac statum mansisse, sive quod Episcopus Ostiensis, et Veliternus de ea diligentia, constantiaque, qua jus illud defendi oportebat, remiserit; sive quod nonnulli Magistratus, qui quod aliis conceditur tamquam sibi ereptum dolent, idem Privilegium evertere conati sunt. Primum itaque Franciscus Cardinalis Pisanus eo Privilegio uti negligenter desiit; sed non multo post Cardinalis Johannes Moronus honorificentissimis a Sancto Pio PP. V. literis die XVIII. Julii Anno MDLXVI. in antiquam possessionem restitutus est. At contra Sixtus PP. V. Anno MDLXXXIX. post mortem Alexandri Cardinalis Farnesii Jus temporale a spirituali prorsus abscidit, Cameræque Apostolicæ in perpetuum addixit; sed idem Sixtus V. quasi facti pœniteret, quod toti Collegio nimis iniuriosum videbatur, integram, et omnimodam Iurisdictionem, administrationem, et regimen temporale reservatum voluit ad triennium Johanni Cardinali Serbellonio Decano simul et Episcopo Veliterno, eique liberam facultatem attribuit cognoscendi privativè omnes, et quascumque Causas Civiles, Criminales meras, ac mixtas inter quascumque Personas quavis dignitate fulgentes tam in Curia, quam extra in quibuscumque instantiis eo planè modo, quo usi fuerant, utique sui voluere Decessores. Jam verò imminutam Episcoscopi Ostiensis, et Veliterni dignitatem restituit Gregorius PP. XIV. qui anno MDXXXI. die XXIII. Martii eidem Episcopo Sacri Collegii Decano pro tempore existenti Velitrarum regimen, et jurisdictionem temporalem commisit et Motu proprio memoratam abscissionem, et Cameræ Apostolicæ addictionem Sixtique Prædecessoris literas revocavit. Qui etiam Kalendis Maii ejusdem anni ad Alphonsum Cardinalem Gesualdum literas dedit, quibus Sancti Pii V. Privilegium confirmavit, præmissa instauravit, et ad utramque Ostiensem, et Veliternam Civitates extendit. Cæteris Prædecessoribus nostris, qui Gregorium subsequuti sunt, nihil fuit antiquius, atque solemnius, quam rata, firmaque ejusmodi habere Privilegia. Quippe Innocentius PP. IX. duorum mensium Pontifex dicto anno MDXCI. mense Decembri Gregorii literas, easdemque ter confirmavit anno MDXCII. Clemens PP. VIII., bis ante, die nimirum XXII. Februarii semel post editam XVIII. Kalendas Augusti Constitutionem de bono regimine, die nempe XII. Septembris cum privilegiis Pauli II., et IV., et Sancti Pii. V. relato integro dicti Gregorii literarum tenore. Paulus idem PP. V., qui Congregationi Boni Regiminis formam tribuit, anno MDCXV. XIX. Septembris Privilegia Pauli II., IV., Sancti Pii V. Gregorii XIV., et Clementis VIII. literis suis firmissimè roboravit. Id ipsum præstitere Urbanus PP. VIII. anno MDCXXXIII. XII. Novembris, Innocentius PP. X. anno MDCXLVI. XXIII. Aprilis. Alexander PP. VII. anno MDCLXVI. III. Septembris. Innocentius PP. XII., anno MDCXCV. XXII. Novembris. Clemens PP. XI. anno MDCC. XVIII. Decembris. Ac demùm Benedictus PP. XIV. (cujus recordatio gratissima nobis, ac suavissima semper esse solet, quod idem nos inter suos familiares summa benignitate asciverit, tantique Pontifi-

cis.

cis commendatione, ac præclaro judicio primus nobis patefactus est aditus ad capessendam Rempublicam). Is igitur in sua Constitutione: *Quantum ad procurandam*: edita xv. Februarii anno MDCCXLII. §. XXVI. disertissime testatus est, se nullum inferre velle detrimentum facultatibus S. R. E. Cardinalis Sacri Collegii Decani nunc, et pro tempore existentis ratione Ostiensis, et Veliternæ Ecclesiarum. At Clementis VIII. Constitutio illa, modo quam nominavimus, causa, et origo fuit dissentionum omnium, et litium, quibus majorem in modum oppugnata fuit Cardinalis Decani jurisdictio a duabus præsertim Congregationibus, quarum altera ad Consultanda Pontificiæ Ditionis negotia designata dicitur, altera Boni Regiminis. Et prima quidem, quo tempore Thomas Rufus, quem honoris causa nominamus, Cardinalis Decanus erat, et simul Episcopus Ostiensis, et Veliternus, non dubitavit palam illi, et imperiosè denuntiare ut transmitteret quosdam criminum Processus. At Cardinalis libero, et recto animo præcisè negavit. Sed cum Pontifex id tùm oportere per literas Cardinalis Secretarii Status declarasset, Pontifici imperanti paruit; præterea nemini. Altera autem Congregatio literas dedit: edicta vulgavit: Tabellas Datiorum Communis sibi transmittendas edixit, accepit, rexit, auxit, et minuit. Hæc vulnera Cardinalis Decani jurisdictioni inflicta sunt ab Administris Congregationis Boni Regiminis qui præcipue didicisse videbantur litigandi rationem, et vias. Etenim preces datæ sunt rec. mem. Clementi PP. XIII. Prædecessori nostro, et Principi in nos munificentissimo, a quo impetrata fuit, atque inde decreta particularis S. R. E. Cardinalium Congregatio, una cum suo Auditore, qui esset a Secretis; cui præcidendæ contentionis super jurisdictione causis, et negotiis Communitatis Velitrarum summa potestas esset. Lis diù protracta est usque ad Prædecessorem sa. mem. Clementem PP. XIV., quo Pontifice, propositum fuit in eadem Congregatione die XXII. Februarii anno MDCCLXXII. dubium: *An, et de cujus Jurisdictione constet in causis, et negotiis Communitatis Velitrarum?* Eaque causa, quæ æconomicè potius, ut ajunt, definiri debuisset, tam vehementer pertractata est contra Sacri Collegii Decanum, ut tacita feré omnium opinione minus fuerit comprobata. Attamen Causæ cecidit Cardinalis Decanus, pronuntiatumque fuit Decretum illud: *Constare de Jurisdictione Sacræ Congregationis Boni Regimis ad formam Constitutionum Apostolicarum*. Decretum consequuta est sententia, quæ vulgata fuit XIII. Julii dicti anni. Quæ tamen Congregationis sententia non ita circumspecta fuit, ut spes omnis Cardinali Decano præcideretur suum aliquando jus recuperandi. Moleste tulerunt Cardinales plerique omnes in ea Causa dijudicanda summum jus nimis diligenter exquisitum fuisse, non adhibitam æquitatem illam, quæ legum semper et moderatrix, et emendatrix fuit, cujus æquitatis ea præsertim vis erat in causa ista, ut habenda esset ratio dignitatis. Et quidem ipse Prædecessor noster sa: mem: Clemens XIV. Decretum antedictum quodammodo minus probasse visus est, ut confestim Auditori suo præceperit, moneri Fridericum Cardinalem Lantem Congregationis Boni Regiminis Præfectum, suam esse mentem, quoad Carolus Albertus Guidobonus Cardinalis Cavalchinus Episcopus, et Decanus vitam ageret, nil prorsus de antiqua sua jurisdictione circa temporale suarum Civitatum regimen esse

esse immutandum, sed ab obitum usque omnia sarta tecta servanda, editis resolutione, et sententia non obstantibus. At post Cardinalis Cavalchini obitum, Ven. Fratres nostri Johannes Franciscus Episc. Portuensis Card. Albanus Decanus, tum Henricus Benedictus Episcopus Tusculanus Cardinalis Eboracensis Sub-Decanus, quibus id jus erat, Ostiensem, et Veliternam Ecclesias, antiquissima jurisdictione, ac sui ornamentis spoliatas, ac veluti deformatas optare, atque accipere noluerunt. Ad ipsas tamen studio quodam curandi majoris boni permotus ascendit Venerabilis Frater noster Fabritius Cardinalis Serbellonius tunc Episcopus Albanensis, ad quem Prædecessoris nostri jussu a memorato Pontificis Auditore pariter datæ sunt Literæ, quibus ei potestas facta est, liberam exercendi jurisdictionem in iis, quæ pertinent ad annonam frumentariam, et oleariam Communitatis Velitrarum, necnon Furnos Annonæ addictos, et pecuniam, sive arcam ipsius Annonæ. Atque hæc mandata, præscriptaque sunt, quamvis, ex sententia dictæ Congregationis particularis, Annonæ Veliternæ cura ad Congregationem Boni Regiminis pertinere videretur. Non placuit tamen ipsi Congregationi, quæ tributam dicto Cardinali Serbellonio liberam memoratos Proventus administrandi facultatem quandoque turbare tentavit. Nos itaque omnibus hisce sedulo perpensis, et diligenter examinatis, considerantes, nulli reipsa convenientius, quam Episcopo Ostiensi, et Veliterno plerumque Sacri Collegii Decano pro tempore existenti, regimen temporale, et œconomicam jurisdictionem earumdem Civitatum, et Districtuum, et Territoriorum Ostiensium, et Veliternorum committi posse; non ad alicujus super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed Motu proprio ex certa scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine Privilegia Prædecessorum nostrorum, S.R.E. Cardinali Episcopo pro tempore existenti Ostiensi, et Veliterno ferè semper Decano, antea concessa adprobantes, confirmantes, et innovantes, quarum tenores pro expressis de verbo ad verbum hic haberi volumus, nimirum Pauli II., et IV., præcipue Sancti Pii V. concedentium facultatem Episcopo Ostiensi, et Veliterno pro tempore existenti per se, vel per alios cognoscendi omnes, et singulas causas Incolarum Civitatis Veliternæ, tam Civiles, quam Criminales, atrocibus exceptis (quam tamen exceptionem omnino delemus, et abrogatam esse volumus, atque decernimus) in prima, et secunda in ipsa Civitate Veliterna, et in tertia instantia in Urbe: necnon aliorum Prædecessorum nostrorum Gregorii nempe XIV., qui revocavit dismembrationem factam a Prædecessore Sixto V., et applicationem regiminis, et jurisdictionis temporalis Cameræ Apostolicæ: Innocentii IX., Clementis VIII., Innocentii XII., Clementis XI., et Benedicti XIV. dismembrationem, et applicationem Iurisdictionis œconomicæ, et Regiminis temporalis Ostiensis, et Veliternæ Civitatum factam Congregationi Boni Regiminis vigore memoratarum resolutionis, et sententiæ Congregationis particularis designatæ a fel: rec: Clemente XIII., et coactæ sub san: mem: Clemente XIV. Prædecessoribus nostris, diebus, et anno præfatis, et alia omnia, et singula, potissimè præmissas resolutionem, et sententiam auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo revocamus, cassamus, abolemus, annullamus, et irritamus; ac revocata, cassata, abolita, annullata, et irrita,

ta, nulliusque roboris, et momenti fuisse, et esse, nullique prorsus suffragari posse, seu debere, quamvis imposterum nova ederentur documenta, decernimus, et mandamus; quæ proindè haberi volumus, ac si nullo modo facta, ac lata fuissent, et emanassent. Easdemque Ecclesias Ostiensem, et Veliternam, earumque Episcopum, ad Regimen, et omnimodam Iurisdictionem temporalem, et œconomicam dictarum Civitatum, Districtuum, et Territoriorum cognoscendi omnes, et quascumque Causas Civiles, et Criminales cum potestate Gladii, et usque ad ultimum supplicium inclusive, ac mixtas (nolumus vero quicquam pœnarum, quæ corporum afflictivæ sunt, in hac ipsa urbe executioni mandari). Cœterum semota quacumque facultate Congregationis ad Consultanda Pontificiæ Ditionis negotia designatæ et in prima, et secunda in Civitate Veliterna, in tertia vero instantia in Urbe, cum omnibus, et singulis Arcibus, Fortalitiis, Palatiis, Hortis, omnibusque aliis Turribus, pertinentiis, adjacentiis, et annexis quibuscumque, prout Episcopus Ostiensis, et Veliternus ante dictam Constitutionem super Bono Regimine a san. mem. Clemente VIII., atque ante dismembrationem, et unionem vigore dictarum Resolutionis, et Sententiæ factam, gaudere, frui, possidere poterat, et jam ante dismembrationem, unionem, et incorporationem san. mem. Sixti V. revocatam a sa. mem. Gregorio XIV. ac in pristinum, et eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant, statum reponimus, restituimus, et privativè omnino ad Congregationem Boni Regiminis, et alteram ad Consultanda negotia Pontificiæ Ditionis designatam plenissimè redintegramus. Ita quidem, ut nunc, et pro tempore existens Episcopus Ostiensis, et Veliternus Regimen, omnimodam jurisdictionem temporalem, et æconomicam dictarum Civitatum, Districtuum, et Territoriorum, cum omnibus suis pristinis honoribus, omnibus Privilegiis, et facultatibus in omnibus, et per omnia gerere, et exercere possit, et debeat perinde ac si illa ab eisdem Ecclesiis dismembrata, et separata, ac dicta Cameræ et Cong. Boni Regiminis incorporata, applicata, et unita, ejusque Constitutio edita nunquam fuissent. Qnin immo pro majori cautela prædicta omnia per præsentes innovamus, ac denuo Episcopo Ostiensi, et Veliterno concedimus, et indulgemus, et elargimur, atque ad utramque Ecclesiam Ostiensem, et Veliternam, earumque Civitates, Incolas, Populos, et Subditos similiter perpetuo extendimus, et privativè servari mandamus. Cæterum ad præfocanda, ac penitus elidenda semina omnia cujuscumque controversiæ, quæ suboriri posset circa Administrationem œconomicam Velitrarum, interdicimus ejusdem Communitatis Hominibus quibusvis, ut ne audeant ullo pacto, ulloque prætextu confugere ad Congregationem Boni Regiminis, ejusque Administros, sub pœnis arbitrio præfati Cardinalis Episcopi infligendis; et vicissim Administris, et Officialibus supradictis mandamus, ut supplices eorum libellos, et instantias quascumque reiiciant, proposita iis, qui contra fecerint pœna privationis Officii, et aliis nostro, nostrorumque Successorum arbitrio infligendis. Quo circa Ministris ejusdem Congregationis Boni Regiminis mandamus, ne imposterum eas, quas dicunt onerum, et collectarum sive Cameralium, sive Communitativarum Tabellas, et respectivè processus amplius exquirant, nec ad Urbem, et Congregatio-

gationes ipsas transmitti postulent; sed, et acceptas existentes, et hactenus transmissas Tabellas post editam Constitutionem, et institutam Boni Regiminis Congregationem, statim restitui, et consignari Venerabili Fratri Nostro Fabritio S. R. E. Episcopo Ostiensi, et Veliterno Cardinali Serbellonio, districtè præcipimus: irritas, et inanes decernentes earum, eorumque ab initio fuisse transmissiones. Quod si aliquando contingat delictorum processus diligentiore putari dignos examini, volumus, nihil per Congregationem ad Consultanda Pontificiæ ditionis negotia designatam Injussu Nostro, aut pro tempore existentis Romani Pontificis attentari, agique posse, sed Nobis, et Successoribus Nostris dumtaxat consultis expostulari, et Pontifice solum, et expressè jubente ad Urbem posse transmitti. Præterea in virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus S. R. E. Cardinali Camerario, Cardinalibus Congregationum Boni Regiminis, et ad Consultanda Pontificiæ Ditionis negotia designatæ, Cameræ Nostræ Auditori Generali, Thesaurario, Palatii Nostri Præfecto, cæterisque omnibus Urbis Congregationibus, et Judicibus quibuscumque quacumqe jurisdictione, dignitate etiam Cardinalitia decoratis, ne deinceps sine expresso oraculo Nostro, vel Successorum Nostrorum similibus literis patefacto, in regimen, jurisdictionem, et administrationem œconomicam hujusmodi se se quoquomodo intromittere audeant, seu præsumant, sed regimen, et omnimodam jurisdictionem temporalem, œconomicam administrationem, et omnia alia prædicta eidem Episcopo Ostiensi, et Veliterno pro tempore liberè, prout ante relatam editam Constitutionem super Bono Regimine, dismembrationem, unionem, et incorporationem extabant, dimittant, et relaxent, ita ut liceat dicto Episcopo regiminis, et omnimodæ Jurisdictionis temporalis, et œconomicæ administrationis, et aliorum præmissorum possessionem propria auctoritate, et vigore præsentium per se, vel per alium, seu alios apprehendere, et retinere, atque regimen hujusmodi Jurisdictionem, et Administrationem per se, vel per alium, seu alios regere, administrare, atque exercere: Constitutione sa. mem. Clementis VIII. Prædecessoris, et facultatibus Congregationis, ad Consultanda Pontificiæ ditionis negotia designatæ, non obstantibus, quibus in hac parte, quatenus oporteat, expressè derogamus, et S. R. E. Cardinalem Episcopum Ostiensem, et Veliternum, persæpe Decanum, veluti præcipuis Privilegiis insignitum haudquaquam comprehendere declaramus. Decernentes etc.

Non obstantibus etc.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die XVIII. Novembris MDCCLXXV. Pontificatus Nostri Anno Primo.

I. Card. de Comitibus.

N. XLVII.

N. XLVII.

Motus proprius SS. D. N. PII PP. VI. anni 1776. quo inter cætera Capitula, in eodem inserta, Constitutiones Apostolicæ, Bannimenta, et Edicta confirmantur etiam quoad Privilegia Affidatorum.

ROmano Pontifici in Solio Justitiæ Sedenti cura dirigenda est potissimum circa ea, quæ, et rationi consonant, et securitati Personarum etc.

. , ... ; . .

Cupientes verò, quod Affidati stare liberè possint, et valeant intra Stangam, et Provincias Dohanales, sive sub Fida extrà proprium eorum Territorium, inhærentes Dispositioni Motus proprii Urbani VIII., et Resolutionibus captis per Congregationem particularem, approbatis per Innocentium XII. Prædecessores Nostros, volumus, quod ipsis ultra alias Immunitates, et Exemptiones servetur omninò Privilegium Fori in omnibus, et quibuscumque Causis activis, et passivis, Civilibus, atque Criminalibus (exceptis tamen Causis criminalibus in dicto Motu proprio Urbani præservatis) tam Personam ipsorum Affidatorum, eorumque Famulos Gregibus inservientes, quam Bona affidata, et aliis in Causis materiam fidæ concernentibus, etiamsi ageretur de damnis studiosè datis, et patratis, ac etiam delictis ex Causa, et Occasione, ut dicitur, Spicilegii, relativè ad Constitutionem fel. record. Benedicti XIV. Prædecessoris Nostri Dat. Kal. Junii 1751. nec non etiam de Gabellis, pedagiis, passagiis, cæterisque de aliis immunitatibus, exemptionibus, ac privilegiis sibi competentibus ex dispositione superius relatarum Constitutionum Apostolicarum, et Bannimentorum quamvis pœnæ, Gabellæ, passagia, et pedagia, et alia quæque descripta fore constaret in Tabellis Communitatum, Universitatum, Civitatum, et Locorum quorumcumque Nobis, et S. Sedi mediatè, vel immediatè subiectorum.

Cæterum in Accessu, et Recessu à Dohana, Pascuis, Territoriisque alienis, et per tres dies postquam reversi fuerint ad eorum Domos, et Provincias, seù Territoria serventur Fidæ, et Fori Privilegia. Declarantes tamen quod in præfatis eorum Domibus, et Provinciis, seu Territoriis si damna, vel simplicia, vel studiosa per ipsos Affidatos Litteris Patentalibus Dohanerii pro tempore, seu Fida munitos patrari contigerit post triduum reversionis, ita ut ad pœnas ipsi Affidati teneantur, tunc, et in hoc Casu in prima Instantia cognitio eorumdem Damnorum datorum spectet, et pertineat ad Judices Locales eorum Territorii, seu Provinciæ, salva semper eorumdem Affidatorum exemptione à Repræsaliis, et a solutione pœnarum pro damnis simpliciter datis.

Et ita juxta præmissas declarationes sublata omnimodè quoad omnes Causas tam Civiles, quam Criminales hujusmodi facultate, et potestate procedén-

cedendi omnibus Judicibus tam Civilibus, quam Criminalibus, Ordinariis, Delegatis, et Commissariis, etiam Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus Localibus, Gubernatori Urbis, Auditori Cameræ, Senatori, ejusque Judicibus, Consulibus Artis Agriculturæ, et Magistris Justitiariis, necnon Congregationibus Consultationum Status, et Boni Regiminis, volumus quod Reverendissimus Camerarius, Thesaurarius, et Dohanarum Præses, ac Assessores Dohanæ, et respectivè Tribunal Cameræ Nostræ privativè, quoad omnes alios Judices procedere debeant, et valeant, etiam prævia Avocatione, et reassumptione Causarum coram dd. Judicibus incompeten. introductarum, et forsan introducendarum, quamvis tacitè, vel expressè de consensu constaret, sive de Obligationis Cameralis executione ageretur.

Et si quæstio super pertinentia earumdem oriri contingat, inhærentes Constitutionibus fel. record. Pij IV. Clementis VIII., ac Motui proprio Clementis XIII., aliorumque Nostrorum Prædecessorum nolumus, quod Signatura Justitiæ de dicta pertinentia cognoscat, aut aliquo modo rescribat, nec se ingerat, sed hujusmodi Cognitio an Causæ sint de Jurisdictione Camerariatus, vel Cameræ, aut Iudicum Cameralium prædictorum pertineat ad Reverendissimum Camerarium, et ipsam Cameram, itaut si Partes declarationi faciendæ non acquieverint, vel ante hujusmodi declarationem, si voluerint, Signaturam Nostram Gratiæ adire possint, et Citato etiam Commissario ejusdem Cameræ Commissiones proponi debeant. Secus verò factæ inhibitiones, et exequutæ Citationes in Signatura Justitiæ impunè sperni debeant.

Interim verò cognitione pertinentiæ Causæ pendente, et præ cæteris ne Personæ forsan in Carceres detrusæ, neve Animalia in pignus capta prò pœnis damnorum datorum commissi Spicilegii, vel prætensæ Fraudis Gabellarum, Passuum, Pedagiorum, Pontium, et similium depereant, ut sæpè sæpius contingit, volumus, atque mandamus, quod facta per Affidatos damnificantes, aut aliter de præmissis inquisitos obligatione, et præstita Fidejussione de stando Iuri cum Parte, et Fisco coram altero ex prædictis Judicibus Cameralibus ad formam Constitutionis fel. mem. Benedicti XIV. Prædecessoris nostri sub Datum 25. Ianuarii 1751. Personæ statim relaxentur, et Animalia prædicta ilicò restituantur, nec ad impediendam Personarum excarcerationem, et Animalium restitutionem quælibet Citationes coram quibuscumque Judicibus Romanæ Curiæ, Signatura Justitiæ, ac etiam Reverendissimo Camerario, et plena Camera, nisi Manu nostra, vel nostri Auditoris sint signatæ attendantur, quin impunè, et citra ullum Vitium Attentatorum sperni ut supra possint, et valeant, et contra Hospitiarios, et quoscumque alios Animalia capta retinentes, et detrectantes ipsam Animalium restitutionem, et Personarum a Carceribus dimissionem, de facto, et sine Citatione procedi possit ad executionem Mandatorum de restituendo, et auferendo, nec non ad pœnas in ipsis infligendas, et comminandas.

Ut autem Dohanerii prò tempore, seù Thesaurarii Provinciæ Patrimonii debitis temporibus respondeant de exactione Onerum Cameralium juxta Tabellas tradi solitas, et vicissim Camera supplere possit Oneribus, quibus gravata reperitur, inhærentes Chirographo Urbani VIII. Prædecessoris Nostri

stri sub Datum 7. Martii 1626. declaramus omnes Universitates, Communitates, Civitates, Collegia, Monasteria, et quaslibet alias Personas cujusvis sint dignitatis, etiamsi foret necesse de illis facienda mentio, quibus Onerum Cameralium solutio imposita est, teneri, et obligatas esse solvere dicta Onera Cameralia omni postposita mora, alias procedi possit contra dictas Communitates, Universitates, Civitates, et quascumque superius enunciatas Personas ad Transmissionem Commissariorum, Manuque Regia ad represalias, arrestus, captionem pignorum, subhastationem, et deliberationem, sola Facti veritate inspecta, et quavis appellatione remota, dummodò servata fuerit forma præscripta in Edicto alias publicato per bo. mem. Cardinalem Aldobrandinum, taliter quod ipsi Dohanerii, seù Thesaurarii pro tempore, eorumque Commissarii, sine ullo obstaculo Citationum coram quibuscumque Judicibus executarum, nisi æedem Manu nostra, nostrique Auditoris, et citato etiam Cameræ nostræ Commissario fuerint signatæ ad præmissa procedere possint, et valeant, absque vitio Attentatorum.

Mandantes propterea predictis Reverendissimo Camerario, Thesaurario Generali, Decano, et Clericis Præsidentibus nostræ Cameræ, cæterisque Judicibus, et Officialibus quibuscumque quavis Authoritate fungentibus, et functuris, ac tam conjunctim, quam divisim, ut præmissa omnia observent, et inviolabiliter observari faciant. Avocantes propterea ad Nos omnes, et quascumque Causas, Lites, et Controversias, alias motas, et forsan inposterum movendas super præmissis per Nos ut supra dispositis, declaratis, innovatis, concessis, confirmatis, easdemque sic avocatas etiam nunc prout ex tunc extinguentes decernimus, ita per quoscumque Judices, et Commissarios quavis Authoritate munitos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ubique judicari, intrerpertari, et definiri debere, necnon irritum, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis Authoritate scienter, vel ignoranter hactenus contra formam præmissarum Constitutionum, et Bannimentorum tentatum, aut declaratum fuerit, et quidquid secus contra præsentem nostram Cedulam Motus proprii, Confirmationis, Innovationis, Declarationis, et Concessionis respectivè scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

